Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/scriptoresrerumm00bode

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
LIBRARY

52/6

SCRIPTORES

RERUM MYTHICARUM

LATINI TRES

ROMAE NUPER REPERTI.

) FIDEM CODICUM MSS. GUELFERBYTANORUM
GOTTINGENSIS, GOTHANI ET PARISIENSIS

INTEGRIORES

EDIDIT AC SCHOLIIS ILLUSTRAVIT

)R. GEORGIUS HENRICUS BODE

ORDINIS PHILOS. GOTTING. ASSESSOR

OCIETATIS LITTERAR. QUAE CANTABRIGIAE AMERICANORUM

FLORET SOCIUS.

VOLUMEN PRIUS.

MYTHOGRAPHOS CONTINENS.

CELLIS 1834.

IMPENSIS E. H. C. SCHULZE.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
MAY 8 1963
LIBRARY
23919

VIRO

ILLUSTRISSIMO

AC

SUMME VENERANDO

ARN. HERM. LUDOV. HEEREN

EQUITI ORDINIS GUELFICI ET SIDERIS BOREALIS
REGI BRITANNIAE HANNOVERAEQUE A CONSILIIS AULAE
PROFESSORI GOTTINGENSI P. O.
ETC. ETC. ETC.

ANTIQUITATIS SCRUTATORI FELICISSIMO

RERUM SCRIPTORI SAGACISSIMO

INTEGERRIMO

FAUTORI SUO

PIA MENTE

AD CINERES USQUE COLENDO

PRO TOT TANTISQUE SIBI EXHIBITIS

BENEVOLENTIAE SIGNIS

HUNC LIBRUM

GRATISSIMO ANIMO

CONSECRAVIT

EDITOR.

PROOEMIUM.

Biennium fere est, ex quo Angelus Majus, vir illustrissimus, de antiquis scriptoribus e bibliothecarum Italicarum latebris in lucem proferendis immortaliter meritus, in Classicorum Auctorum e Vaticanis codicibus editorum volumine III tres rerum mythicarum scriptores ineditos typis exprimendos curavit, quorum prima notitia ut bonarum litterarum studiosis erat jucundissima, ita plurimis novae eorum editionis in Germania parandae desiderium commovebat. Cujus rei suscipiendae consilium quum hortantibus viris doctis, quorum apud me plurimum valet auctoritas, animo volvere coepissem, plura se mihi obtulerunt auxilia ad horum scriptorum verba melius constituenda aptissima. De quibus priusquam, ut par est, exponam, iterare juvat quae Majus editioni suae praefatus est, ut quid vir ille sagacissimus quum de ipsis quibus usus est codicibus Vaticanis, tum de horum opusculorum auctoribus eorumque aetate dixerit, lectores rite cognoscant. Nostram vero ita instituamus orationem, ut primum gravioribus illis quaestionibus a Majo motis nonnullas subjungamus observatiunculas; deinde hujus editionis quae sit ratio, qui finis, paucis indicemus. Sic igitur Majus:

I. "Latini mythographi quatuor tantummodo extant in editionibus; nempe vulgo dictus C. Hyginus, qui certe Augusti bibliothecario recentior est; Fabius Fulgentius Planciades; Lactantius Placidus grammaticus, qui ovidianas fabulas enarravit; denique Albricus philosophus, qui de imaginibus deorum commentariolum reliquit. Mihi vaticanam bibliothecam pro meo munere

BL
801

perlustranti, tres alii antiqui mythographi deprehensi sunt; quos quia satis bonos et eruditos videbam, typis divulgare decrevi. Primus mythographus in uno tantum Svecorum olim Reginae, nunc vaticano, codice est, membraneo pervetere, cujus scriptio ad X vel XI Christi saeculum referenda videtur. Secundus mythographus in eodem codice Reginae est (nam de altero exemplari infra loquar), manu tamen posteriore exaratus, ita ut ejus scriptura recentior uno saeculo quam primi credenda sit. Tertius mythographus ex codice vaticano prodit membraneo, saeculi ut puto XII, cui Fulvius Ursinus quondam dominus hanc epigraphem sua manu fecit: Incertus de diis gentium. *Ful. Urs.* Idem tamen in alio etiam membraneo Reginae codice occurrit, sed duobus ferme saeculis recentiore, qui Albricum quoque continet, et vaticani codicis tractatibus XIV, quintum decimum addit de zodiaci signis: quem tractatum ejusdem esse auctoris, hic sane suadet codex; sed haud scio an neget paulo incultius fortasse stili genus. Rursus tertium mythographum reperi etiam in palatino chartaceo, ubi tamen desideratur tractatus de Pallade, nedum postremus de zodiaco. Denique mythographi tertii compendium, ipsis protographi retentis verbis, in vaticano quodam membraneo magnae molis historiarum variarum codice continetur."

II. "Primus mythographus quinam homo fuerit, manifeste dicit epigraphe secundo libro in codice subjecta: Explicit Liber Secundus ·C· Hygini Fabularum. Atque haec inscriptio, ut fabulatorum more jam loquar, discordiae veluti pomum est quod in eruditorum consessum jacitur, ut inde bellum, si non cruentum, diuturnum certe dubiique exitus eventiletur. Quum enim Hyginum quemdam in impressis libris jamdiu legamus, qui a vaticano nostro totus dissidet, uter Hygini nomen verius occupet, haud immerito ut puto disputabitur. Varias super edito Hygino doctorum hominum sententias atque quaestiones vix memorare nedum recensere licebit, nisi quis prope infinitus esse volet: quare lectores ad amplissimam Stavereni editionem

ablego, quae tot criticorum in Hyginum lucubrationes partim complectitur partim nominat: de cujus opere sic demum videtur recte statui, ut epitome quaedam ex ampliore ac vetustiore mythographo, primis aevi christiani saeculis consarcinata, et Hygini nomine decorata, ad nos pervenerit. Nunc vaticanus Hyginus ab illo edito differt dictione tota, fabularum ordine, librorum numero, rerum etiam ipsarum genere: etenim ille editus graecas tantum fabulas habet, vaticanus romanas multas inserit narrationes. Auctorem Hyginus editus neminem fere recentiorem aureo saeculo laudare videtur; vaticanus autem ad Orosium usque progreditur, cujus christiani historici nomen in fabula CCXIX legimus: etsi ipse Hyginus vaticanus nullum umquam, nisi ethnicae superstitionis indicium prae se fert. Servium Hyginus noster nominatim numquam appellat; locum tamen ejus in fabula LXXIV et alios alibi sibi vindicat. Fulgentium prorsus ignorat. Hinc nullus dubito, quin vaticanus Hyginus in quinto Christi saeculo collocandus jure meritoque sit."

III. "Venio ad mythographum alterum, qui in utroque codice est anonymus, christianum autem in prohoemio semet prodit; et fabularum numerum parem fere Hygino retinet, unico tamen libro continuatum. Priorem hic sine dubio expilat mythographum, quandoque etiam ad litteram: in plerisque tamen omnibus ab eodem discrepat. Porro mihi de hoc anonymo cogitanti ea opinio valde animum obsedit, Lactantium Placidum, qui aeque christianus fuit, hujus secundi mythologii esse auctorem. Certe qui Placidi commentarios ad utrumque Statii poema, itemque ejusdem fabularum ovidianarum narrationes, cum mythographo nostro contulerit, non dico similitudinem sed eandem saepenumero rem inveniet. At enim primi quoque mythographi non semel textus, quamquam Hygini nomen jactat, cum Placidi scriptis congruit: cujus rei duplicem fere causam credere licet; tum quia nimirum Placidus plagiarii more se gesserit, quo cum vitio Barthius adv. lib. LII, 13 laborare animadvertit; tum quia fortasse Placidus

universo Hygino manus intulit, eumque ad compendium contulit, ut idem Barthius lib. XXIII, 11 suspicabatur. „Stilus, inquit, Placidi simillimus est earum fabularum, „quae vulgo Hygino adscribuntur, sed utique in com„pendium a nescio quo redactae sunt, et fortasse ab „hoc eodem scriptore (Placido) qui epitomas concin„nare adsueverat." Accedit illa veri similitudo quod ad Statium Placidus nullis saepius auctoribus utitur, quam Virgilio, Horatio, atque Lucano; id quod a nostro quoque mythographo factitatum videmus. Rem nunc prolixius urgere non libet; sed illud potius admonebo lectores, me Placidi quoque glossas ex quatuor vat. codicibus, quamquam heu mendosissimis, vulgandas censuisse, quarum ante hos annos Mediolani brevissimum specimen cum Frontone edidi *). Sane has glossas eruditi homines in mss. olim viderunt atque laudarunt, veluti Frid. Tiliobroga praef. ad Statium, et Barthius adv. XXII, 22; Isidorus autem de diff. verbor. § 99 pleniores adhuc habuisse videtur."

IV. "Reginae vetustus codex in fabula CXLVI mutilus erat, duobus amissis foliis. Iterum in fabula CIC lacuna erat, quam amanuensis priscus non animadvertit: etenim in codicis media pagina 70 post verba *Trojam ex improviso venit*, eodem versu consequitur *ex Vulcani manu fabricata*, quae sunt verba fabulae CCV. Itaque neque fabulas quinque interceptas, neque sententiae hiatum librarius sensit. Me vero etsi neutra lacuna latuit, spes tamen explendi destituebat, quia plenior codex non suppetebat. Ecce autem lapso post mythographum impressum anno (tamdiu enim libri editionem distuli), dum quosdam monasteriorum extinctorum codices in vaticana bibliotheca extra ordinem collocatos forte inspicerem, chartaceus sese obtulit saeculo XV scriptus codex, qui inter alia opuscula, secundum quoque mythographum, etsi aeque anonymum, continebat: quem ego statim cum Reginae vetusto codice et cum libro meo comparatum, nusquam comperi

*) Omisimus Placidi glossas a Majo editas.

dissidere: quodque pluris interest, omni hinc lacunarum incommodo expediri editionem meam posse cognovi. Jam chartaceum hunc codicem ex antiquiore exemplari fuisse desumptum, Reginae ille pervetus satis demonstrat: tum vero in ipso chartaceo certa ejus rei indicia sunt, vacua scilicet in paginis spatia a librario sparsim relicta, quia fatiscentis vetustate exemplaris, unde exscribebat, haud omnia verba legere potuit. Secundum ergo mythographum antiqui codicis auctoritate fultum, recentioris beneficio completum, exhibemus. Porro huic mythologo praeponitur in antiquiore codice indiculus fabularum, qui quoniam ea serie scribebatur, quam tenent fabulae, a me prudenter ut puto immutatus est, atque ad elementorum ordinem revocatus, inserto primi quoque mythologi indiculo: qua mea sedulitate legentium commoditati satis consultum reor."

V. "Vaticanus tertius mythographus diversa a prioribus ratione componitur: illi enim minute singillatimque deorum et hominum fabulas scribunt; hic praecipuorum tantummodo deorum ac semideorum fabulosas historias continuato stilo exequitur; neque brevibus narratiunculis, sed peramplis tractatibus constat. Jam etsi hic mythographus in quatuor, ut dixi, vaticanae bibliothecae codicibus superest (quorum duo ad Reginam Svecorum pertinuerunt), attamen auctoris nomine ubique caret: de quo antequam ego disputo, placet dicere, unum certe ex his tertii mythographi exemplaribus extitisse olim inter libros viri doctissimi Isaaci Vossii, quem regali Christinae bibliothecae praefuisse scimus.

"Etenim Cornelius Tollius in adnotationibus ad Palaephatum p. 242 (utor narratione Fabricii bibl. lat. lib. II, 1, quia Tollii Palaephato careo) in Isaaci Vossii bibliotheca fuisse ait "mythologum priscum „ineditum, Albrico Boccatioque longe antiquiorem, „qui ex eo multa desumpserint; etsi recentiorem Servio „et Fulgentio, a quo ipse vicissim non pauca fuerit „mutuatus." Jam in hoc testimonio, non de antiquiore Reginae codice sermonem fieri, sed de recentiore ejusdem Reginae, in quo etiam Albricus scribitur, ex alio

praedicti Tollii scholio ad eundem Palaephatum p. 165 palam fit, ubi ait Albricum fuisse pleniorem apud Vossium; qui profecto Tollii error videtur: etenim in hoc recentiore Reginae codice primum scribitur Albricus, tum sequitur tertius mythographus a me nunc editus, quem incaute Tollius pleniorem Albricum, id est ejus continuationem, existimavit. Neque Tollius tantummodo deceptus est, verum ipse codicis scriptor halucinabatur, dum in calce codicis vaticani adnotaret: *explicit liber imaginum deorum, cujus auctorem non reperi scriptum, sed fertur fuisse quendam Albricum philosophum.* Atqui bis peccat amanuensis; primo quia tertium mythographum, aeque ut Albrici opus, appellat *imagines deorum*, quod falsum est: iterum quia suspicatur fuisse Albricum hujus quoque prolixioris diversique libri auctorem; cui rei manifesta repugnare videtur veritas: quandoquidem tertii mythographi nomen mox a me patefiet. Ergo etiam Munckerus in praefatione, et Fabricius loc. cit., errant dum Tollii adfirmatione freti Albricum in editionibus imperfectum esse pronunciant. Munckerus denique de Vossii mythographo recuperando sic desperavit, ut loc. cit. scripserit: *οἴχεται ἀῤ ἐκεῖνος καὶ ἠφάνισεν ἑαυτὸν εἰς οὐτοπίαν.*

VI. "Nunc denique de mythologici tertii operis auctore disserendum est. Christianum se fuisse, immo catholicum, p. 237 (III, 9, 7) ipsemet docet. Idem scriptores Johanne scoto erigena Remigioque antisiodorensi recentiores nullos nominat: ex quo apparet, sacculo IX vel X id opus esse compositum: quae quum aetas tenebriosior atque inficetior vulgo habeatur, mirari licet tantam in hoc homine eruditionem bonaeque frugis copiam extitisse. Porro ipsum auctoris nomen meditando videor deprehendisse. Quippe satis cognitum eruditis est Johannis Brassicani docti hominis testimonium in scholiis ad Petronium Arbitrum cap. CXXI (edit. Burman. p. 740), cujus haec verba sunt. "Ser„vius ad aeneid. XII, 118 ait: *Marti gramen est „sacrum, quod secundum Plinium ex humano san„guine procreatur.* Meminit et Lucius Apulejus in

„libro de herbis; et *Leontius* mythographus, auctor „minime malus, superioribus annis a nobis tantum non „ab inferis excitatus, et aliquando cum philologis „communicandus." Ad quae Brassicani verba Burmannus adnotat: "non praestitit; et Leontius adhuc „latet, aut periit in bello smalkaldico cum numerosis „aliis bonis scriptoribus." Jam vero illud inediti Leontii dictum reapse extat apud nostrum tertium mythographum in tractatu XI, § 10 sic: *gramen Marti dedicatur, quia secundum Plinium in naturali historia, ex humano cruore procreatur. — Unde et romani moris fuerat, cum de re bellica ageretur, et Marti sacrificaretur, aras constituere gramineas.* Ergo mythographus hic vaticanus *Leontius* est, Brassicano ante annos trecentos visus, deinde temporis injuria iterum tenebris obrutus, nunc a me demum ope codicum vaticanorum in sempiternam lucem vindicatus. Nisi enim Brassicanus Leontii nomen in codice suo vidisset, qui fieri poterat ut Leontium nobis occineret?"

VII. "Age vero Leontium cum dicimus, non illum profecto intelligimus Leontium cognomento Pilatum, quem Johannes Boccatius in luculento suo de genealogia deorum opere saepe facit loquentem. Fuit enim Leontius Pilatus, ut ait Boccatius op. cit. lib. XV, 6, 7 thessalonicensis homo, in graecis quidem litteris doctissimus, sed latinis non satis instructus. Hunc Boccatius hospitem domi suae habuit, eumque Homerum sibi praelegentem triennio audiit, atque ut magistrum publicum decreta mercede Florentini susciperent, curavit: et quia graecarum historiarum atque fabularum archivum, ut ipse ait, Leontium expertus erat, idcirco in opere suo mythologico ad hujus hominis auctoritatem persaepe provocat. Neque tamen aliquid Leontius Pilatus scripsit, teste ipso Boccatio: *hujus ego nullum vidi opus; quicquid ex eo recito, ab eo viva voce referente percepi.* Leontius ergo Pilatus graecus homo, latinitatis prope ignarus, nullius scripti operis auctor, cum vaticano Leontio latinis auctoribus familiarissimo, confundi non potest. Praeter quam quod Leontius Pilatus saeculo

XIV vixit; codex autem Ursini vaticanus (nedum ipsum opus), unde nos Leontium sumpsimus, multo ante natum Leontium Pilatum exaratus fuit: etenim ejus scriptura saeculi XII formam prae se fert."

VIII. "Quoniam longe antiquiorem Leontio Pilato vaticanum Leontium demonstravi, superest porro ut hunc ab Albrico separem, cum quo (praeter alios quos jam § V recensui) Johannes quoque Boccatius eum permutavit. Nam lib. IX, 3 ait Boccatius: *gramen ideo Marti sacrum dicit Albericus, quia haec herba, secundum Plinium, ex humano sanguine procreetur. Et inde, ut idem dicit, Romani rem bellicam agentes, Marti sacrum facturi, aram construebant gramineam:* qui locus mythographi nostri est, quem Brassicanus Leontium esse affirmavit. Rursus lib. X, 1 Boccatius: *Neptunum, ut ait Albericus, a nando dicunt:* quae sunt verba mythographi nostri p. 183 (III, 5, 1). Adhuc Boccatius lib. XII, 76: *Cacum Albericus dicebat nequissimum Evandri filium fuisse seu servum:* qui locus est apud nostrum mythographum p. 270 (III, 13, 1). Denique Boccatius lib. XI, 7 de Ledae geminis ait: *quod alterna morte Pollux redimeret fratrem, videtur Alberico, quum assumpti in caelo geminorum signum fecissent, et in eo ita se habeant stellae, ut dum oritur una, altera adhuc latitet; eademque quae latuerat, post prioris occasum adhuc aliquantisper apparcat:* quae ad verbum narratio est nostri mythographi p. 174 (III, 3, 7). Nullus inquam horum, qui citantur a Boccatio, locorum apud editum Albricum est, sed tantummodo apud nostrum mythographum tertium; quem Boccatius (item ut Tollius aliique supra memorati) idcirco Albricum existimasse videtur, quia continuatum in codice suo (ut fit in regio vaticano) post Albricum legebat. Ergo si Brassicani testimonium veritate nititur, de qua re dubitare vix licet, tertius noster mythographus Leontius est: sin aliorum conjecturis indulgere placet (quod mihi secus videtur) Albricus est, illa videlicet Albrici pars, quam editor princeps Micyllus aliique subsequentes desideraverunt.

IX. "Atque ego quidem in exscribendo, distinguendo, plurimisque mendis purgando tam copiosos fabularum libros, non modicum laborem pertuli: scholia tamen mea nulla propemodum addidi, ne molem voluminis nimis augerem: cujus rei gratia minutis etiam typis usus sum, quominus chartam innumeram lectoribus meis objicerem: quos etiam illud non celabo, me videlicet complura mythographorum horum vocabula, quae, ut fit in ethnica mythologia, pudicis auribus ingratiora accidissent, euphemismis commutavisse "utcumque ferent ea fata minores." Auctorum apud hos mythographos appellatorum syllabum scripsi: latinitatis tamen nova vocabula, quae sparsim videbam, philologis ac lexicographis colligenda permisi: a quibus etiam scholiorum ad hos mythographos apparatum subinde concinnandum auguror. Interim laetari licet, quod his a me codicibus editis, tres insignes mythographos Hyginum, Placidum, et Leontium, adquisivisse videmur."

X. "Praeter hos bonos et classicos, alii quoque sunt barbariores in vaticana bibliotheca mythologi: quos inter quidam haud paenitendus, nec valde tamen antiquus, ovidianas plerasque fabulas diversis a Placido narrationibus ornat. Conradi praeterea canonici tigurini mythologium amplum eruditumque legebam saeculo XIII compositum, luce autem numquam donatum. Verum hos aliosque sequioris aevi mythologos typis meis tradendos non judicavi. Unum praetermittere nolui Martini bracarensis episcopi, qui saeculo VI floruit, opusculum *de origine idolorum*, quod in Reginae svecae vetusto codice a me lectum, et cum editione Floresii Hisp. sacr. T. XV p. 425 comparatum, tam varium reperi, id est tam corruptum in editione, tam in codice purum atque sincerum, ut denuo *) typis imprimere necesse fuerit. Etenim Floresius et opusculi prohoemium nescio quo casu omisit, et ipsum passim textum foedis adeo turpibusque mendis inquinatum dedit, cujusmodi ne in tirone quidem, nedum in tanto litterarum heroë, aequo

*) Hoc Martini prooemium nostra editio non recepit.

animo ferre licet. Ceteroquin in codice vaticano pars opusculi postrema deerat; quam ego ex Floresio ad meum librum transferre nolui; primum quia Floresium mendosissimum, ut dixi, esse cernebam; deinde quia pars quae in vaticano codice desideratur, ad mythologiam nullo modo pertinet."

Hactenus Majus. Quod igitur ad mythographum primum attinet, hic non est ille *Hyginus* (ut recte Majus censet), quem Augustus manumisit, et quem plura volumina scripsisse constat, nec ille, cujus fabularum collectionem adhuc legimus, quique Antoninis imperantibus floruit, ut virorum doctorum hodie fert consensus; sed multo serior aetas hunc sibi vindicat scriptorem, saeculum quintum dico, ut Orosius ab eo laudatus (fab. 219) satis superque probat. Itaque Hygini nomen utrique operi recte potest tribui; at magnopere cavendum est, ne unum eundemque Hyginum, quisquis ille fuerit, aut utriusque operis auctorem aut Augusti libertum habeamus. Hygini cujusdam mentio haud infrequens est apud antiquos scriptores, quippe quem Servius, Gellius (1, 21. 6, 6. 5, 8. 16, 6. 10, 16.) et Macrobius (Sat. 6, 9) inter Virgilii interpretes referant, quemque codices mei, ut fieri solet, modo *higinum* (Ae. 2, 15), modo *yginum* (Ae. 7, 47) vocant. Ac ne is quidem Augusti libertus est, quem Virgilio coaetaneum fuisse oportet; nec probabile est Virgilio adhuc vivente quemquam grammaticum commentarios in Virgilii carmina scripsisse. Deinde res mythicae, quas Servius Hyginum tractasse refert, non congruunt cum Hygini narrationibus fabularum, e. c. de equo Trojano (f. 108 et Serv. ad Ae. 2, 15). Itaque Hyginus, Virgilii commentator, diversus est ab eo qui fabulas quae adhuc extant composuit. At minime sane spernendus foret is, qui Virgilii commentatorem Vaticani voluminis auctorem diceret; nam major voluminis pars ad verbum fere conspirat cum iis quae Servius diversissimis locis suo quidem nomine refert; Servius autem has fabularum narrationes ex Hygini opere derivare poterat, auctoris nomine non allato. Po-

terat sane. At mythographus Vaticanus Orosium se legisse testatur, quem Servio juniorem esse constat. Ergo mythographus Vaticanus nec Servii Hyginus est, nec Servius quidquam ex illo poterat derivare. Restat autem ut mythographum Vaticanum sua vel e Servio (quem tamen nullibi memorat) hausisse, vel cum Servio unum eundemque fontem adiisse dicamus. Ac prior illa sententia haud dubie verior est. Nam plures fabulas, ab utroque auctore iisdem verbis traditas, alii scriptores antiqui, ut mythographus III, solo Servio tribuunt, nec ad ullum alium scriptorem referunt; quae res haud parvi momenti est in hac quaestione. Si antiquior Hyginus fabularum volumen omnino composuisset, ejus mentio procul dubio frequens foret apud veterum poëtarum scholiastas, aliosque scriptores qui res mythicas tangere solent; praecipue si is C. Julius Augusti libertus fuisset, quem Suetonius illustribus grammaticis accenset et ab Ovidio magni aestimatum refert. Hic sane *de re rustica* scripsit (Colum. 1, 1, 13; cf. 3, 11, 8. 9, 2, 1. 9, 12, 5 etc. ubi codd. et *higinum* et *higinium* exhibent), atque *de vita rebusque illustrium virorum* (sc. Roman.), cujus operis librum sextum Gellius laudat (1, 14 ubi codd. Julius *higinus, higinius, higenus,* ut alibi *yginius* et *hyginius*, scribunt). Ex hoc opere idem Gellius (7, 1) *vitam et res Scipionis Africani* hausit. Diversus autem ab hoc fuisse videtur liber, ex quo Gellius (10, 18, 7) hoc refert: "Extat nunc quoque Theodecti tragoedia, quae inscribitur *Mausolus*; in qua eum magis quam in prosa placuisse Hyginus *in Exemplis* refert." De *claris viris* Lucium Higinium egisse Asconius Pedianus narrat (ad Cic. or. in Pis. p. 164 ed. Cren. Leyd. 1698); quem librum eundem atque illum *de vita rebusque illustrium virorum* haberem, nisi hujus auctor a Gellio diserte *Julius* vocaretur; atque ita sane Asconii locum emendavit Popma, probante Madvigio p. 65 et Orellio p. 13. Deinde quae Macrobius (Sat. 1, 7 p. 236 Zeun.) docet: "Regionem istam, quae nunc vocatur Italia, regno Janus obtinuit, qui, *ut Hyginus protarchum Trallianum secutus tradit*, cum Camese

aeque indigena terram hanc ita participata potentia possidebant, ut regio *Camesene*, oppidum *Janiculum* vocitaretur", ea ad Hygini librum *de origine urbium Italicarum* (Serv. Ae. 8, 638), vel *de situ urbium Italicarum* (Serv. Ae. 3, 333), vel simpliciter *de Italicis urbibus* (Serv. Ae. 7, 412. 678. 8, 397. 600) pertinent. Huc referendus quoque est Serv. Ae. 1, 277: "Hoc autem *Urbis* nomen ne Hyginus quidem, quum de situ urbis loqueretur, expressit", et ad 330: "Italia *Hesperia* dicitur a fratre Atlantis, qui Italiam, pulsus a germano, tenuit, eique nomen pristinae regionis imposuit, ut Hyginus docet." Hyginum, qui *de familiis Trojanis* scripsit, idem laudat Serv. Ae. 5, 389. Higini denique liber *de diis penatibus* affertur a Macrobio (S. 3, 4 fin.), qui eundem etiam *de proprietatibus deorum* egisse tradit, quum *de astris ac stellis* loqueretur (3, 8). Quae autem inde recitantur, nec Hygini *fabulae*, nec Poët. Astron. agnoscunt. Quam rem nemo mirabitur, qui reputaverit, ne *Poëticon Astronomicon* quidem auctorem consentire cum eo qui *fabulas* collegit. Nam ille "Graeae, inquit (2, 12), fuerunt Gorgonum custodes; de quo in primo libro *Genealogiarum* scripsimus." At nihil profecto in *fabulis* legitur (p. 9) de Graeis Gorgonum custodibus. Ergo hae fabulae vel ab alio collectae sunt Hygino, quem ne unus quidem codex *C. Julium* vocat, vel mutilatae ad nostram pervenerunt aetatem.

Quae quum ita sint, de Hygini nomine valde ambigua est quaestio, quippe quod nec uni homini debetur nec uni aetati. Quae ambiguitas eo potissimum augetur, quod veteres scriptores non solent inter diversissimos Hyginos accuratius distinguere. Nullus tamen dubito, quin commentariorum in Virgilium auctor diversus sit a C. Julio, quem de viris illustribus, de Italicis urbibus, de re rustica etc. scripsisse arbitror. Deinde qui Astronomica composuit iterum differre videtur a fabularum collectore. De Hygino *gromatico* nunc non disputo. Mythographo autem Vaticano, quem post Servium et Orosium vixisse certum est, quemque, si

scriptorum easdem res narrantium summus consensus ullam habet in hac quaestione vim, Lactantium Placidum, qui Argumenta Metamorphoseon Ovidii et Scholia ad Statii Thebaidem et Achilleidem confecit, nosse oportet, adeoque post Boëthium floruisse probabile est, num idem nomen recte tribuatur, ex sola ista epigraphe, quae in fine libri secundi legitur, vix potest dijudicari.

Lactantium vero Placidum secundi operis mythologici auctorem esse suspicatur Majus, solo fabularum consensu ductus. At hic Lactantii consensus non tam ad mythographum secundum pertinet, quam ad primum illum, quem Hyginum vocat; cujus rei argumenta commentarii nostri satis multa exhibent; itaque hic repetere nolo quae illic ultro se offerunt. In oculos autem incurrit, utrumque mythographum vel eosdem fontes secutum esse, vel sua derivasse alterum ex altero. Nec Fulgentius sane utrique ignotus fuit. Quare hic etiam erat in subsidium vocandus; cujus subsidii quaenam sit ratio, paulo inferius exponetur.

Quae Majus deinceps, Harlessio duce, de Tollio, utpote qui mythographum secundum in aedibus Isaaci Vossii, Christinae Suecorum reginae olim bibliothecario, inspexerit, disputat, non satis accurate tradita sunt. Etenim Tollius ille in notis ad Palaephatum (p. 142) ait: "Corrigo (sc. Fulg. 2, 17 p. 698 Stav.) ex mythologo anonymo, inedito (myth. II, 107) viri celeberrimi et egregii, Isaaci Vossii. Scriptor ille recentior est Fulgentio, a quo multa, ut et Servio, desumsit, multo vero antiquior Albrico philosopho et magis Boccacio, qui ex eo multa sunt mutuati." Idem Tollius (p. 136) e mythogr. II, 122 vel I, 43 supplet Servii locum (Ae. 6, 14), ut legitur in utroque codice Guelferbytano, de quo paulo post sum dicturus; et (p. 221) recitat e mythogr. II, 168 fabulam de Glauco, quam comparat cum Serv. ad Ae. 5, 823. Usus denique est Tollius (p. 165) apud eundem Vossium Albrici codice multo integriore, quam ii fuerunt,

quos editores adhuc in auxilium vocarunt; ex eoque emendavit cap. 22 p. 934 Stav. de octava Herculis victoria. Hic autem Albrici codex non est dubium quin a mythographo secundo fuerit diversissimus.

Jam in recognoscenda mythographi primi et secundi oratione quid consilii secutus sim, quam viam, quem finem mihi praescripserim, paucis erit explicandum. Itaque quum majorem harum fabularum partem apud Servium quoque et Fulgentium legi intellexissem *), horum scriptorum auxilia quae vocant critica circumspicere coepi, ut rivulos inde in mea derivarem arva. Ac primum quidem praestantissimi codicis Fuldensis conferendi copia mihi facta non est, etsi multum laboris in eo per litteras ad plures viros doctos missas investigando consumserim. Codicum autem Guelferbytanorum usum dici vix potest quanta humanitate mihi concesserit *Schoenemannus*, bibliothecae Guelferbytanae praefectus celeberrimus, mihi amicissimus. Dictum est de iis, ut de reliquis quibus usi sumus libris manu exaratis, in indice codicum notis criticis praefixo. In colligenda vero lectionis varietate ita versatus sum, ut non potiores tantum discrepantias excerpserim, sed, quum codices bonae sint notae, omnes potius exscripserim lectiones, etiam manifesto falsas, in primis in nominibus propriis, quae Majus ad codicis Vaticani fidem exprimenda curavit, quorumque magna pars a vulgari scribendi ratione abhorret, ut fieri solet in plerisque libris manu scriptis. Hinc apparebit, etiam optimis codicibus in his rebus vel nullam plerumque vel exiguam tantum tribuendam esse auctoritatem, quia unusquisque suam nec constantem quidem sequitur horum nominum scribendorum rationem. Vix autem ad certum aliquem finem revocari poterit ars critica in

*) Vid. Götting. gel. Anz. 1832 p. 981 et 1833 p. 90. Fulgentii codd. apud Ebert. sunt Nr. 357. 358 p. 73 sq. Corrigendus enim est index codicum notis criticis praefixus, ubi perperam legitur Nr. 212. 213.

antiquis auctoribus edendis, nisi in codicibus quibus uteris conferendis accuratissimam posueris operam.

Orationem mythographi I et II qualem Majus e codice Vaticano exhibuit, talem nostra quoque editio magna ex parte retinuit. Recognovi autem multa, atque plura etiam emendavi in notis criticis; pauciora eaque aperte vitiosa in ipsa scriptorum oratione mutare conatus sum. Ex utroque genere sunt e. c. apud mythogr. I, 3 *Crataeidis* pro *Cretidos*; 5, 33 *Aeis* pro *Acilius*; 16, 16 *feminam* pro *feram*; 58, 42 *cruor* pro *amor*, et paulo post *Licham* pro *Lycam*; 67, 11 *Eratosthenes* pro *Sosthenes*; 86, 38 *Siciliae* pro *silice*; 115, 16 *Istrus* pro *Histrius*, et multa alia, quae ultro se offerunt diligenti horum scriptorum lectori.

Meliore etiam fortuna usus sum in mythographo tertio edendo. Etenim praeter Servii et Fulgentii copias, quae ex parte ad hunc quoque spectant scriptorem, tres mihi innotuerunt ejusdem mythographi codices, qui adhuc in bibliothecarum tenebris latuerant. Primum debeo insigni qua litterarum studia adjuvare solet benevolentiae *Reussii*, viri summe venerandi, bibliothecae Gottingensis praefecti primarii illustrissimi, cui me aliis quoque pluribus nominibus in perpetuum devinctum esse gratissimo animo profiteor. Secundum codicem conferendum mihi obtulit laudatissima illa humanitas *Iacobsii*, bibliothecae Gothanae praefecti primarii, qui quum certior factus esset, me mythographos a Majo editos typis repetere velle, tanta tamque praeclara egit animi liberalitate, ut non modo consilium quod ipse de mythographo tertio (una cum *Albrici Poëtario*) ante Majum e codice Gothano publici juris faciendo inierat, omitteret, sed etiam codicis Gothani ad tempus aliquod in me transferret usum. Tertii denique libri manu scripti lectiones summa qua conspicuus est diligentia excerpsit Fridericus Dübnerus, vir clarissimus, qui quo melius antiquarum litterarum studiis, quorum amore incensus est, incumbere possit, adhuc Parisiis versatur in

gremio bibliothecae Europae locupletissimae. Eidem viro doctissimo prima etiam notitia illius debetur codicis, qui est Nro. 8508, minutissimis litteris exaratus multisque scripturae compendiis insignis.

His igitur copiis litterariis, quas praeter summam mihi contigisse spem intimo sinu gaudeo, benignissime instructus, codice Gottingensi, utpote optimo, in constituenda mythographi III oratione pro fundamento usus sum usque ad caput X; in reliquis secutus plerumque sum codicem Vaticanum a Majo expressum. Deinde codicem Gothanum et Parisiensem, quos ex uno fonte profluxisse certissimum est, in subsidium tantum adhibui; sed utriusque libri varietatem integram notis criticis inserui. Ad eandem sane cum libro Vaticano familiam pertinere videtur codex Gottingensis; sed secunda manus eundem ex libro multo antiquiore et emendavit et supplevit innumeris fere locis, ut quaevis pagina probat.

De Leontio, quem Brassicanus in suo codice hujus tertii operis auctorem legisse videtur, quid censendum sit, difficile est dijudicatu. (De Valerio Sorano dictum est in notis ad prooemium). Majus intelligit Pontium Leontium Burdegalensem a Sidonio Apollinari et Fortunato memoratum; quam conjecturam temporum rationes non admittunt, quum mythographus et *St. Hieronymum*, qui vitas Patrum scripsit, et *Remigium*, Martiani Capellae commentatorem doctissimum, laudet. Praeterea quos scriptores duo priores mythographi omnino non memorant, ut Servium, Fulgentium et Lactantium Placidum, eos mythographus tertius pluribus quidem locis affert, saepius autem et ipse silet, ubi tamen manifestum est eosdem ei fuisse ante oculos. Graecis scriptoribus omnino rarius usus est; et quae nominum etyma Graeca subinde affert, ea talia plerumque sunt, qualia Fulgentium hic illic frustra tentasse constat. Consensum denique cum Macrobio, Martiano (quos laudat), aliisque serioris aevi scriptoribus, quorum

nomina non affert, ut Isidori Hispalensis, non esse fortuitum, omnes aequi harum rerum judices statim perspicient. Quum nova hujus scriptoris vocabula, tum ea quae inferioris aevi notam prae se ferunt, ex parte in indicem conjeci; plura denique in notis criticis exagitavi. Quibus singulis momentis in unum collectis et rite perpensis non dubito quin mythographus tertius scriptoribus saeculi IX vel X sit accensendus.

Observationes, quas huic triplici operi adjicere constitueram, abruptae sunt in fabula 12 mythographi 1. Id mihi suadebant rationes librarii, qui hos mihi chartarum terminos praescripserat. Caeterum pauci isti errores a typotheta hic illic in exprimenda mythographorum oratione commissi, in notis criticis emendavimus.

Quod ad orthographiam attinet, diu me sollicitum tenuit ratio Maji, qui codices suos ad litteram fere expressisse videtur, quum de scripturae constantia tum de verborum etymis omnino securus. Cujus rei ambiguitatem post impressam mythographorum orationem ipse sensit editor in fine voluminis tertii, ubi "In vaticanorum mythographorum codicibus, inquit, nomina praesertim propria corruptissima sunt, quae etsi ego pleraque correxi *(et plura profecto corrigenda restabant!)*, menda tamen aliquot in editionem transisse video. Scribe igitur *Aetna* pro *Aethna*; *Dictinna* pro *Dictynna (At cur, quaeso?)*, *Hippodamia* pro *Hippodame (Minime vero; vide notas)*; *Nyctimene* pro *Nyctymene*; *Oenopion* pro *Enopion*; *Polynices* pro *Polinices*; *Prochris* pro *Procris* (*Non video causam*); *Tydeus* pro *Tideus*. Item pag. 8, 41 corr. *Peloponnesi*. — P. 13, 28 *Mycone Gyaroque*. — P. 17, 23 *noverca* absque necessitate inseritur; confer enim myth. III tract. XV, 1. — P. 20, 33 *potestatem*. — P. 37, 2 *Phlegyos*. — P. 50, 21 *Dianae* corr. *Danaës*. — P. 56, 16 *virentis*, Lactantius fab. ovid. lib. X, 4 addit *aetatis*. — P. 60, 6 *extingueret* corr. *extergeret*. — 76, 13 *Argivorum*. — P. 121, 42 *Iason*. — P. 193 n. 1 *ad an* dele

ad. — P. 153, 11 *in multis.* Codex Remigii melius habet *multis* absque *in*".

At quam multa menda praeter haec tollenda fuerint, utraque editione inter se comparata ipsi judicent lectores. Deinde minime retinere licebat istam plurium vocabulorum scribendorum rationem, quam Majus in aliis quoque scriptoribus Latinis a se editis secutus est, e. c. *prohoemium*; quod nomen sane ita scriptum reperitur in multis iisdemque bonis codicibus; at iidem libri manu exarati constantius etiam littera h utuntur in aliis quoque vocabulis, ubi vulgo omittitur, ut in *habundare*, quod nostri quidem codices ne semel quidem vulgari modo scribunt; deinde in *coheunde* pro *coeundi*; *cohercere* pro *coërcere*, *herror* pro *error*, *harena* pro *arena*; quin immo *hetna* pro *Aetna*, ut ubique fere codex Gothanus; sicuti codex Gottingensis constanter exhibet *archades*, *archadia*, *cochitos* pro *Arcades*, *Arcadia*, *Cocytos*; et *honorosus*, *horpheus* etc. pro *onorosus*, *Orpheus* etc. In aliis contra, ut in *armonia*, *ortus*, *actenus* etc. littera h constanter omittitur. Porro non servavi cum Majo litteram p in *sumptus*, *sumpsit*, *contempnere*, *contempsit*, *dampnatus*, *interemptus* etc. Etenim ita si scribimus, non video, cur non eodem jure exaremus *hiemps*, *sompnus*, *columpnae*, *autumpnus*, *crumpnae*, *solempnia*, *dampno* etc., quam scribendi rationem ubique sequi solent codices H L. At ejusmodi vel antiquissimorum librorum lectionibus haud major videtur auctoritas tribuenda esse, quam codici H, qui ubi vulgo litterae duplicari solent, singulas exhibet litteras; ut in *apelatur*, *ofensus*, *opidum*, *atrahens*, *bienium*, *duodenium*, *acipiunt*, *succedendo*, *comemorat*, *atinere*, *comendare*, *imutare*, *acusare*, *aposuit*, *incuritur*, *comune*, *hanibal*, *comitebatur* etc.

Scripsi Gottingae Idibus Octobr. Anni M,DCCC,XXXIII.

SCRIPTORES

RERUM MYTHICARUM

LATINI.

MYTHOGRAPHUS PRIMUS.

Liber I.

1. Prometheus.

Prometheus post factos a se homines dicitur auxilio Minervae caelum ascendisse; qui, adhibita facula ad rotam solis, ignem furatus est, quem hominibus indicavit. Ob quam rem irati dii duo mala immiserunt terris, febres et maciem, id est morbos. Ipsum quoque Prometheum per Mercurium in Caucaso monte religarunt ad saxum, adhibita etiam aquila, quae cor ejus exederet. Haec autem omnia non sine ratione finguntur. Nam Prometheus vir prudentissimus fuit; unde et primus astrologiam Assyriis indicavit, quam residens in Caucaso monte nimia cura comprehenderat. Dicitur autem aquila cor ejus exedere; quod est nimia sollicitudo, qua ille affectus siderum omnes motus deprehenderat. Et hoc quia per prudentiam fecit, duce Mercurio, qui prudentiae et rationis deus est, ad saxum dicitur esse religatus. Deprehendit praeterea rationem fulminum, et hominibus indicavit; unde caelestem ignem dicitur esse furatus. Nam quadam arte, ab eodem monstrata, supernus ignis olim eliciebatur, qui mortalibus profuit, donec bene eo usi sunt. Nam postea malo hominum usu in perniciem versus est. Sicut in Livio lectum est de Tullo Hostilio, qui ideo igni exustus est cum omnibus suis. Hinc est, quod igne rapto ab iratis numinibus morbus hominibus dicitur immissus.

2. Neptunus et Minerva.

Quum Neptunus et Minerva de Athenarum nomine contenderent, placuit diis, ut ejus nomine appellarentur, qui munus melius mortalibus obtulisset. Tunc Neptunus percusso litore equum, animal bellis aptum, procreavit. Minerva jacta hasta oleam creavit; quae res est melior comprobata, ut pacis insigne. Unde ex Minervae nomine, quae Graece Ἀθηνᾶ dicitur, Athenae dictae sunt.

3. Scylla.

Scyllae duae fuerunt; una Phorci et Cratacidis filia. Quam quum amaret Glaucus, deus marinus, dum ipse amaretur a Circe, et eam contemneret, illa nacta fontem, in quo se Scylla solebat abluere, infecit venenis. In quem quum descendisset puella, media parte in feras commutata est. Altera vero Scylla fuit Nisi, Megarensium regis, filia. Contra quos dum, devictis jam Atheniensibus, pugnaret Minos propter filii Androgei interitum, quem Athenienses et Megarenses dolo necaverant, amatus est a Scylla, Nisi filia. Quae ut hosti posset placere, comam purpuream, parenti abscissam, ei obtulit; quam Nisus ita habuerat consecratam, ut tamdiu regno potiretur, quamdiu illam habuisset intactam. Postea et Scylla, a Minoë contemta, dolore in avem conversa est; et Nisus extinctus deorum miseratione in avis mutatus est formam. Quae aves hodie flagrant inter se magna discordia.

4. Tereus et Procne.

Tereus rex Thracum fuit. Qui quum Pandionis, Atheniarum regis, filiam, Procnen nomine, duxisset uxorem, et per aliquantum tempus ab ea rogaretur, sibi Philomelam sororem videndam accerseret, profectus Athenas, dum adduxit puellam, eam vitiavit in itinere, et ei linguam, ne facinus indicaret, abscidit. Illa tamen querelam, in veste suo cruore descriptam, misit sorori. Qua cognita, Procne Ityn filium interemit et patri epulandum apposuit. Postea omnes in aves mutati sunt; Tereus in upupam, Itys in phasianum, Procne in hirundinem, Philomela in lusciniam.

5. Cyclops et Acis.

Cyclops dicitur nympham amasse Galateam. Quae quum Acin quendam pastorem amaret et Polyphemum sperneret, ille iratus Acin necavit, qui postea Galateae miseratione in fontem mutatus est, qui hodieque ab Acide Acis dicitur.

6. Silvanus et Cyparissus.

Silvanus deus est silvarum. Hic amavit puerum, Cyparissum nomine, qui habebat mansuetissimam cervam. Hanc quum Silvanus nescius occidisset, puer extinctus est dolore; quem amator deus in cypressum, arborem nominis ejus, convertit, quam pro solatio portare dicitur.

7. Ceres et Proserpina.

Ceres quum raptam a Plutone Proserpinam diu quaesisset, tandem aliquando eam esse apud inferos comperit. Pro qua re quum Jovis implorasset auxilium, ille respondit, posse eam reverti, si nihil apud inferos gustasset. Illa autem punici mali in Elysio grana gustaverat. Quam rem Ascalaphus, Stygis filius, prodidit. Ideo Proserpina ad superos remeare non potuit. Sane Ceres postea meruisse dicitur, ut Proserpina sex esset cum matre mensibus, sex cum marito. Quod ideo fingitur, quia Proserpina ipsa est et luna, quae toto anno sex mensibus crescit, sex deficit, scilicet per singulos menses quindenis diebus; ut crescens apud superos, et deficiens apud inferos videatur.

8. Celeus et Triptolemus.

Eleusis civitas est Atticae provinciae, haud longe ab Athenis. In qua quum regnaret Celeus, et Cererem, quaerentem filiam, liberalissime suscepisset hospitio, illa pro remuneratione ostendit ei omne genus agriculturae; filium etiam ejus Triptolemum, recens natum, per noctem igne fovit, per diem divino lacte nutrivit; et eum, alatis serpentibus superpositum, per totum orbem misit ad usum frumentorum hominibus indicandum.

9. Ceyx et Alcyone.

Ceyx, filius Luciferi, habuit uxorem Alcyonem. A qua quum prohibitus esset ad consulendum Apollinem de statu regni sui, naufragio periit. Cujus corpus quum ad uxorem Alcyonem fuisset delatum, illa se praecipitavit in pelagus. Postea miseratione Thetidis et Luciferi conversi sunt ambo in aves marinas, quae alcyones vocantur. Istae autem aves nidos faciunt in mari media hieme; quibus diebus tanta est tranquillitas, ut penitus in mari nihil possit moveri. Inde et dies ipsi *alcyonia* nominantur.

10. Ceres et Lycii.

Quum Ceres filiam suam Proserpinam quaereret, ad relevandam sitim accessit ad quendam fontem. Tunc Lycii rustici, a potu eam prohibentes, aquam pedibus conturbaverunt. Lyncus autem quum contra eam turpem sonum emitteret, illa irata eum in Scythia, ubi Triptolemum occidere voluerant, in lyncem feram convertit.

1 * (isset I 175

11. Titanes et Gigantes.

Titanas et Gigantas Terra, id est Ceres, irata ob sui atque Tantali derisionem, genuit ex se contra Saturnum, et postea contra Jovem, sed et ad omnes deos expellendos, in ejus ultionem. Qui montium supra montes aggestu et congerie in caelum voluerunt ascendere, et deos inde propellere. Ad quos oppugnandos Juppiter omnes deos convocavit; et venerunt inter ceteros Liber pater, Vulcanus, Satyri, Sileni, asellis vecti; quorum videlicet asinorum nimio confuso clamore, Gigantibus inaudito, hostes Titanes territi fugere; quamvis antea et ipsi dii, Typhoei Gigantis aspectu perterriti, in diversa monstra et animalia transformati, aufugissent. Juppiter autem auxilio aquilae, quae fulmina sibi portans ministrabat, eos devicit, et in Aetna conclusit, absque uno Titane Sole.

12. Pelops.

Tantalus, pater Pelopis, Gigas, volens tentare divinitatem deorum, Pelopem filium suum eis epulandum apposuit. Unde pro hac feritate damnatus est, ut in Eridano stans flumine, siti pereat, fameque laborans poma, quae sunt in praefati fluminis ripa, videat nec contingat. Postea dii, punito Tantalo, quum voluissent filium ejus revocare ab inferis, Ceres, quae in convivio, ceteris diis abstinentibus, sola brachium Pelopis consumserat, eburneum brachium ei restituit. Quod ideo fingitur, quia Ceres ipsa est terra, quae universa corpora consumit, ossa tamen reservans.

13. Tityus.

Tityus unus fuit Gigantum, qui volens cum Latona concumbere, sagittis Apollinis et Dianae interfectus est; et ita damnatus est apud inferos, ut duo vultures, ei appositi et sibi succedentes, jecur illius comedant, semper ad redivivam renascens poenam.

14. Ixion.

Ixion Gigas volens concumbere cum Junone, opposita ei est nubes, cum qua rem habuit. Et quum idem jactaret se quasi de conjugio Junonis, hac lege damnatus est, ut rotam serpentibus innexam semper contra montem apud inferos volvat.

15. Circe.

Circe, Solis filia, in insula Aeaea sedens, delatos ad se in feras mutabat. Ad hanc forte delatus Ulixes, Eurylochum cum viginti et duobus sociis misit, quos ab humana specie in feras commutavit. Sed Eurylochus inde fugit, et Ulixi nunciavit. Is solus ad eam proficiscebatur. Cui in itinere Mercurius remedium dedit, monstravitque, quomodo Circen deciperet. Qui postquam ad eam venit, ab ea poculo accepto, Mercurii remedium miscuit, et eduxit ensem, eique minatus est, ut sibi socios restitueret. Tunc Circe sensit, sine voluntate deorum hoc non factum esse, fideque data, socios ei restituit. Ipse vero cum ea rem habuit, et Telegonum ex ea procreavit, cujus manu postea occisus occubuit.

16. Tiresias.

Tiresias dum iret per silvam, vidit duos serpentes coire. Quos quum virga percussisset, in feminam mutatus est. Post octo annos dum videret eos similiter concumbentes, et eos rursus percuteret, in pristinam restitutus est naturam. Et quum inter Jovem et Junonem lis esset, in quo sexu major esset sensus suavitas, adhibitus est iste judex, qui utrumque sexum fuerat expertus; et interrogatus dixit, femineam voluptatem triplo majorem esse virili. Quam ob rem Juno irata privavit eum oculis, quasi gratiosum in Jovem, et injuriosum in se. Ob quam injuriam quum obcaecatus esset, Juppiter futurorum ei praebuit praescientiam.

17. Lycaon.

Juppiter, humani sceleris impatiens, simulata hominis specie ad Lycaonem, regem Arcadiae, venit, qui ipsi, quasi mortali, praeparans mortem, humana membra devoranda apposuit. Quae postquam Juppiter sensit, non eum penitus interemit; sed, ne supplicii amitteret sensum, lupi eum in formam convertit, qui adhuc et mores in rabie, et nomen Lycaonis in appellatione servat. Idem Lycaon habuerat filiam Callisto. Quam quum vitiasset Juppiter, Juno eam in ursam convertit; postea Juppiter miseratus, in signum transtulit caeleste.

18. Io et Argus.

Io, Inachi regis vel Iasi filia, quum aequales specie sua praecelleret, a Jove adamata est, qui admotis precibus desiderium explevit: et, ne puella Junonis iram procuderet,

a compressore in vaccam transfigurata est. Cujus quum Juno fallaciam deprehendisset, petiit vaccam a Jove velut munus sibi dari, eo quod speciosior esset ceteris armentis, quae in Peloponneso cernuntur. Juppiter vero, ne, si negasset, stuprum proderet, puellam tradidit. Juno, ne pellex ejus amplius Jove potiretur, Argum, centum oculos habentem, ei custodem praefecit, quem Mercurius jussu Jovis interemit. Juno Argum, quia ob custodiam sibi mortuus erat, in pavonem transformavit, et receptum in suam tutelam pennis insignibus amissa lumina exornavit. Io quum Furiis exagitata, orbem terrarum peragrasset, novissime in Aegyptum delata est. Ibi placata Junone a Jove, pristinam formam recepit, atque nominabatur Isis.

19. Icarus et Erigona.

Icarus, pater Erigonae, quum acceptum a Libero patre vinum mortalibus indicasset, occisus est a rusticis, qui quum plus aequo potassent, ebriati, se venenum accepisse, crediderant. Hujus canis est reservus ad Erigonam filiam, quae quum, ejus comitata vestigia, pervenisset ad patris cadaver, laqueo vitam finivit. Haec deorum miseratione inter astra relata est, quam *virginem* vocant. Canis quoque ille inter sidera collocatus. Sed per aliquantum tempus Atheniensibus morbus immissus est talis, ut eorum virgines quodam furore compellerentur ad laqueum. Responditque oraculum, sedari posse illam pestilentiam, si Erigonae et Icari cadavera requirerentur. Quae quum diu quaesita nusquam invenirentur, ad ostendendam suam devotionem Athenienses, ut et in alieno ea quaerere viderentur elemento, suspenderunt de arboribus funem, ad quem se tenentes homines huc atque illuc agitabantur, ut quasi et per aërem illorum cadavera quaerere viderentur. Sed quum inde plerique caderent, inventum est, ut formas ad oris sui similitudinem facerent, et eas pro se suspensas moverent. Unde *oscilla* dicta sunt ab eo, quod in his *oscillarentur*, id est *moverentur ora*.

20. Iphigenia, Orestes et Pylades.

Graeci dum irent contra Trojam, et ad insulam, quae Aulis vocabatur, venissent, Agamemnon rex, volens se sagittis exercere, vidit cervam Dianae, quam, ejus ignorans esse, interfecit. Ventis autem contrariis ibi diu detenti, ex oraculo Apollinis responsum est, Agamemnonio sanguine ventos esse placandos. Tunc Ulixes, ut erat astutissimus, in patriam reversus, filiam Agamemnonis Iphigeniam, simulans

nuptias, secum adduxit. Adducta autem quum jam in eo esset, ut immolaretur, Minerva miserta, circumstantium oculis nubem opposuit, et pro eadem cervam, ut dicitur, apposuit. Illa autem, translata ad Tauricam regionem, Scytharum regi Thoanti tradita est, sacerdosque facta Dictynnae Dianae. Quum secundum statutam consuetudinem humano sanguine, et maxime hospitum, numen placaret, agnovit fratrem Orestem, qui accepto oraculo, curandi furoris causa, cum amico fidissimo Pylade Colchos petierat. Et cum his, occiso Thoante, simulacrum sustulit absconditum fasce lignorum (unde et *Fascelis* dicitur, non tantum a *face*, cum qua pingitur), et Ariciam detulit.

21. Hippodame.

Hippodame filia fuit Oenomai, regis Elidis et Pisarum. Hic equos habuit velocissimos, utpote ventorum flatu creatos; qui procos filiae multos necavit, sub hac conditione provocatos ad curule certamen, ut aut victus traderet filiam, aut victos necaret. Postea quum Pelopem amasset Hippodamia, corrupit Myrtilum, aurigam patris, primi amoris pactione; qui factis cereis axibus quum, victore Pelope, a puella promissum posceret praemium, ab ejus praecipitatus est marito in mare, cui nomen imposuit: nam ab eo Myrtoum dicitur pelagus.

22. Myrtilus, Atreus et Thyestes.

Mercurius, aegre ferens, a Pelope Myrtilum, filium suum, in mare praecipitatum spoliatumque vitae lege, repperit vindictam, qua consolaretur orbitatem. Nam Pelopis filiis, Atreo et Thyestae, tantum discordiae injecit, ut germanitatis jura disrumperent. Quum igitur alternis vicibus regnum regerent, et sciret Thyestes, regnum penes eum fataliter mansurum, qui arietem aurei velleris haberet, quem tum Atreus, regnum ingressus, custodiebat, corrumpens Europam, fratris sui uxorem, eum ad se transferri posse sperabat. Quod ille postquam didicit, eum cum duobus filiis expulit, et postea, simulata gratia, ad eum misit, eique, ad se vocato, filios suos interemtos apposuit epulandos; eidemque post epulas filiorum capita signum convivii ostendit feralis. In cujus rei ultionem quum Thyestes consulta de oraculis posceret, responsum est, per eum certam venire vindictam, qui ex ipso et filia Pelopia natus esset. Unde ille, cito amplexus, filiae invadit, ex qua natus est puer, quem illa in silvas propter conscientiam incestus abjecit. Hic, caprae uberibus nutritus, ex eadem re Aegisthus nomen

accepit; Atreum vero, quum adolevisset, in vindictam patris occidit. Inde et Agamemnonem, quum Clytemnestram uxorem ejus adulterasset, Aegisthus interfecit. Quem postea Orestes, filius Agamemnonis, cum ea, quam adulteraverat, occidit.

23. Phrixus et Helle.

Phrixus et Helle fratres, et Athamantis regis et Nephelae filii fuerunt. Hi insania Liberi abjecti quum in silva errarent, Nephele mater eorum dicitur venisse, et arietem, vellere aureo insignitum, exhibuisse, in quem praedictos filios suos jussit ascendere, et in Colchos ad regem Aeetam transire, ibique arietem immolare. — Vel aliter. Quum Nephele, quae et Nubes, insania Liberi patris concita, silvam peteret, nec larem mariti repeteret, filiis suis, Phrixo et Hellae, Athamas novercam, nomine Inonem, superduxit; quae novercali odio pueris exitium machinans, matronas rogavit, ut frumenta serenda corrumperent. Quo facto, fames innata est. Quum ad Apollinem consultum civitas misisset, Ino eum, qui missus fuit, corrupit, ut referret, ab oraculo dictum, filios Nubis immolandos; nam et ipsa dixit, eos frumenta incendisse. Pater, timens populi invidiam, filios suos arbitrio novercae commisit, sed occulte illis remedium dedit. Nam Phrixum, mortis suae ignarum, submisit, ut arietem, aureum vellus habentem, adduceret; qui, Junonis nutu admonitus, ut cum sorore fugeret, confestim se cum ea morti subtraxit. Deinde quum arieti adhaerentes mare supernatarent, Helle puella in mare cecidit, et nomen ponto dedit: nam ex illa Hellespontus dicitur. Phrixus, ad Colchos delatus, arietem immolavit, et vellus aureum Martis templo dedicavit, quod draco custodiebat insomnis. Aeeta rex Phrixum libens recepit, filiamque uxorem dedit. Et quum ex ea liberos accepisset, veritus Aecta, ne se a regno dejiceret (quod ei responsum a diis fuerat: *ab advenae progenie mortem caveret*) Phrixum interfecit. At filii ejus ratem ascenderunt, ut ad avum Athamantem transirent. Hos naufragos Aeson excepit. Postea Iason Colchos profectus est pro vellere aureo tollendo, et draconem occidit, et vellus sustulit.

24. Pelias et Iason.

Pelias, vel Peleus, rex Peloponnesi, cujus frater erat Aeson, qui Aeson filium, nomine Iasonem, habuit. Igitur praedictus Pelias filium fratris timuit ob virtutem ejus ac

probitatem, ne se dejiceret de regno; et ob hanc causam eum Colchos misit, ut inde detulisset pellem auream, in qua Juppiter in caelum ascendit. Putavit enim, causam ipsi esse mortis. Argus autem quidam fecit navem, a suo nomine quae dicta est Argo, a qua dicti sunt Argonautae Iason et socii ejus. Typhis vero ejus gubernator erat. Qui navigantes Colchos, in via pervenerunt Trojam; quos Laomedon, rex Trojae, in portum ire non permisit. Inde reversi sunt, dicentes ea, quae sibi Laomedon, rex Trojae, fecit. Qua ex causa Pelias et Hercules Trojam venerunt; a quibus expugnata est, et Laomedon interfectus.

25. Iason.

Iason quum responso Apollinis Colchos peteret ad rapiendum vellus aureum, quod Phrixus Marti dicaverat, eo obtentu, ut tauros, qui apud Colchos erant indomabiles, primum sub juga mitteret; Medea, summa veneficarum, pulchritudinem ejus mirata, egit suo veneficio, ut tauros subjugaret, et pervigilem draconem occideret. Quo occiso, ejusdem dentes sevit junctis tauris, Vulcani ignem efflantibus: unde nati homines mutuis vulneribus se conciderunt. Has autem ei conditiones Aeeta rex proposuerat, cui Apollo responderat, tamdiu eum regnaturum, quamdiu illud vellus fuisset in templo. Iason, aureo vellere potitus, postea Medeam uxorem habuit. Sed quum induceret pellicem, nomine Glaucen, filiam Creontis, Medea dedit tunicam pellici suae, infectam venenis et allio. Quam quum indueret, coepit cremari incendio. Tunc Medea animum Iasonis, contra saevientis, non sustinens, alato serpente aufugit.

26. Orithyia.

Orithyia, Erechthei regis Atheniensium filia et Pentheileae, virgo pulcherrima, ab Aquilone vento adamata est; et nupta, ex ipso duos filios habuit, Zeten et Calain, pennatos juvenes, qui inter Argonautas cum Iasone fuerunt, et a Phineo Harpyias fugavere.

27. Phineus.

Phineus rex fuit Arcadiae. Hic suis liberis superduxit novercam, cujus instinctu eos caecavit. Ob quam rem irati dii ei oculos sustulerunt et adhibuerunt Harpyias. Quae quum ei diu cibos abriperent, Iasonem cum Argonautis, propter vellus aureum Colchos petentem, suscepit hospitio; cui et

ductorem dedit. Hoc ergo beneficio illecti Argonautae, Zeten et Calain, filios Boreae et Orithyiae, alatos juvenes, ad pellendas Harpyias miserunt. Quas quum strictis gladiis persequerentur pulsas de Arcadia, pervenerunt ad insulas, quae appellabantur Plotae. Et quum ulterius vellent tendere, ab Iride moniti, ut desisterent a Jovis canibus, suos converterunt volatus: quorum conversio, id est στροφή, nomen insulis dedit. Ut autem canes Jovis dicerentur, haec ratio est, quia ipsae *Furiae* dicuntur. Unde et avari finguntur Furias pati, quia abstinent partis. Sane apud inferos *Furiae* dicuntur et *canes*, apud superos *dirae* et *aves:* in medio vero *Harpyiae* dicuntur; unde duplex in his invenitur effigies.

28. Leander et Hero.

Sestus et Abydus urbes vicinae erant, et interfluentis maris arto divisae. Una earum celebris extitit per Leandrum, pulcherrimum juvenem; altera per Hero, pulcherrimam mulierem; quibus absentibus, amor imis concaluit mentibus. Juvenis autem, impatiens ignis, omni modo quaerebat obtinendae virginis copiam. Sed nullo ad Hero terra aditu invento, simul calore et audacia impulsus, se ponto tradidit; sicque natando singulas noctes puellam adiit, oblato ex adverso turris lumine, puellae studio, quo nocturnum iter ad eam dirigere posset. Quadam vero nocte quum acrius solito imminens ventus faculam extingueret, errando et inscius, quo cursum teneret, nando interiit. Cujus corpus quum postero die ejectum in litore fluctibus Hero vidisset, dolore instincta a culmine cecidit. Sic cum quo sortita fuit partem mundanae voluptatis, cum eo et pertulit damnum mortiferae acerbitatis.

29. Cleobis et Bito.

Quum mos esset, Argivam sacerdotem junctis bubus ire ad templa Junonis, et sollemni die non invenirentur boves (pestilentia enim, quae per Atticam transierat, universas consumserat), duo sacerdotis filii, Cleobis et Bito, matrem, subeuntes jugo, ad templa duxere. Tum Juno, probans eorum religionem, obtulit matri, ut, quod vellet, posceret filiis. Illa pia responsione ait, ut, quod sciret dea utile mortalibus, ipsa praestaret. Altero itaque die sacerdotis juvenes reperti sunt mortui. Ex quo probatum est, nihil esse morte praestantius.

30. Amulius et Numitor.

Amulius et Numitor fratres fuerunt. Amulius fratrem imperio pepulit, et filium ejus necavit: filiam vero Iliam Vestae sacerdotem fecit, ut spem sobolis auferret, a qua se punitum iri cognoverat. Hanc, ut multi dicunt, Mars compressit; unde nati sunt Remus et Romus, quos cum matre Amulius praecipitari jussit in Tiberim. Tum, ut quidam dicunt, Iliam sibi amnis fecit uxorem: pueri vero expositi ad vicinam ripam sunt. Hos Faustus repperit pastor, cujus uxor erat nuper meretrix, Acca Larentia, quae susceptos aluit pueros. Hi postea avum suum Numitorem, occiso Amulio, in regnum revocarunt. Quibus dum cum avo angustum Albae videretur imperium, recesserunt, et captatis auguriis urbem condiderunt. Sed Remus prior sex vultures vidit; Romus postea duodecim. Quae res bellum creavit, in quo extinctus est Remus; et a Romi nomine Romani appellati. Ut autem pro Romo Romulus diceretur, blandimenti genere factum est, quod gaudet diminutione. Quod a lupa dicuntur alti, fabulosum figmentum est ad celandam auctorum Romani generis turpitudinem. Nec incongrue fictum est: nam et meretrices *lupas* vocamus; unde et *lupanaria:* et constat hoc animal esse in tutela Martis.

31. Lyncus.

Lyncus rex Scythiae fuit, qui missum a Cerere Triptolemum, ut omnibus frumenta ministraret, susceptum hospitio, ut in se tanta gloria migraret, interimere cogitavit. Ob quam rem irata Ceres eum convertit in lyncem feram varii coloris, ut ipse variae mentis extiterat

32. Oenopion.

Oenopion rex quum liberos non haberet, a Jove, Mercurio Neptunoque, quos hospitio susceperat, hortantibus, ut ab his aliquid postularet, petiit, ut sibi concederent liberos. Illi, intra corium immolati sibi bovis urina facta, praeceperunt, ut obrutum terra, completis maternis mensibus, solveretur. Quo facto, inventus est puer, cui nomen ab urina impositum est, ut Orion diceretur. Qui, postea venator factus, quum vellet cum Diana concumbere, ut Horatius dicit, ejus sagittis occisus est; ut Lucanus, immisso scorpione periit: et deorum miseratione inter sidera collocatus est.

33. Orion.

Orion, praedictus filius Neptuni, venator acerrimus fuit. Is abiens ad Minoën, Cretensium regem, hospitio susceptus est, et tentavit filias ejus violenter rapere. At vero Minos Libero patri, cujus filius videbatur, immolavit. Igitur Liber pater misit Satyros, qui Orionem ebriosum ligaverunt, et vinctum Minoi tradiderunt, ut ipse eum puniret. Tunc ille oculos ejus eruit. Postea vero Orion didicit responso, lumina se recepturum, si ad orientem venisset. At ille sonum Cyclopum, fulmina fabricantium, auribus secutus, unum ex ipsis rapuit, et humeris impositum rogavit, ut se ad orientem dirigeret. Sic productus ad orientem, lumen recepit.

34. Amaracus.

Amaracus regius unguentarius fuit, qui casu lapsus, dum ferret unguenta, majorem ex confusione odorem creavit: unde optima unguenta amaracina dicuntur. Hic postea in herbam sampsuchum versus est, quam nunc et amaracum dicunt.

35. Palamedes.

Palamedes quum delectum per Graeciam ageret, simulantem insaniam Ulixen duxit invitum. Quum enim ille, junctis dissimilis naturae animalibus, salem sereret, filium ei Palamedes opposuit. Quo viso, Ulixes aratra suspendit; et, ad bellum ductus, habuit justam causam doloris. Postea quum Ulixes, frumentatum missus, ad Trojam nihil advexisset, a Palamede est vehementer increpitus. Et quum diceret, adeo non esse neglegentiam suam, ut ne ipse quidem, si pergeret, quicquam posset advehere; profectus Palamedes infinita frumenta devexit. Qua invidia Ulixes auctis inimicitiis, fictam epistulam Priami nomine ad Palamedem, per ..... transmissum, dedit captivo, et eum in itinere fecit occidi. Haec inventa, more militiae, regi allata est et lecta principibus convocatis. Tunc Ulixes, quum se Palamedi dissimularet, ait: *Si verum esse non creditis, in tentorio ejus aurum quaeratur.* Quo facto, et invento auro, quod ipse per noctem, corruptis servis, absconderat, Palamedes lapidibus interemtus est. Hunc autem constat fuisse prudentem. Nam et tabulam ipse invenit ad comprimendas otiosi seditiones exercitus. Secundum quosdam ipse repperit litteras; quae res forte sit dubia. Tamen certum est, χ ab hoc inventam cum aspiratione.

36. Achilles.

Achilles, a matre tinctus in Stygia palude, toto corpore invulnerabilis fuit, excepta ea parte, qua tentus fuit. Qui quum amatam Polyxenam in templo accipere statuisset, insidiis Paridis, post simulacrum latentis, occisus est. Unde fingitur, quod, tenente Apolline, Paris direxerit tela.

37. Latona et Asterie.

Post Latonae nuptias Juppiter quum etiam ejus sororem Asterien vitiare vellet, illa optavit a diis, ut in avem converteretur, versaque in coturnicem fuit. Et quum vellet mare transfretare, quod est coturnicum, afflata a Jove et in lapidem conversa, diu sub fluctibus latuit. Postea, supplicante Jovi Latona, levata superferri aquis coepit. Haec primo Neptuno et Doridi fuit consecrata. Postea quum Juno, Pythone immisso, gravidam Latonam persequeretur, (haec), terris omnibus expulsa, tandem aliquando applicans se litoribus, a sorore suscepta est, et illic Dianam primo, post Apollinem peperit; qui statim, occiso Pythone, ultus est matris injuriam. Sane nata Diana parturienti Apollinem matri dicitur praebuisse obstetricis officium. Unde quum Diana sit virgo, tamen a parturientibus invocatur; haec namque est Juno Diana Proserpina. Nata igitur duo numina terram sibi natalem errare non passa sunt, sed eam duabus insulis religaverunt. Veritas vero longe alia fuit. Nam haec insula quum terrae motu laboraret, qui fit sub terris latentibus ventis, oraculo Apollinis terrae motu caruit. Nam praecepit, ne illic mortuus sepeliretur, et jussit quaedam sacrificia fieri. Postea e Mycono Gyaroque, vicinis insulis, populi venerunt, qui eam tenerent. Quod autem dicimus, Dianam primo natam, rationis est. Nam constat, primum noctem fuisse, cujus instrumentum est luna, id est Diana; post diem, quem sol efficit, qui est Apollo. Ut autem Delos primo Ortygia diceretur, factum est a coturnice, quae Graece ὄρτυξ vocatur; Delos autem, quia diu latuit, et postea apparuit. Nam δῆλον Graeci *manifestum* dicunt. Vel, quod verius fuit, quia, quum ubique Apollinis responsa obscura sint, manifesta illic responsa dantur. Delos autem et civitas dicitur et insula. Unde interdum recipit praepositionem.

38. Hesperides.

Hesperides, Atlantis et Nymphae filiae, secundum fabulam hortum habuerunt, in quo erant mala aurea, Veneri con-

secrata, quae Hercules missus ab Eurystheo, occiso pervigili dracone, sustulit. Revera autem nobiles fuerunt puellae, quarum greges abegit Hercules, occiso eorum custode. Unde *mala* fingitur sustulisse, hoc est oves. Nam μῆλα dicuntur oves, et μηλονόμος dicitur pastor ovium.

39. Atalante et Hippomenes.

Schoenos civitas est. Exinde virgo fuit Atalante, praepotens cursu, adeo ut tres sponsos provocatos ac victos occiderit. Postea Hippomenes Venerem, ut sibi adesset, rogavit. A qua quum accepisset de horto Hesperidum tria mala aurea, provocavit puellam, et singula coepit jacere. Tunc Atalante, cupiditate colligendorum malorum retenta, superata est. Sed Hippomenes, potitus victoria, in luco matris deorum, impatientia compulsus, cum victa Atalante rem habuit. Unde irata dea in leones eos convertit, et suo currui subjugavit, et praecepit, ne umquam leones coirent. Nam et Plinius in Naturali Historia dicit, leonem cum parda, et pardum cum leaena concumbere. Ideo autem mater deorum curru vehi dicitur, quia ipsa est terra, quae pendet in aëre. Ideo sustentatur rotis, quia mundus rotatur et revolubilis est. Ideo ei subjugantur leones, ut ostendatur, maternam pietatem totum posse superare. Ideo Corybantes ejus ministri, et cum strictis gladiis esse finguntur, ut significetur, omnes pro terra sua debere pugnare. Quod autem turritam gestat coronam, ostendit, superpositas terrae esse civitates, quas insignitas turribus constat.

40. Helenus.

Helenus apud Arisbam captus a Graecis fuit, et indicavit coactus fata Trojana, in quibus etiam de palladio. Unde dicitur a Pyrrho meruisse regna, quoniam praedixerat Pyrrho, ut per terram rediret, dicens, omnes Graecos (quod et contigit) naufragio esse perituros. Tunc Diomedes et Ulixes, ut alii dicunt, cuniculis, ut alii, cloacis, ascenderunt arcem, et occisis custodibus sustulere simulacrum. Ideo autem hoc negotium his potissimum datur, quia cultores fuerunt Minervae. Hoc quum postea Diomedes haberet, credens, sibi non esse aptum propter sua pericula, transeunti Aeneae offerre conatus est. Sed quum se ille, velato capite sacrificans, convertisset, Nautes quidam accepit simulacrum. Unde Minervae sacrificia non Julia gens habuit, sed Nautarum. Quamquam alii dicant, simulacrum hoc a Trojanis

absconditum fuisse intra extructum parietem, postquam agnoverant, Trojam esse perituram. Quod postea bello Mithridatico dicitur Fimbria quidam Romanus inventum vindicasse, quod Romam constat advectum. Et quum responsum fuisset, illic imperium fore, ubi et palladium, adhibito Mamurio fabro, multa similia facta sunt. Verumtamen cognitum hastae oculorumque nobilitate est ab una tantum sacerdote. Dicunt sane alii, unum simulacrum caelo lapsum apud Athenas tantum fuisse. Alii duo volunt; hoc, de quo diximus, et illud Atheniense.

41. Andromache et Molossus.

Consuetudinis regiae fuit, ut legitimam uxorem non habentes, aliquam, licet captivam, tamen pro legitima haberent; adeo ut liberi ex ipsa nati succederent. Itaque Pyrrhus captivam Andromachen quasi legitimam habuit, et ex ea filium Molossum suscepit. Postea quum vellet Hermionen, Menelai et Helenae filiam, Oresti jam ante desponsatam, ducere uxorem, Orestis insidiis in templo Delphici Apollinis occisus est. Verum moriens praecepit, ut Andromache, quae apud eum conjugis locum tenuerat, Heleno daretur propter beneficium, quo eum a navigatione prohibuerat. Inde factum est, ut teneret et regnum privigni, qui successerat patri; a quo Molossia dicta est pars Epiri, quam Helenus a fratre Chaone, quem in venatu per ignorantiam dicitur occidisse, Chaoniam nominavit, quasi ad solatium fratris extincti.

42. Sirenes.

Sirenes, secundum fabulam tres, parte virgines fuerunt, parte volucres, Acheloi fluminis et Calliopes Musae filiae. Harum una voce, altera tibiis, alia lyra canebat. Et primo juxta Pelorum, post in Capreis habitaverunt, quae illectos suo cantu in naufragia deducebant. Secundum veritatem meretrices fuerunt, quae transeuntes quoniam deducebant ad egestatem, his fictae sunt inferre naufragia. Has Ulixes contemnendo deduxit ad mortem.

43. Venus et Pasiphaë.

Indicato a Sole adulterio Martis et Veneris, Vulcanus minutissimis catenis lectulum cinxit, quibus Mars et Venus

ignorantes implicati sunt, et cum ingenti turpitudine resoluti sub testimonio cunctorum deorum. Quod factum Venus vehementer dolens, stirpem omnem Solis persequi infandis amoribus coepit. Igitur Pasiphaë, Solis filia, Minois regis Cretae uxor, tauri amore flagrabat, et arte Daedali inclusa intra vaccam ligneam, septam corio juvencae pulcherrimae, cum tauro rem habuit: unde natus est Minotaurus, qui, intra labyrinthum inclusus, humanis carnibus vescebatur. Sed Minos de Pasiphaë habuit liberos plurimos, Androgeum, Ariadnen, Phaedram. Sed Androgeus quum esset athleta fortissimus, et superaret in agonibus cunctos apud Athenas, ab Atheniensibus et vicinis Magarensibus conjuratis occisus est. Quod Minos dolens, collectis navibus, bella commovit: et victis Atheniensibus poenam hanc statuit, ut singulis quibusque annis VII. de filiis, et VII. de filiabus suis edendos Minotauro mitterent. Sed tertio anno Aegei filius Theseus missus est, potens virtute atque forma. Qui quum ab Ariadne, regis filia, amatus fuisset, Daedali consilio filo iter direxit, et, necato Minotauro, cum rapta Ariadne victor aufugit. Quae quum omnia factione Daedali Minos deprehendisset effecta, eum cum Icaro filio servandum in labyrinthum trusit. Sed Daedalus, corruptis custodibus sub faciendi muneris specie, quo simulabat, posse regem placari, ceram accepit et pennas, et inde, tam sibi quam filio alis impositis, evolavit. Icarus altiora petens, pennis solis calore resolutis, mari, in quod cecidit, nomen imposuit. Daedalus vero Sardiniam primo delatus, deinde Cumas; et in templo Apollini condito filii sui casum depinxit. Veritas autem haec est. Nam Taurus notarius Minois fuit, quem Pasiphaë adamavit, cum quo in domo Daedali concubuit. Et quia geminos peperit, unum de Minoë, et alium de Tauro, enixa esse Minotaurum dicitur. Sed inclusum Daedalum regina corruptis relaxavit custodibus; qui, amisso in mari filio, navi delatus est Cumas. Quod Virgilius tangit, dicens: *remigio alarum.* Alae enim et volucrum sunt, et navium; ut: *velorum pandimus alas.*

44. Procris.

Procris, filia Iphili, uxor Cephali fuit. Qui quum venandi studio teneretur, labore fessus, ad locum quendam ire consueverat, et illic ad se recreandum auram vocare. Quod quum saepe faceret, amorem in se movit Aurorae, quae ei canem velocissimum, Lelepam nomine, donavit, et duo hastilia inevitabilia, eumque complexa rogavit, ut, spreta uxore sua, eam amet. Ille ait, jusjurandum se habere cum conjuge mutuae castitatis. Quo audito, respondit Aurora:

ut probes conjugis castitatem, muta te in mercatorem. Quo facto, ille ivit ad Procrin, et, oblatis muneribus impetrataque re conjugali, confessus est, se esse maritum. Quod dolens illa, quum audisset a rustico, amare eum Auram, quam invocare consueverat, ad silvas profecta est, et in fruticetis latuit ad deprehendendum maritum. Qui quum more solito Auram vocaret, Procris egredi cupiens, fruticeta commovit. Sperans Cephalus feram esse, hastam inevitabilem conjecit, et interfecit uxorem (quae tamen moriens, ne Auroram duceret, postulavit).

45. Amymone et Palamedes.

Amymone, Danai filia, dum studiose in insula jaculo exerceretur, imprudens Satyrum percussit. Et quum Satyrus eam violare vellet, illa Neptuni auxilium imploravit. Quod quum Neptunus vidisset, fugato Satyro, ipse eam compressit. Ex quo conjugio natus est Belus, Palamedis pater. Unde Virgilius: *Belidae nomen Palamedis.* Neptunus vero dicitur cuspide locum, in quo Amymonem compresserat, percussisse. Unde quum aqua flueret, Lernaeus est fons dictus, et Amymones fluvius.

46. Theseus et Hippolytus.

Theseus, mortua Hippolyte, Phaedram, Minois et Pasiphaës filiam, superduxit novercam Hippolyto. Qui quum de stupro illam interpellantem contemsisset, falso delatus ad patrem est, quod ei vim vellet inferre. Theseus Aegeum patrem, ut se ulcisceretur, rogavit: qui agitanti currum Hippolyto immisit phocam in litore, qua equi territi, eum distraxerunt. Tunc Diana, ejus castitate commota, revocavit eum in vitam per Aesculapium, filium Apollinis et Coronidis, qui natus erat exsecto matris ventre, ideo quia, quum Apollo audisset a corvo, ejus custode, eam adulterium committere, iratus Coronidem, maturo jam partu, confixit sagittis, corvum vero nigrum fecit ex albo; et, exsecto ventre Coronidis, produxit Aesculapium, qui factus est medicinae peritus. Hunc postea Juppiter propter revocatum Hippolytum interemit. Unde Apollo iratus Cyclopas, fabricatores fulminum, confixit sagittis. Ob quam rem jussus est Admeti regis novem annis armenta pascere, divinitate deposita. Sed Diana Hippolytum, revocatum ab inferis, Nymphae commendavit Egeriae, et eum *Virbium*, quasi *bis virum*, jussit vocari.

47. Minos, taurus et Hercules.

Minos, Iovis filius et Europae, quum patri sacrificaturus accederet ad aras, oravit potentiam numinis, ut dignam aris

suis hostiam praeberet. Itaque subito taurus apparuit nimio candore perfusus. Quem admiratus Minos, religionis oblitus, armenti sui maluit esse ductorem: cujus etiam amore Pasiphaë fertur arsisse. Igitur contemtus a filio Juppiter, indignatus furorem tauro subjecit, qui Cretensium non solum agros, sed etiam moenia vastavit. Hunc Hercules, missus ab Eurystheo, superavit, victumque Argos perduxit; ibique consecratus ab Eurystheo est Junoni. Sed Juno exosa munus, quod ad Herculis gloriam pertinebat, taurum in Atticam regionem expulit, ubi et Marathonius appellatus est; quem postea Theseus, Aegei filius, interemit.

48. Theseus, Pirithous et Hercules.

Theseus, Aegei filius et Aethrae, quum a matre sua educatus esset, et ad puerilem venisset aetatem, petiit Atticam regionem ad cognoscendum patrem; et, ne sine laude ad eum perveniret, latrociniis Graeciam liberavit. Medea autem, repudiata ab Iasone, Aegeo nupta persuasit advenientem juvenem tauro opponere, qui vastabat Atticam regionem, dicens futurum, ut ab eo privaretur regno. Theseus vero, tauro interfecto, duplicavit regi timorem. Dein invitatum ad epulas eum perdere voluit. Tandem agnito gladio, quem apud Aethram olim reliquerat, libens agnovit filium, et Medeam, quae fuerat insidiarum causa, profugere coëgit. Post mortem vero patris ipse Athenis regnum obtinuit; consensitque Pirithoo, Ixionis filio, faciente virtute fiduciam, ut Proserpinam raperet. Qui quum descendissent ad inferos, ad saxum religatus est Pirithous nexibus draconeis; quas in perpetuum patitur poenas. Hercules vero, propter Cerberum ad infernum descendens, quum compe-risset, Theseum, carissimum sibi juvenem, haerentem in saxo, poenas luere; ut quidam dicunt, exorato Dite, ei veniam impetravit; ut alii vero, tam valide evellit eum a saxo, ut pars natium ejus haereret in saxo.

49. Hercules et Hylas.

Hercules quum accessisset comes Argonautis, Hylan, Theodamantis filium, secum duxit armigerum, admirandae pulchritudinis juvenem. Ipse vero fregerat remum in mari, dum pro suis remigat viribus: cujus reparandi gratia Mysiam petens, silvam fertur ingressus. Hylas vero quum aquatum perrexisset, conspectus a Nymphis raptus est. Quem dum Hercules quaerit, relictus ab Argonautis est in Mysia.

50. Hercules et Alcmena.

Herculis ortus fuit talis. Juppiter cum Alcmena, uxore Amphitryonis, in specie ejus concubit; ex qua natus est Hercules. Cujus ut ortus Junoni celatus esset, quae natos de pellicibus odio habuit, geminata est nox. Sed quum non latuisset Junonem, immisit duos serpentes, qui Herculem devorarent in cunis jacentem. Erant duo pueri, Iphicles de Amphitryone, Hercules de Jove. Iphicles, ab adventu serpentium territus, de cunis cecidit, et vagitu suo parentes dormientes excitavit. Qui surgentes viderunt Herculem angues elidentem, et eis guttura praefocantem.

51. Hercules et Nemeus leo.

Hercules missus ab Eurystheo, Thebanorum rege, Nemeum leonem interfecit, cujus pelle cum unguibus pro spoliis utebatur.

52. Molorchus.

Molorchus quidam pastor fuit, qui Herculem, venientem ad Nemeum leonem occidendum, liberaliter suscepit.

53. Eryx et Hercules.

Eryx Veneris et Butae filius fuit. Qui, occisus ab Hercule, ex sepultura sua monti nomen imposuit, in quo matri fecerat templum, quod Aeneae ascribit poëta: *Tum vicina astris Erycino in vertice sedes.*

54. Hercules et Ciminus lacus.

Hercules aliquando venit ad populos, qui dicebantur Cimini vel a monte vel a lacu. Et quum a singulis provocaretur ad ostendendam virtutem, defixisse dicitur vectem ferreum, quo exercebatur. Qui quum terrae esset affixus et a nullo posset auferri, eum rogatus sustulit; unde immensa vis aquarum subsecuta est, quae Ciminum lacum fecit.

55. Antaeus et Hercules.

Antaeus fuit rex Libyae, filius Terrae. Ad quem quum venisset Hercules, coepit cum eo luctari, sed non poterat eum superare. Fingebat enim se cadere: at ex matre terra vires sumebat, et fortior surgebat. Hoc cognoscens Hercules, suspensum in aëre, eliso gutture, suffocavit.

56. Hercules, Alcinous et Harpyiae.

Alcinous, Phaeacum rex, laborabat ab Harpyiis. Ad quem Hercules veniens, quum hoc agnovisset, praestolatus est earum adventum, ad mensam solita more venientium; quas vulneratas reppulit a regno. Has Ovidius *Stymphalidas* vocat.

57. Hercules et Cerberus.

Hercules, ad inferos descendens rapturus Theseum, timuit, ne Cerberus, in illum transiens, laceraret illum. Quapropter insiliens in Cerberum, traxit eum ab inferis. Quumque insolitam lucem vidisset superorum, spumam ore ejecit, ex eaque spuma dicitur nata fuisse herba venenifera, nomine aconitum. Nam Cerberus terra est, quae omnium corporum consumtrix est. Unde Cerberus dicitur quasi κρεοβόρος, id est *carnem vorans.*

58. Hercules, Deïanira, Oeneus et Centaurus.

Oeneus, Parthaonis filius, rex Aetoliae, regnique sedem habens in Calydone, Deïaniram filiam habuit, quam Hercules et Alphëus, qui et Achelous, dum peterent in conjugium, pater opposuit illis hanc legem, ut invicem conluctantes, qui in certamine alterum vinceret, ille Deïaniram uxorem duceret. Qui quum certamen inirent, Achelous, magicae artis potens, in varias se ferarum formas mutavit; et tandem in tauri speciem mutatus, ab Hercule est victus, et dextrum cornu abscissum proturbatum est. Quod Nymphae accipientes, Fortunae pro dono obtulerunt: quod Fortuna omnibus bonis implens, Copiae, ministrae suae, tradidit, ut quos Fortuna fovere vellet, copia illis exinde ad plenum manaret. Unde Horatius: *Hinc tibi copia ad plenum benigno cornu manabit bonorum opulenta ruris.* Alphëus, seu Achelous, confusus Alcidis virtute, mutatus est in amnem, elapsus hostilibus palmis; et timens semper, ne usquam appareat inimici praesentia, per concava terrarum undis Siciliae affluit. Hercules postea Deïaniram in suam potestatem accipiens, ad quendam fluvium pervenit nimiae profunditatis. Quem quum transire non posset, eam deposuit, clavamque cum reliquis armis secum transvexit, ut post exoneratus eam expedito ferret; et interim eam Nesso Centauro commendavit. Quum ergo ad illam transportandam vellet reverti, vidit eundem Nessum Centaurum cum ea rem habere. Fervens igitur ira, emissa sagitta toxicata, vulneravit eum; cujus cruor in venenum ver-

sus est. Moriens autem Nessus dixit Deïanirae: *collige tibi cruorem istum, eritque tibi pro munere a me datum. Nam si quando Herculis amor a te declinaverit, vestem, hoc cruore infectam, viro tribuens, ejus amorem revocabis tibi.* Quum igitur Hercules quandam meretricem amaret, exosa Deïanira misit ei vestem, illo veneno infectam, mandans per Licham, famulum ejus, ut hora sacrificii illam indueret. Qua indutus, adhaesit cuti illius, coepitque venenum artus illius infundere et incendere. Tunc Licham, qui ei vestem detulerat, in Euboïcas projecit undas. Se ipsum in Aetnae montis incendium misit, et sic inter deos translatus est.

59. Philoctetes et Hercules.

Philoctetes fuit Poeantis filius, Herculis comes. Quem Hercules, quum hominem in Aetna monte deponeret, petiit, ne alicui sui corporis reliquias indicaret. De qua re eum jurare compulit, et ei pro munere dedit sagittas, hydrae felle tinctas. Postea Trojano bello responsum est, sagittis Herculis opus esse ad Trojae, seu Ilii, expugnationem. Inventus itaque Philoctetes, quum ab eo Hercules quaereretur, et negaret primo se scire, ubi esset Hercules, tandem confessus est, mortuum esse. Idem quum acriter ad indicandum sepulcrum ejus cogeretur, pede locum percussit, quum nollet dicere. Postea pergens ad bellum, quum exerceretur, sagittae unius casu vulneratus est in pede, quo percusserat tumulum. Ergo quum foetorem insanabilis vulneris Graeci ferre non possent, diu equidem pro oraculi necessitate, ductum tandem apud Lemnum sublatis reliquerunt sagittis. Hic postea horrore sui vulneris ad patriam redire neglexit; sed sibi parvam Petiliam in Calabriae partibus fecit.

60. Nepotes Herculis.

Postquam Hercules migravit e terris, nepotes ejus, timentes insidias eorum, quos Hercules afflixerat multipliciter. Athenis sibi primi asylum, hoc est templum Minervae, collocarunt, unde nullus posset abduci; quod et Statius dicit: *Herculeos sedem fundasse nepotes.* Ideo ergo ait, *quod Romulus Athenis asylum retulit*, hoc est, templum fecit ad imitationem Atheniensis asyli. Quod ideo Romulus fecit, ut haberet advenas plures, cum quibus conderet Romam. Unde Juvenalis: *Et tamen ut longe repetas longeque revolvas — nomen, ab infami gentem deducis asylo.*

61. Pholus et Hercules.

Pholoë, silva Thessaliae, dicta a Pholo Centauro, qui eam incolebat; qui Pholus tempore, quo ab Eurysthco

rege missus est Hercules in Thraciam, ut Diomedis equos adduceret, qui humanis carnibus vescebantur, eum hospitio recepit. Alii, qui dicunt, quod Hercules eum occidit, susceptus ab eo hospitio, errant. Sed verius Asper et Longus Pholum tradunt adversus Centauros ab Hercule adductum, quum Herculem hospitio recepisset. Asper etiam Pholum tradit, dum sagittas Herculis stupet, qui tot Centauros occiderat, unam ex illis in pedem cecidisse; cujus vulnere sanari non potuit. Ideo credunt nonnulli ab Hercule occisum.

62. Hydra et Hercules.

Hydra fuit in Lerna, Argivorum palude, serpens, quinquaginta habens capita, vel, ut quidam dicunt, septem, qui omnem regionem devorabat. Quod quum audisset Hercules, adiens eum expugnabat, et uno caeso, tria capita crescebant (unde et Latine *excetra* est dicta). Quam postea Hydram Hercules devicit. Sed constat, *hydram* locum fuisse evomentem aquas vastantes vicinam civitatem; in quo, meatu uno clauso, multi erumpebant. Quod Hercules videns, ipsa loca exussit, et sic meatum aquae clausit. Nam hydra ab aqua est dicta. Potuisse autem haec fieri, ille indicat locus, ubi dicitur: *Excoquitur vitium, atque exundat inutilis humor.*

63. Aerumnae Herculis.

Aliae quaedam, praeter has, quae hic continentur, fabulae de Hercule finguntur. Nam fertur et Erymantheum quendam aprum occidisse; et cervo cuidam aurea cornua abstulisse; et Amazonam balteo spoliasse; et de equis Diomedis victoriam retulisse; et Lucano attestante, Ossam montem, superpositum a Gigantibus Olympo, dejecisse; sub uno anhelitu CXXV passus cursu pedum percurrisse. Quae tamen praedictae fabulae ideo hic non plene scribuntur, quia raro inveniuntur.

64. Eurystheus et Hercules.

Eurystheus rex fuit Graeciae, Persei genus, qui Junonis instinctu imperabat Herculi, ut varia monstra superaret, quibus posset perire. Unde eum durum poëta appellavit, qui potuit ad complendum odium novercale sufficere.

65. Busiris et Hercules.

Busiris rex fuit Aegypti, Qui quum susceptos hospites immolaret, ab Hercule interemtus est, quum etiam eum voluisset occidere.

66. Cacus et Hercules.

Cacus filius Vulcani fuit, ignem ore vomens, qui vicina omnia populabatur; quem Hercules occidit. Secundum veritatem fuit Evandri servus pessimus et fur; et ideo *Cacus* dicitur, quod Graece *malum* sonat. Ignem ore vomere dicitur, quia agros igne vastabat.

67. Myrmidones.

Aeacus, Jovis filius, quum in arbore fici formicas, id est *μύρμηκας*, vidisset, optavit tot sibi socios evenire. Et statim formicae in homines versae sunt. Sed hoc fabula est. Nam, ut Eratosthenes dicit, Myrmidones dicti sunt a rege Myrmidone.

68. Geryon et Hercules.

Geryon rex insulae Erythiae vel Hispaniae fuit, et ideo tergeminus vel tricorpor dicitur, quia tria capita habuit, (vel secundum alios, quinquaginta tria capita), vel quia tribus insulis imperavit, vel quia tres fratres concordissimi fuerunt. Ad quem interficiendum Eurystheus, Junonis instinctu, Herculem misit, sperans eum ibidem interiturum. Illuc pergens Hercules cum aerea olla et bicipiti cane (*aerea olla*, ob aeratas naves; *bicipiti cane*, quia et navali et terrestri proelio plurimum valuit) venit ad oceanum; et, nulla nave inventa, alnum conscendit et in insulam Erythiam pervenit; ubi primum canem Orthrum interfecit, et Ethimiam filiam ejus; deinde Eurytionem pastorem, filium Martis; novissime ipsum Geryonem interfecit. Et sic victor armenta ejus in Graeciam adduxit.

69. Evander et Hercules.

Hercules primum ab Evandro non est susceptus. Postea quum filium Jovis se diceret, et morte Caci virtutem probasset, susceptus et pro numine habitus est. Denique aram maximam ei constituit. Quum ergo Hercules quaedam capita de armentis Geryonis patri suo immolare statuisset, inventi sunt duo senes Pinarius et Potitius, quibus Hercules ostendit, quali ritu se coli vellet; scilicet ut mane et vespere ei sacrificaretur. Itaque perfecto matutino sacrificio, quum ad sacrificium vespertinum prior Potitius pervenisset, iratus Hercules jussit, ut Pinarii domus epulantibus Potitiis ministraret.

70. Evander.

Evander nepos Pallantis, regis Arcadiae, fuit. Hic patrem suum occidit. Et matre suadente Nicostrata, quae postea Carmentis dicta est, expulsis veteribus colonis, loca obtinuit, ubi postea Roma constructa est: et modicum oppidum fundavit in monte Pallanteo, qui nomen habuit a Pallante, proavo Evandri.

71. Bellerophon, qui et Perseus.

Bellerophon, qui et Perseus, Glauci filius, quum ignarus ad Proetum in hospitium venisset, et uxor Proeti Stenoboea, sive Antia, illum amaret, nec ab eo impetrare potuisset, ut secum concumberet, mentita est apud virum, ab eo se compulsam pro stupro fuisse. Proetus vero ad Iobatem socerum suum misit eum; et de eadem re Bellerophonti dedit tabulas perferendas socero: quibus ille lectis, interficere talem volebat virum. Sed quum ille prudentia sua et castitatis auxilio se ab instanti periculo liberasset, tamen, ut pudicitiam periculi probaret immanitas, ad interficiendam Chimaeram missus est, quam Pegaso juvante prostravit. Denuo eum misit, ut Calydonas vinceret. Etiam illos quum vicisset, novissime Iobates agnovit, quae sibi fuisset causa tanta mala patiendi; crimina, quae in eum conficta erant, abolevit; virtute quoque magnifice collaudata, filiam suam Alcimenen dedit ei uxorem. At Stenoboea, quae et Antia, re cognita, propria manu interiit.

72. Chimaera.

Chimaera monstrum Chironis et Achemenidae filia fuit, cujus triplex dicitur forma; prima namque leonis horrebat facie; media caprae; cauda minabatur draconem. Haec quum in Lycia juxta Gargarum montem popularetur terras, a Bellerophonte interfecta est. Quidam Chimaeram dicunt non animal, sed montem Lyciae, quibusdam locis leones et capras nutrientem, quibusdam ardentem, quibusdam plenum serpentibus. Hunc Bellerophon habitabilem reddidit; unde et Chimaeram occidisse dicitur.

73. Perseus.

Perseus per Aethiopiam iter faciens, postquam Andromedam propter superbiam matris, quae se Nympharum pulchritudini praetulerat, saxo illigatam ac marinae beluae objectam vidit, captus specie ejus exarsit; pactusque est a

Cepheo et Cassiopeia, parentibus virginis, ut sibi matrimonio jungerent, si beluam interemisset. Perfecto igitur Perseus pollicito, quum fides promissa a Cepheo esset praestita, et nuptiarum conjugalium epulis principes interessent, Phineus, cui Andromeda ante fuerat desponsata, contumeliam sibi existimans gravissimam injunctam, quod advenae consanguineus postpositus esset, vescentium animos pugna confudit. Et quum res miserabilis dimicantium ageretur in regia, ac multi ex utraque parte armis, quae casus obtulisset, cecidissent, novissime Perseus. pertimescens multitudinem adversariorum, caput Gorgonis extulit. Quo viso, Phineus cum auxiliantibus diriguit.

74. Tarquinius et Lucretia.

Tarquinius Superbus habuit perditos filios, inter quos Arruntem. Qui dum in castris esset, patre suo Ardeam obsidente, et ortus esset inter eum et Collatinum, maritum Lucretiae, de uxoribus sermo, eousque processit contentio, ut ad probandos earum mores, arreptis equis, statim in domos suas simul proficiscerentur. Ingressi itaque civitatem Collatiam, ubi fuit Lucretiae domus, invenerunt eam lanificio dare operam, et tristem propter mariti absentiam. Inde Arruntis domum profecti, quum uxorem ejus invenissent cantilenis et saltationibus indulgentem, reversi ad castra sunt. Quod Arruns dolens, quum de expugnabili Lucretiae castitate cogitaret, mariti ejus nomine epistolam finxit, et dedit Lucretiae; in qua hoc continebatur, ut Arruns susciperetur hospitio. Quo facto, per noctem stricto gladio ejus ingressus cubiculum cum Aethiope hac arte egit, ut sibi morem gereret, dicens: *nisi mecum concubueris, Aethiopem tecum interimo, tanquam in adulterio deprehensam.* Timens itaque Lucretia, ne famam, castitatis amore, deperderet; quippe quam sine purgatione futuram sese cernebat; invita turpibus imperiis paruit. Et altero die convocatis propinquis, marito Collatino, patre Tricipitino, Bruto avunculo, qui tribunus equitum celerum fuerat, rem indicans, petiit, ne violatus pudor, neve inultus ejus interitus esset, conjectoque gladio se interemit. Quem Brutus de ejus corpore extractum tenens, processit ad populum, et multa conquestus de Tarquinii superbia, et filiorum ejus turpitudine, egit, ne in urbem reciperentur, auctoritate qua plurimum poterat. Nam, ut supra diximus, Brutus tribunus equitum fuerat. Sed quum non susciperetur Tarquinius, contulit se ad regem Tusciae Porsennam, qui pro Tarquinio cum ingentibus copiis, capto Janiculo et illic castris positis, Romam vehementer

obsedit. Et quum per sublicium pontem, hoc est ligneum, transire conaretur, solus Cocles hostilem impetum sustinuit, donec a tergo pons solveretur a sociis. Quo soluto, se cum armis praecipitavit in Tiberim; et licet laesus in coxa, tamen fluenta superavit. Unde est illud ab eo dictum, quum ei in comitiis coxae vitium objiceretur. *Per singulos gradus admoneor triumphi mei.* In tantam autem obsidionis necessitatem populus venerat, ut et obsides daret: ex quibus Cloelia, inventa occasione, transnatavit fluvium, et Romam reversa est. Pacis lege quae reddita rursus est, eam Porsenna repetente. Qui admiratus virtutem puellae, dedit ei optionem, ut cum quibus vellet, rediret. Illa elegit virgines. Unde Porsenna, hoc quoque miratus, concessit, et rogavit per litteras populum Romanum, ut ei aliquid virile decerneretur. Cui data est statua equestris, quam in sacra via hodie conspicimus.

75. Hymenaeus.

Hymenaeus, puer formosissimus, genere Atheniensis fuit. Is quum annos puerilis aetatis excederet, neque adhuc virum implere posset, ea pulchritudine praeditus fuisse dicitur, ut feminam mentiretur. Istum quum una ex civibus suis, virgo nobilis, adamasset, ipse, mediocribus ortus parentibus, quia nuptias desperabat, quod poterat tamen, puellam extrema amoris linea diligens, ejus animo solo satisfaciebat aspectu. Quumque nobiles feminae cum virginibus sacra Cereris Eleusinae celebrarent, subito adventu piratarum raptae sunt; inter quas et Hymenaeus, qui illo amatam subsecutus fuerat, cum puella abripitur. Quum igitur per longinqua maria praedam piratae vexissent, ad quandam regionem tandem perveniunt, ubi et somno pressi ab insequentibus sunt peremti. Hymenaeus, relictis ibi virginibus, reversus Athenas, pactus est a civibus dilectae suae nuptias, si eis filias suas restitueret. Quas ubi pro voto restituit, exoptatam accepit uxorem. Quod conjugium quia felix fuerat, placuit Atheniensibus nomen Hymenaei nuptiis miscere.

76. Orpheus et Eurydice.

Orpheus, Oeagri et Calliopae Musae filius, ut quidam putant, Apollinis filiam habuit uxorem Eurydicen. Quam dum Aristaeus, Cyrenes filius, pastor, cupidus persequitur, volens eam stuprare, illa fugiens concubitum, serpentem non devitavit; et haec ei causa mortis fuit. Orpheus, coactus desiderio conjugis, tentavit dulcedine cantus citharae lenire Ditem et Proserpinam, si posset Eurydicen ad superos revo-

care. Descendens igitur ad inferos, in miserationem eos cantu suo compulit; acceptaque lege, impetravit Eurydicen ita demum, si non ante respexisset, quam ad superos perveniret. Deinde, ut est dura amantium perseverantia, Orpheus, timens, ne non inesset pollicitis Ditis fides, respexit, et irritum fecit suum laborem. Reversus deinde ad superos, qui parum prosperas expertus erat nuptias, perosus omne genus femineum, solitudinibus se dedit.

77. Castor et Pollux.

Castor et Pollux Jovis et Ledae filii fuerunt. Qui quum adamassent Phoeben et Dianisam, conjuges Lyncei et Idae, Apharei filiorum, et vellent eas rapere, Lynceus, omnia cui videndi potestas erat, Idam fratrem in vindictam concitavit, qui telum habebat, quod divini teli similitudinem gerebat, ita ut nullus posset illud evadere. Itaque eo misso, interfecit Castorem. Quumque jam Pollucem vellet occidere, ab Jove fulmine percussus est. Pollux vero, videns suum fratrem mortuum, ad inferos descendit. Inde cum fratre recepto ad superos evasit, et Jovem oravit, ut caelestem honorem sibi traderet. Inde inter astra collocati sunt, et caelestem honorem habuerunt.

78. Cygnus et Leda.

Juppiter, amorem Ledae virginis affectans, conversus in cygnum, finxit se fugere aquilam; sed Mercurium in aquilam transmutavit. Sic in gremio Ledae receptus, cum ea rem habuit, quae peperit ovum, unde nati sunt tres, Castor, Pollux et Helena.

79. Apis.

Refert Solinus, quod inter omnia, quae Aegyptus digna memoratu habet, praecipue mirentur bovem, quem Apin vocant, insignem albae maculae nota, quae, dextro lateri ejus ingenita, refert corniculatae lunae faciem. Hunc Aegyptus ad instar numinis colit, eo quod de futuris det quaedam manifesta signa. Apparet autem Memphi, cui statutum vitae spatium est; nam mersus profundo sacri fontis necatur, ne diem longius trahat, quam licebit. Mox alter non sine publico luctu requiritur. Hunc etenim centum antistites Memphin prosequuntur, et repente, velut lymphatici, praecinunt. Dat omina manifestantia de futuris. Illud maximum, si de clientis manu cibum capiat. Hujus capitis imaginem sibi in eremo Judaei fecerunt.

30. Tydeus et Polynices.

Tydeus, Oenëi filius et Cassiopeiae, Diomedis pater. Is quum Melanippum filium suum interfecisset, exul Argos pervenit et amicitia Adrasto regi junctus est. Ipso tempore Polynices, regno expulsus a fratre suo Eteocle, qui Thebis imperavit, exul quoque ad Adrastum venit. Quum autem animadvertisset Adrastus responsum, quod ei Apollo dederat, futurum, ut filias suas daret apro et leoni (nam Polynices et Tydeus earum ferarum pellibus tecti erant), existimavit rex, eis debere filias suas in matrimonium dare. Hinc Adrastus, adscitis civibus suis, auxilium Polynici adversus Eteoclem tulit. Ibi Tydeus interfectus est. Polynices cum fratre mutuis vulneribus cecidit.

31. Synichronis et Branchus.

Cius quidam rex quum in peregrinatione pranderet in litore, ac deinde proficisceretur, oblitus est filium, nomine Synichronem. Ille pervenit in saltum patroni cujusdam; et quum esset receptus, coepit cum illius pueris capras pascere. Aliquando prendiderunt cygnum, et illum cooperuerunt. Dum ipsi pugnant, ut illum patrono munus offerrent, et quum jam essent fatigati certamine, rejecta veste, mulierem invenerunt. Et quum fugerent, revocati ab ea, moniti sint, ut patronus unice Synichronem diligeret puerum. Illi quae audierunt, patrono indicaverunt. Tunc patronus Synichronem pro suo filio nimio dilexit affectu, eique filiam suam ducendam locavit uxorem. Illa quum praegnans ex eo esset, vidit in somnis per fauces suas introisse solem, et exisse per ventrem. Infans editus ideo Branchus vocatus est, quia mater ejus per fauces sibi viderat in uterum penetrasse. Hic quum in silvis Apollinem osculatus esset, comprehensus est ab eo, et accepta corona virgaque, vaticinari coepit, et subito nusquam comparuit. Templum ei factum est, quod Branchiodon nominatur: et Apollini pariter *philesia* consecrata sunt templa, quae ab *osculo* Branchi, sive certamine puerorum, *philesia* nuncupantur.

32. Salmoneus.

Salmoneus Elidis rex fuit, qui nimia felicitate elatus, suos cives sacerdotes et sacra Jovis ad se transferre jussit, sibique religiones illius et sacra impendere. Hic, vectus per aereum pontem curru, imitabatur tonitrua, et faces in modum fulminis jaculabatur. At Juppiter, verum fulmen torquens, praecipitem in Tartara adegit.

83. Aloëus, Otus et Ephialtes.

Aloëus Iphimediam uxorem habuit, quae compressa a Neptuno duos peperit, Otum et Ephialtem, qui digitis novem per singulos menses crescebant. Freti itaque altitudine, caelum voluere subvertere; sed confixi sunt Dianae et Apollinis telis.

84. Caeculus.

Quidam infans, expositus a quodam famulo juxta focum, in quo soliti erant pastores ignem accendere, calore ductus, sese in calentes cineres misit; inventusque a pastoribus, Vulcani filius creditus est, et, ab illis educatus, Caeculus est appellatus, quia parvulos ex igne habebat oculos. Qui ad puberem aetatem veniens, civitatem in montibus construxit, quam Praeneste vocavit; vidensque illam frequentari, exstruxit theatrum ligneum, ut finitimae gentes ad eam urbem concurrerent. Quumque nullus eum filium crederet Vulcani, faces tradidit amicis suis, et, signo dato, spectatores flamma circumseptos invasit; rogatusque, et probatus filius esse Vulcani, flammas exstinxit.

85. Tres Proetides.

Proetides Proeti, regis Argivorum, de Antia sive Stenoboea, uxore ejus, filiae natae fuerunt; quarum haec sunt nomina: Chrysippe, Phinoë, Ephianassa. Quae insolentius gloriantes, Junoni suam formam praetulerunt. Hoc sentiens Juno, in insaniam immittit eas, qua putabant se vaccas esse, et quaerebant in capitibus cornua, et non inveniebant, et dabant mugitus confusos; usque dum a quodam Melampode sanatae sunt.

86. Pierides.

Pieri, regis Macedoniae, et Enipes novem filiae insolentius dum gloriantur, Musas in certamina provocaverunt cantus. Quarum una carmen exorsa est, quod Gigantes adversus deos contenderint: ex quibus Typhoeus terrigena, deformitate terruisse deos compulsos in Aegyptum. Ibi Jupiter ob metum in arietem versus est, Apollo in corvum, Liber in caprum, Diana in felem, Juno in vaccam, Venus in piscem. Invicem autem Musae quum Cereris laudem cecinissent, et qualiter Typhoeus Aetnae montis silice subjectus esset, Pierides victae in picas sunt transfiguratae.

87. Orista.

Orista, pastor Oenëi regis, quum videret caprum a grege saepius discedentem, eum secutus, uvam depascentem invenit in ripa Acheloi fluminis: quam statim expressit, ac de aqua Acheloi fluminis, juxta quam fuerat inventa, commiscuit, obtulitque regi, qui suo nomine Graeco sermone *οἶνον*, id est vinum, appellavit.

88. Liber, Silenus, Midas rex et Pactolus fluvius.

Liber, Thracia digressus, quum in Tmolo monte iter ageret, Silenus, nutritor ejus, a Phrygibus captus, ad Midam regem ductus est. Silenus autem, agnitus ab eo, acceptus est, et Libero advenienti redditus. Et ob beneficium optanti deus arbitrium ei dedit, si quid vellet, a se petere. Ille vero petit, ut, quae contigisset, aurum fierent. Quod inutile fuit. Nam coepit sui voti affectu torqueri; quia quicquid tetigerat, aurum statim efficiebatur. Cui petenti, ut restitueretur sibi, fecit. Jussit enim, ut ad flumen Pactolum perveniret, cui se supponeret, et sic rediret in pristinum statum. Quo facto, Pactolus deinceps arenas aureas trahere dicitur.

89. De ortu Panis.

Post mortem Ulixis Mercurius cum uxore ejus Penelope concubuit; quae sibi juxta oppidum Tegeam peperit filium, Pan nomine. Unde et Tegeeus dicitur.

90. Pan.

Pan quum Tmolum, montem Lydiae, frequentans, fistula se oblectaret, Apollinem in certamen evocavit, judice Tmolo. Itaque quum Apollini victoria esset adjudicata, Midae regi adsidenti soli displicuit. Quam ob causam deus iratus aures ejus asininas fecit. Ille criminis sui notam tonsori tantum ostendit, praecipiens ei, ut, si crimen ejus celaret, participem eum regni efficeret. Ille terram fodit, et secretum domini sui in defosso terrae dixit, et operuit. In eodem loco calamus est natus, unde sibi pastor tibiam fecit, quae, quum percutiebatur, dicebat: *Mida rex aures asininas habet.* Quidam tradunt, non Panem, sed Marsyam cum Apolline certasse.

91. Arachne et Minerva.

Arachne Lydia, Idmonis et Hippopes filia, studio lanificii famam quaesierat; quumque materna industria cunctas praecessisset in opere faciendo, festis diebus insolentius gloriata est, quam mortalem decuerat. Nam Minervam in certamen provocavit, quae, in anum versa, inter hoc ad eam venit, ut ejus audaciam compesceret. Quam quum vidisset in certamine permanentem, reversa in suam speciem, opere proposito in certamen descendit. Sic victa Arachne quum contumeliose a Minerva pulsa esset, suspendio se affecit. Propter studium autem, quod a Minerva acceperat, in araneam versa est, ut opere inutili nullum suum effectum capere posset.

92. Alceste.

Admetus, rex Graeciae, Alcesten in conjugio petiit, cujus pater edictum proposuerat, ut si quis duas feras sibi dispares suo curru jungeret, ipse illam in conjugio acciperet. Is Admetus Apollinem atque Herculem petiit, qui ei ad currum leonem et aprum junxerunt. Itaque Alcesten in conjugium accepit. Quum in infirmitatem cecidisset Admetus, et mori se comperisset, Apollinem deprecatus est. Ille vero dixit, se ei aliquid non posse praestare, nisi si quis se de ejus propinquis ad mortem pro eo voluntarie obtulisset; quod uxor effecit. Itaque Hercules dum ad Tricerberum canem abstrahendum descenderet, etiam ipsam de inferis levat. Admetum posuerunt in modum *mentis*; Alcesten pro *praesumtione*.

93. Neptunus et Amycus.

Neptunus quum incideret in amorem Meropes Nympbae, habuit ex ea filium Amycum, Bebryciorum regem, qui effracta lege solitus erat venientes hospites ad se recipere, et cogebat eos cestibus secum dimicare, victorque existens interficiebat eos. Hanc ejus feritatem quum multi essent perpessi, novissime in eodem certamine superatus, morte multatus est a Polluce, qui cum Argonautis pellem auream Colchis petebat.

94. Neptunus et Eryx.

Quum animadvertisset Neptunus Venerem spatiantem in litore Siculi maris, cum ea rem habuit. Ex quo gravida facta filium perperit, quem nominavit Erycem. Qui quum in Sicilia regnaret, viribus suis fidens, legem posuit venien-

tibus ad se, ut secum cestibus decertarent. Quo quum venisset Hercules, et ex Hispania ageret armenta Geryonis, cum eo congressus est, eumque superatum interfecit. A cujus nomine mons Siciliae Eryx nominatur.

95. Arion et delphinus.

Arion Lesbius citharoedus optimus fuit. Qui quum Tarento Corinthum cum multis opibus peteret, et videret sibi in mari tendi insidias a nautis, petiit, ut paululum cithara caneret. Ad cujus sonum quum delphini convenissent, se excussit supra unum, et imminens vitavit periculum.

96. Oraculum columbarum.

In Epiro dicitur nemus fuisse, in quo responsa dabant columbae. Quod ideo fingitur, quia lingua Thessalica πελειάδες et columbae et vaticinatrices dicuntur.

97. Antiopa, Zethus et Amphion.

Antiopa, Nyctei filia, ab Epapho per dolum est stuprata; quae ob id a viro Lyco est vi ejecta. Qua pulsa, Dircen duxit uxorem, imperavitque famulis, ut Antiopam vinctam in tenebris clauderent. Cui quum partus instaret, Jovis voluntate effugit vincula, et in monte Cithaerone seu Aracyntho partum exposuit, natosque Zethum et Amphionem projecit. Hos pastor quidam pro suis educavit. Quos postea quum mater agnovisset, illi, injurias ejus exsecuti, Lycum interfecerunt; Dircen vero, tauro indomito religatam, vita privaverunt. De cujus sanguine palus Dirce, quae est Thebis, facta esse dicitur. Quorum unus Amphion studium citharae habuit, et sic citharizare fertur, ut montes et silvas ac saxa ac lapides ad se vocare dicatur. Quae saxa ac lapides Zethus, frater ejus, ad Thebas duxit; diciturque Thebarum inde struxisse muros. Dircaeus vero Amphion a Dirce fonte appellatus, quia matrem ejus dii in fontem mutaverunt.

98. Nyctimene.

Nyctimene postquam cum patre rem habuit, et agnovit facinus, se in silvis abdidit, et lucem refugit; ubi deorum miseratione conversa est in avem, quae pro tanto facinore avibus est admirationi.

99. Glaucus.

Glaucus piscator fuit de Anthedone civitate. Qui quum captos pisces super herbam posuisset in litore, et illi recepto

spiritu maria petissent, sensit quandam herbarum potentiam. Quibus esis conversus est in numen marinum.

100. Glaucus et Venus.

Potnia civitas est, de qua fuit Glaucus. Qui quum sacra Veneris sperneret, illa irata equabus immisit fororem, quibus utebatur ad currum, et eum morsibus dilaceraverunt. Hoc ideo fingitur quod eis furorem Venus immiserit, quia dilaniatus est Glaucus, effrenatis nimia cupiditate equabus, quum eas prohiberet a coitu, ut essent velociores.

101. Chelone et Mercurius.

Virgo quaedam, Chelone nomine, linguae impatientis fuit. Verum quum Juppiter Junonem sibi nuptiis jungeret, praecepit Mercurio, ut omnes deos et homines atque animalia ad nuptias vocaret; quibus sola Chelone, irridens et detrahens nuptiis, venire contemsit. Quam quum Mercurius non venire notaret, denuo descendit ad terras, et aedes Chelonis, super fluvium positas, praecipitavit in mare; ipsam Chelonem in animal sui nominis convertit, quam nos *testudinem* dicimus, fecitque, ut pro poena dorso tectum prona portaret. Unde incurvatis aedificiis hoc est nomen impositum.

MYTHOGRAPHUS PRIMUS.

Liber II.

102. Saturnus et filii.

Saturnus Pollucis filius dicitur, Opis maritus, senior, velato capite, falcem ferens. Qui sic dicitur regnasse et multa sibi regna subjugasse. Unde et quia magnae potentiae fuit, pro deo summo habitus est.

Habuit ex Rhea tres filios, Jovem, Neptunum, Plutonem: quorum unus Juppiter patri naturalia resecavit et in mare projecit, et ex iis nata est Venus, dea libidinis. Hi fratres et per sortem postea mundum totum sibi diviserunt. Juppiter caelum, Neptunus mare, Pluto infernum occupavit.

Et quia singuli fratres potentiam in regno habere viderentur, aliquid indicii gerunt, Juppiter trifidum fulmen, Neptunus tridentem, Pluto Tricerberum.

103. Saturnus, Philyra et Chiron.

Dum cum amata Philyra Saturnus rem haberet, Ops ejus uxor advenit. Cujus praesentiam veritus, se in equum convertit, qualem numen potuit imitari, Exinde natus est Chiron dimidia parte homo, dimidia equus. Iste Chiron primus adinventor fuit medicinae, quam postea Aesculapio demonstravit.

104. Ortus Jovis.

Saturnus a Themideo oraculo comperiens, a filio se posse regno depelli, natos ex Rhea uxore devorabat. Quae natum Jovem, pulchritudine ejus delectata, Nymphis commendavit in monte Cretae Dictaeo; ubi eum aluerunt apes, et adhibiti sunt Curetes et Corybantes, qui tinnitu aeris prohiberent audiri pueri vagitum. Unde ipsi sunt matris deorum ministri. Sed tunc quum natus esset Juppiter, ut partum ejus celaret mater, misit Saturno gemmam in similitudinem pueri celsam, quam ABIDIR vocant, cujus natura semper movetur. Quam accipiens pater dentibus collisit et consumsit.

105. Juppiter, Saturnus et Venus.

Juppiter adultus, quum Saturnus quodam die ad usum corporis exiret, illato cultro amputavit naturalia ejus, quae in mare projecit, ex quibus Venus nata est; et mox Juppiter patrem regno expulit. Sed Saturnus in Latium in Italiam fugit, et ibi latuit, et desierunt aurea esse saecula sub Jovis imperio, quae usque ad eum, ob simplicem vitam hominis, aurea dicta fuerant. Juppiter suam sororem Junonem accepit uxorem. Mystice autem primum Jovem ponunt, id est *ignem*; unde et *Ζεὺς* (quod est *vita* sive *calor*) dicitur; secundam Junonem, quasi *aërem*.

106. Juno et hortus Hesperidum.

Juppiter quum Junonem duceret uxorem, traditur invenisse ferentem aurea mala cum ramis. Inde Junonem admiratam petisse a Terra, ut in suis hortis sereret, qui erant usque ad Atlantem montem. Cujus filiae quum saepius de arboribus mala decerperent, Juno dicitur pervigilem draconem ibi custodem posuisse, quem post Hercules occidit.

107. Neptunus.

Neptunus dictus quasi *nube tonans*, quem Graeci *Ποσειδῶνα* vocant, tertius potestate a Jove et Junone propter aquarum elementum. Hic tridentem ferre pingitur, eo quod aquarum natura triplici virtute fungatur; ut sit liquida, fecunda, potabilis. Huic Neptuno Amphitritem in conjugium deputant: *ἀμφὶ* enim Graece dicitur *circumcirca*, eo quod omnibus tribus elementis aqua conclusa sit. Qui Neptunus habuit ex Venere filium Erycem, Siciliae, ex Merope Amycum, Bebryciorum regem.

108. Pluto.

Pluto, frater Jovis et Neptuni, dicitur terrarum praesul, quia *πλοῦτος* Graece *divitiae* dicuntur. Hunc alii Orcum vocant, quasi *receptorem mortuorum*, quia tenebris abditum inferis praeesse tradunt. Hujus pedibus Tricerberum canem subjiciunt, quod mortalium jurgiorum invidiae ternario conflentur statu, id est naturali, causali, accidenti.

109. Tres Furiae vel Eumenides.

Tres Furias, dictas Eumenidas, Plutoni dicunt deservire. Quarum prima Alecto Graece *impausabilis* dicitur; Tisiphone, id est *istarum vox*; Megaera, quasi *magna contentio*. Hae pro crinibus habent angues.

110. Tria Fata.

Tria fata etiam Plutoni destinant. Haec quoque Parcae dictae per antiphrasin, quod nulli *parcant*. Clotho colum bajulat, Lachesis trahit, Atropos occat. Clotho Graece, Latine dicitur *evocatio*; Lachesis, *sors*; Atropos, *sine ordine*.

111. Tres Harpyiae seu Stymphalides.

Tres Harpyiae in inferis vigiliis deputantur. Aëllo cupit; rapit Ocypete; Celaeno recondit. Aëllo, id est *alienum tollens*; Ocypete, id est *citius auferens*; Celaeno, id est *nigra*.

112. Proserpina.

Proserpinam, Cereris filiam, nuptam volunt Plutoni. Ceres enim *gaudium* dicitur, et est dea frumenti. Proser-

pina vero dicta, quia ex eo *proserpant* fruges. Haec et Vesta dicitur, quia herbis vel variis *vestita* sit rebus. Diana etiam eadem est, quasi *Duana*, quia luna et die et nocte appareat. Ipsam etiam Lucinam asseverant, eo quod *luceat*. Eandem et Triviam, eo quod *tribus* fungatur figuris; de qua Virgilius: *Tria virginis ora Dianae*; quia eadem Luna, eadem Diana, eadem Proserpina vocatur. Haec et Latonia virgo dicitur a matre Latona; et Plutonia conjux. Graece Hecate dicitur.

113. Apollo.

Apollinem, filium Jovis, fratrem Dianae, Solem dici voluerunt. Hunc et divinationis deum ponunt, eo quod sol omnia obscura manifestet in lucem. Solem autem dicunt, quasi *solum*. Ipsum Titanem, quasi unum ex Titanibus, qui adversus Jovem non fecit. Ipsum Phoebum, quasi *ephebum*, hoc est *adolescentem*; unde et Sol puer pingitur, eo quod quotidie oriatur et nova luce nascatur. Pythium quoque eundem Apollinem vocant a Pythone, immensae molis serpente, quem Apollo, sagittarum ictibus sternens, nominis quoque spolia reportavit, ut Pythius vocaretur. Huic quoque quadrigam adscribunt, illam ob causam, quod quadrifido limite diei metiatur spatium; vel quod quatuor sunt tempora anni. Quatuor equorum Solis nomina: Aethon, Lampus, Erythraeus et Philogeus. Erythraeus Graece *rubeus* dicitur, eo quod sol matutino lumine rubicundus exsurgat. Aethon, *splendens*; Lampus vero *ardens*. Philogeus *terram amans* dicitur, eo quod vespere occasibus sol pronus incumbat.

114. Novem Musae.

Novem Musas Apollini deputant, ipsumque decimum Musis adjiciunt, quia humanae vocis decem modulamina sunt. Et haec nomina et interpretationes Musarum: Clio, id est *cognitio quaerendae scientiae*, quae reperit historias. Euterpe, id est *bene delectans*, quae tibias invenit. Melpomene, id est *meditationem faciens*, quae tragoedias edidit. Thalia, id est *capacitas*, quae comoedias edidit. Polymnia, id est *multa memorare faciens*, quae rhetoricam invenit. Erato, id est *inveniens simile*, quae geometriam reperit. Terpsichore, id est *delectans instructione*, quae psalterium instituit. Urania, id est *caelestis*, quae astrologiam invenit. Calliope, id est *optimae vocis*, quae litteras docuit.

115. Apollo, corvus et Coronis, filia Phlegyae.

In Apollinis tutela corvum ponunt, sive quod solus contra rerum naturam in mediis ipsis aestivis fervoribus oviparos pullulet foetus; sive quod in horoscopicis libris solus inter omnes aves LXIV significationes habeat vocum. Haec est autem fabula. Corvus, Apollinis tutela usus, eo sacrificante, missus a fonte aquam puram petitum, vidit arbores complures ficorum immaturas. Eas expectans dum matureserent, in arbore quadam earum consedit. Itaque post aliquot dies coctis ficis, et a corvo pluribus earum comesis, expectans Apollo, corvum vidit cum cratere pleno volare festinantem; pro quo amisso, dixit se moratum diu Apollinem, qui, coactus mora corvi, alia aqua est usus, et hac ignominia eum affecit, ut quamdiu fici coquerentur, corvus bibere non possit; ideo quod guttur habeat pertusum illis diebus. Istrus autem et complures dixerunt, Coronidem Phlegyae filiam fuisse. Hanc autem ex Apolline Aesculapium procreasse. Sed postea Elati filium cum ea concubuisse; quod videtur corvus Apollini nuntiasse. Qui quum fuerit antea candidus, pro incommodo nuntio eum nigrum fecisse, et Coronidem sagittis confixisse.

116. Apollo et Daphne, seu laurus.

In Apollinis tutelam laurum adscribunt. Nam scimus, Daphnen, Ladonis, fluminis Arcadiae, filiam, dilectam ab Apolline, et Terrae miseratione in laurum conversam. Et unde laurus nasci posset, nisi de fluvialibus aquis? Et sic poëtae describunt: si laurum dormientibus ad caput posueris, vera somnia esse visuros.

117. Apollo et Hyacinthus.

Hyacinthum amatum tam a Borea, quam ab Apolline dicunt. Qui quum magis Apollinis amore laxaretur, dum exercetur disco, ab irato Borea eodem disco est interemtus, et mutatus in florem nominis.

118. Apollo et Eridanus.

Apollo, qui et Sol, cum Clymene Nympha rem habens, Phaëtonta, sive Eridanum, dicitur genuisse, qui suscitavit Hippolytum occisum, precatu patris et Dianae. Hic a patre impetrato curru, agitare non potuit; et quum ejus errore mundus arderet, fulminatus a Jove, in fluvium Italiae cecidit; et tunc a luce ardoris sui Phaëton appellatus est,

et proprium nomen fluvio dedit. Unde mixta haec duo nomina inter Solis filium et fluvium invenimus. Postea ejus sorores, Phaëthusa et Lampetusa, flendo in populos versae sunt. Hac ira commotus Apollo, fabros Sicanos, Jovi fulmina facientes, interfecit. Quapropter Juppiter eum divinitate exuit, et a caelo dejecit. Qui expulsus boves Admeti regis per quatuor annos pavit super Eurotam fluvium, ubi quam plures habuit filios.

119. Mercurius et Maja.

Juppiter jacuit in Cyllene monte cum Maja, et habuit filium Mercurium, quem Juno ita dilexit, quod propria mamma eum lactavit, et artem medicam insinuavit. Pater vero tradidit ei virgam caduceam; qua si quem ex grossiori parte a capite tangeret, moreretur; quem vero a subtili, viveret. Mercurius quasi *medius currens* dicitur appellatus, quod sermo *currat* inter homines *medius*; unde et velox et errans inducitur. Alae ejus in capite et in pedibus significant, volucrem ferri per aëra sermonem. Nuntium dicunt, quoniam per sermonem omnia cogitata nuntiantur. Ideo autem furti magistrum dicunt, quia sermo animos audientium fallit. Virgam tenet, qua serpentes dividit, id est venena: nam bellantes ac dissidentes interpretum oratione sedantur. Unde, secundum Livium, legati pacis caduceatores dicuntur. Sicut enim per feciales bella indicebantur, ita pax per caduceatores fiebat. Hermes autem dicitur Graece ἀπὸ τῆς ἑρμηνείας, Latine interpres. Qui ob virtutem multarumque artium scientiam Trismegistus, id est ter maximus, nominatus est. Cur autem eum capite canino fingunt, haec ratio dicitur, quod inter omnia animalia canis sagacissimum genus et perspicax habeatur.

120. Semele et filius ejus Liber pater.

Juppiter cum Semele concubuit, de qua natus est Liber pater. Ad quam cum fulmine veniens, illa crepuit. Unde pater puerum tollens, in femore suo misit; post Maroni nutriendum dedit. Hic Indiam debellavit, et inter deos deputatus est. Itaque cum Semele quatuor sorores appellatae sunt, Ino, Autonoë, Semele et Agave; quae Agave caput filii violenter abscidit. Hae quatuor sorores Bacchae dictae sunt, et mystice per has quatuor ebrietatis genera signantur, id est vinolentia, oblivio, libido, insania. Juno autem suspectam eandem Semelem, Cadmi et Hermiones filiam, quum haberet, quod cum Jove concubuisset, in anum conversa, hac fallacia, ut se ab invidia cujusquam ulcisceretur.

hortata est eam, ut tale pignus amoris a Jove peteret, proinde auctoritas ipsius concubitus insignis esset. Quod quum impetravisset, deus, instructus tonitribus ac fulminibus, domum Semeles ingressus est. Decepta est optatis. Tecta et ipsam flamma adussit. Liberum, conceptum utero, Jupiter incendio eripuit, ac femore insuit suo. Postea completis mensibus, Nymphis, quae Nysam, montem Indiae, perfrequentabant, clam tradidit nutriendum. Septem enim fuerant sorores, eaedem Nymphae Dodonides appellatae, quae a Lycurgo fugatae ad Thetim profugerunt, ut scribit Pherecydes et Asclepiades. Quam ob causam ab Jove eis gratia est relata, quod inter sidera sunt constitutae, quae VII. numero Hyades sunt appellatae. Hinc Liber pater, seu Dionysus, tigribus sedere dicitur, quod omnis vinolentia feritati semper insistat: et Lyaeus dicitur quasi lenitatem praestans. Juvenis autem pingitur, quia ebrietas numquam matura est.

121. Liber et Juppiter Hammon.

Liber, seu Dionysus, quum Indos peteret, et per Xerolibyam exercitum duceret, fatigatus siti, Jovis sui patris auxilium imploravit: et statim viso ariete, fons secutus est. Unde factum est ab eo deinceps Jovi, Hammoni ab arenis dicto, simulacrum cum capite arietino. Quod ideo fingitur, quia notis ejus sunt involuta responsa.

122. Liber et Tyrrheni.

Quum Tyrrheni nautae dormientem in litore Liberum patrem invenissent, furtim eum in navem suam rapuerunt. Qui quum esset experrectus in navi, quo duceretur interrogavit. Responderunt illi, quo vellet. Liber ait ad Naxum insulam, sibi sacratam. Illi autem alio vela flectere coeperunt. Quamobrem numen iratum tigres sibi dicatas visibus eorum objecit; quarum illi terrore perterriti, sese praecipites in fluctus dedere.

123. Liber pater et Lycurgus rex.

Lycurgus rex Thraciae fuit. Qui, ut fabula habet, dum contemnens Liberum, ejus amputat vites, crura sua incidit. Re autem vera abstemius fuit; quos constat acrioris esse naturae; quod etiam a Demosthene dictum est.

124. Minerva.

Minerva, dea sapientiae, multorum inventrix fuit ingeniorum. Haec Graece Ἀθηνᾶ dicitur, apud Latinos autem

Minerva, quasi *manus artium variae.* Ideo autem de capite Jovis dicitur esse nata, quia sensus sapientis, qui invenit omnia, in capite est. Haec et Tritonia dicitur, quia circa Tritonium lacum dicitur apparuisse in virginali aetate. Pallas autem eadem est dicta, vel ab insula Pallene, in qua nutrita est; vel *ἀπὸ τοῦ πάλλειν*, id est ab *hastae incursione*; vel quod Pallantem Gigantem occidit.

125. Minerva et Marsyas.

Minerva eadem ex osse tibias invenit. Cum quibus quum in convivio deorum cecinisset, ejusque tumentes buccas dii omnes irrisissent, illa ad Tritoniam paludem pergens, in aqua faciem suam speculata est; et dum turpia adjudicasset buccarum inflamina, tibias jecit. Quibus Marsyas repertis, doctior factus, Apollinem concertaturus de cantibus provocavit; et ambo sibi Midam regem judicem deligunt. Cujus judicio Marsyas victus poenas pendit, ac suspensus et enudatus, usque ad necem verberibus ab eo est caesus; et tantum sanguinis sui fusum est, ut fons inde nasceretur, cujus Juvenalis meminit, dicens: *Ceu Marsya victus.* Alii tradunt, quod Nymphae Satyrique, ceterique ruris incolae in tantum Marsyam Satyrum fletu prosecuti sunt, quod ejus cantu carituri essent, ut ex lacrimis eorum flumen creverit, quod Marsyas dicitur. Quidam dicunt, Midam regem non recte judicasse, et ob id aures ei asininas ab Apolline deputatas. Sed hoc alias.

126. Priapus et Lotos Nympha.

Lotos Nympha quaedam fuit. Quam quum amatam Priapus insequeretur, illa deorum miseratione in arborem versa est, quae vulgo *faba Syriaca* dicitur. Sed ipse Priapus pulsus est de Lampsaco civitate propter virilis membri magnitudinem. Postea in numerum deorum receptus, numen hortorum esse meruit. De hoc Horatius: *Fures dextra coërcet*
Obscenoque ruber projectus ab inguine palus.
Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa.
Dicitur autem praeesse hortis propter eorum fecunditatem. Nam quum alia terra seminalem vim coërcet, horti numquam sine fructibus sunt.

127. Pan figurative.

Pan deus est rusticus, in naturae formatus similitudinem. Unde et Pan dictus est, id est *omne.* Habet enim cornua,

radiorum solis et cornuum lunae similia. Rubet ejus facies ad aetheris imitationem. In pectore nebridem habet stellatam, ad stellarum imaginem. Inferior ejus pars hispida propter arbores, virgulta, feras. Caprinos pedes habet, ut ostendat terrae soliditatem. Fistulas habet septem calamorum propter harmoniam caeli, in qua VII. soni sunt. Unde dicit Virgilius: *Septem discrimina vocum.* Curvam ergo *καλαύροπα* habet, id est *pedum*, quia annus intra se recurrit. Hic, quia totius naturae deus est, a poëtis fingitur cum Amore deo luctatus, et ab eo victus, quia *amor omnia vincit.* Hic ergo amavit Syringam Nympham, quam quum insequeretur, illa, implorato Terrae auxilio, in calamum versa est; quem Pan ad amoris solatium incidit, et sibi fistulam fecit.

128. Vulcanus.

Vulcanus, eo quod deformis esset, a parentibus suis, id est Jove et Junone, spretus est, et in insulam Lemnum praecipitatus, illicque a Sintiis nutritus. Hic quum Jovi fulmina fabricaret, non est admissus ad epulas deorum. Postea quum rogaret patrem suum Jovem, ut idem Minervae conjugium sortiretur, concessum est illi, si concessu ipsius Minervae posset fieri. Illa autem amorem ejus spernente, et nimium reluctante, natus est puer. draconteis pedibus, qui appellatus est Erichthonius, quasi de *terra* et *lite* procreatus: nam *ἔρις* est *lis*, *χθὼν terra.* Hic ad celandam pedum foeditatem, junctis equis, usus est curru, quo tegeret sui corporis turpitudinem.

129. Phorcus.

Phorcus Thoosae Nymphae et Neptuni filius dicitur: ut autem Varro dicit, rex fuit Corsicae et Sardiniae. Qui quum ab Atlante rege navali certamine cum magna exercitus parte fuisset obrutus, finxerunt socii ejus eum in deum marinum esse conversum.

130. Tres Gorgones et Perseus.

Phorcus tres habuit filias, Stheno, Euryalen, Medusam, quae uno contuebantur oculo, et contuentes in lapidem convertebant; unde et Gorgones dictae a *terrore*: *γοργὼ* namque Graece *terror* dicitur. Contra quas missus est Perseus cum crystallino clypeo et harpe, quod est genus falcati teli; et adjutorio Minervae eas interfecit. Re vera tres fuerunt sorores unius pulchritudinis; unde fictum est,

ut uno intuerentur oculo. Fuerunt autem locupletissimae; unde et Gorgones, quasi *georgicae*, id est quasi *terrae cultrices*: *γῆ* enim Graece, Latine *terra*; *γεωργία* dicitur *cultura*. Mortuo patre, Medusa major filia in regnum successit, quam Perseus, rex Asiae, interfecit, et ejus regnum abstulit. Veritas tamen hoc modo se habet. Gorgon *terror* interpretatur, Stheno *debilitas*, Euryale *lata profunditas*, Medusa *amentia* vel *oblivio*. Haec autem omnia in hominibus terrorem operantur. Perseus autem in figura virtutis ponitur, qui Gorgonem auxilio Minervae interfecit; quia virtus sapientiae omnes vincit terrores. De sanguine autem Gorgonis natus est Pegasus, qui *fama* interpretatur; et pede suo fontem Castaliae sive Pegaseum produxit; quia virtus, omnia superans, bonam sibi acquirit famam. Finguntur autem poëtae de illo potare fonte, quia poëticis figmentis maxime fama juvatur. Notandum est vero, quod Pegasus equus fuit Neptuni.

131. Medusa Gorgo.

Medusa Gorgo quum propter pulchritudinem a pluribus peteretur, conjugium Neptuni effugere non potuit. Quae quoniam in templo Minervae cum eo rem habuit, propter religionem loci, quem inquinavit, crines ejus ab eadem in serpentes sunt mutati, ut, quum petita in conjugium a pluribus procis esset, objecta deformitate, obvios in fugam verteret.

132. Tres Gratiae.

Juppiter tres filias habuisse legitur cum Junone, famulas Veneris; quarum nomina sunt: Pasithea, Aglaie, Euphrosyne. Et quia blandae erant et mites, ideo Gratiae vocabantur.

133. Lemniades et Hypsipyle.

Lemniades quum diis omnibus decimas frugum annis singulis solverent, solam Venerem praetermittendam esse dixerunt. Quae irata his odorem immisit hircinum. Quas mariti exsecrantes, deserta Lemno odio conjugum, Thracas petiverunt, eorumque filias sibi ascivere conjugio. Quod ubi Lemniadibus compertum est, stimulante Venere, in omne genus virile conjurant, remeantesque ex Thracia viros omnes interemerunt. Inter quas Hypsipyle patri Thoanti sola subvenit, ut ei non solum parceret, verum etiam fugientem prosequeretur ad litus. Tunc Thoanti Liber occurrit, eumque ad insulam Chion prospera navigatione perduxit. Lemnon Argonautae venerunt, quos Lemniades hospitio suscipientes,

cum his nuptias junxerunt. Hypsipyle ex Iasone filios procreavit Euneum et Thoantem. Quum plurimis diebus detenti essent, ab Hercule objurgati discesserunt. Lemniades autem postquam intellexerunt, Hypsipylen patrem suum servasse, interficere eam conatae sunt. Illa dum fugit, a praedonibus est capta, et Nemeam deportata, et Lycurgo, regionis ejus regi, in servitutem distracta.

134. Danaus et Aegyptus.

Danaus, Beli filius, ex pluribus conjugibus quinquaginta filias habuit; totidemque frater ejus Aegyptus filios, qui Danaum fratrem, ut filias filiis suis in matrimonium copularet, postulavit. Danaus, responso accepto a diis, quod generi sui manibus interiret, Argos profectus est et primus dicitur navem fecisse, a cujus nomine Argo dicta est navis. Aegyptus mittit filios suos ad persequendum fratrem, hisque praecepit, ut aut Danaum occiderent, aut domum non redirent, ut Agenor filio Cadmo imperaverat. Qui postquam Argos venerunt, coeperunt patruum oppugnare. Danaus postquam vidit, se non posse resistere, filias suas eis uxores spopondit; quae patris jussu in nocte viros suos universae interfecerunt, praeter Clytemnestram, quae sola Lynceo viro suo pepercit. Ob hoc scelus Danai filiae apud inferos hac dicuntur poena damnatae, ut aquam in dolium pertusum mittant.

135. Historia Dardani et Origo Trojanorum.

Dardanus et Iasius fratres fuerunt, Electrae, filiae Atlantis, filii; sed Dardanus de Jove, Iasius de Corytho procreatus est, a cujus nomine mons et oppidum nomen accepit. Postea Iasium dicitur Dardanus occidisse. Idem Dardanus ab Italiae regione Tuscia, ex responso locum mutans, per Thraciam Samum delatus est, quam Samothraciam nominavit. Et hinc ad Phrygiam devenit, quam Dardaniam a suo nomine nominavit: ex quo natus est Erichthonius, qui in istis locis regnavit. Ex Erichthonio Tros, qui justitia et pietate laudabilis fuit; isque, ut memoriam sui nominis faceret, Erichthoniam Trojam nominavit. Qui etiam Tros filios habuit Ilum Assaracumque. Ille, quia major natu erat, regnavit, atque Trojam de suo nomine Ilium nominavit. Assaracus a primatu recessit. Ilus Laomedontem filium habuit. Ex Laomedonte primus Priamus natus est. Assaracus Capyn genuit, ex quo Anchises editus est; Anchisesque Aeneam procreavit.

136. Laomedon, Hercules et Hesiona.

Laomedon rex fuit Trojanorum, pater Priami. Qui petiit Neptunum et Apollinem, ut aedificarent Trojam pro-

missa mercede. Quam quum ipsi aedificassent, mentitus est munera. Unde indignatus Apollo pestilentiam eis immisit, Neptunus cetum maximum. Super quibus dum consuleretur Apollo, respondit contraria, dicens, *omnes filias ejus ceto esse opponendas*, qui totam civitatem devastabat. Tunc superveniens Hercules, dum Colchos peteret, Hesionam filiam ipsius petiit in conjugium, quam ille ei promisit, si a ceto posset eam liberare. Hercules, interfecto ceto, conjugem sibi promissam petiit; sed ille mentitus est. Unde indignatus Hercules Trojae muros destruxit et Hesionam cuidam socio suo Telamoni dedit; ex qua natus est Teucer. Nam Ajacem ex alia constat esse natum. Tunc Hercules Priamum redemtum a sociis in paterno regno locavit.

137. Acesta et Hippotes.

Laomedon praenotatus rex, aedificata sibi a Neptuno et Apolline Troja, dum promissis eos fraudasset, Neptunus iratus cetos grandes urbi immisit. Pro quibus consultus Apollo respondit: *Objiciendas nobiles puellas beluae.* Quod quum fieret, timens Hippotes quidam nobilis filiae Acestae (quum Laomedontis regis filia jam esset, orta seditione, religata), impositam eam navi misit, quo fors tulisset. Haec ad Siciliam delecta, ab Crimiso fluvio, converso in canem vel in ursum, compressa, Acesten edidit: qui ex matris nomine Trojanis civitatem condidit, quae hodie Acesta nominatur.

138. Teucer.

Teucer quum, Troja spoliata, sine fratre esset reversus, qui se furore propter arma perdita Achillis interemerat, Salamine pulsus, Sidonem venit; ex quo Dido cuncta cognovit. Is Teucer, quod auxilium non dederit fratri suo interfecto, ut quidam volunt, apud Trojam; et, quod ossa ejus in patriam non detulerit, et filium ejus parvulum secum non adduxerit, credebatur eum occidisse, ne coheres ejus esset; actus a patre in exilium, Belum, Phoenicium regem adiit, qui Cyprum insulam armis subegerat. Ibi Teucer longo bello urbem condidit, quam Salaminam nomine patriae vocavit. Hic Teucer cum hostibus Danais fuit. Alius est Teucer, a quo Trojani Teucri dicuntur, qui post Dardani obitum Trojae muros exstruxit et ampliavit. Ajax autem et Achilles patrueles fuerunt, quoniam Telamon et Peleus fuerunt fratres, Acaci filii.

139. Tithonus et Aurora.

Tithonus fuit frater Laomedontis, regis Trojanorum. Qui quum adamatus fuisset ab Aurora, petiit ab ea longitu-

dinem vitae. Unde tamdiu vixit, donec prae nimia senectute versus est in cicadam. Hic filium suum Memnonem. ex ipsa progenitum, ad Trojae misit auxilia. Niger autem dictus et Aethiops, quia, ubi prima surgit aurora, dubia lux est. Hujus apud Trojam extincti et sepulti tumulum aves annuo volatu conventu officiose celebrant.

140. Pyrrhus et Helenus.

Achilles, ut in historia legimus, percussus a Paride sagitta in templo Apollinis Thymbraei, moriens petiit ut, evicta Troja, ad ejus sepulcrum Polyxena immolaretur; quod filius ejus Pyrrhus, quem ex Deidamia habuit, implevit. Postmodum in patria, in numinis Apollinis insultationem, in templo ejus Delphico aras patri constituit, et illic ei coepit sacrificare. Hic Pyrrhus dum ab Oreste, cujus sponsam Hermionem rapere voluerat, occisus jam exspiraret, praecepit, ut Andromache, sua conjux, Heleno daretur, quem quidem captivum a Troja duxerat; sed in multis ab eodem Heleno fideliter erat praemonitus et cautus redditus; unde hoc beneficium ei reddidit.

141. Diomedes.

Diomedes, qui et Tydides, postquam ira Veneris a se vulneratae, dum Aeneam filium suum in certamine nube interposita liberasset ab ejus manibus, uxorem apud Argos turpiter vivere resciens, noluit reverti, sed tenuit partem Apuliae: et edomita omni montis Gargani multitudine, in eodem tractu civitates plures condidit. Nam et Beneventum et Argos Hippium ipse condidit, et Arpos, quae et Argyrippa dicitur; ad quam Venulus Argivus de Tiburte mittitur, non ad Arpinum, quam constat esse Campaniae. Unde est illud: *Praedam Tiburtum ex agmine raptam portat.*

142. Diomedes et palladium.

Diomedes quum multis casibus affligeretur, palladium, quod apud ipsum erat, Trojanis ab oraculo jussus est reddere. Quod quum vellet implere, Aeneam invenit sacrificantem; qui ne sacrificii ordinem rumperet, palladium Nautes accepit. Unde Nautarum familia Minervae sacra servabat.

143. Socii Diomedis.

Diomedis socios constat in aves esse conversos post ducis sui interitum, quem extinctum impatienter dolebant. Eae aves hodieque Latine *Diomedeae* vocantur. Graeci ἐρωδιοὺς

dixerunt. Habitant autem insulam Electridem sive Febram, quae est haud longe a Calabria in conspectu Tarentinae civitatis. Quin et de his avibus dicitur, quod Graecis navibus laetae occurrant, Latinas vehementer fugiant, memores originis suae.

144. Euboea insula et Nauplius, Palamedis pater.

Euboea insula est, in qua mons Caphareus, circa quem Graeci periere naufragio; quia Nauplius, Palamedis pater, dolens filium suum factione mortuum, quum vidisset Graecos tempestate laborare, montem Caphareum ascendit, et elata facula signum dedit vicini portus. Quare decepti sunt Graeci, et inter asperrimos scopulos naufragium pertulerunt.

145. Alia Euboea et Cumae.

Euboea item insula est, de cujus civitate Chalcide profecti sunt ad novas sedes quaerendas; et haud longe a Bajis (qui locus a socio Ulixis Bajo, illic sepulto, nomen accepit) invenerunt vacuum litus, ubi, visa muliere gravida, civitatem condiderunt; quae res fecundam ostendebat fore rem publicam; et eam *Cumas* vocarunt, sive a praegnante, sive ab undis.

146. Melager et Oeneus.

Oeneus, pater Tydei et Meleagri, Parthaonis filius, rex Aetoliae, cujus civitas est Calydon nobilissima. Hic summam potestatem regni sui turbavit neglegentia sacrorum. Annua siquidem vota pro imperii fructibus celebrans, numen Dianae contemsit; propter cujus nimiam indignationem oppressus est, ut videretur omnes placaturus, si illam solam adorasset. Ea aprum summae magnitudinis regioni immisit; qui vastator Calydoniae terrae ab urbis gente est appellatus. Cujus Oeneus feritate fractus, edictum tale proposuit, ut dimidiam regni partem caperet, qui monstrum interemisset. Meleagri virtus periculum non expavit. Siquidem ipse ejus filius undique juventutem collectam ad illam novi generis expeditionem vocavit. Inter quos Atalante convenit, Iasii filia, summa venatrix; quae in saltibus prima omnium praedictum aprum sagitta percussit. Postea Meleager venientem in se feram excepit interemitque; et gratus adversus puellam, quae inter viros successu virtutis enituerat, pellem monstri illius cum capite ad laudis illius testimonium ei dedit. Si munus, peractum fortitudine, invidia perdidit. Plexippus namque et

Agenor, Meleagri avunculi, indignati sunt, sibi praelatam fuisse virginem, et eam dono spoliaverunt. Qua contentione fata sibi maturaverunt. Etenim indignatus Meleager, consanguinitate calcata, matris suae fratrem Plexippum occidit, sibique matris affectum abstulit. Althaea siquidem germanorum ultione saeviit. Nam titionem (quem occultum habuit, quia, quum nasceretur Meleager, in regia subito fortis et ut juvenis apparuerat, et vaticinatum erat, quod *tamdiu viveret, quoadusque servatus esset*) mater ignibus mersit, eumque cum filii nece satis extinxit. Quae postquam admissum facinus agnovit, laqueo vitam finivit.

147. Clytemnestra et Orestes, filius ejus.

Clytemnestra fuit uxor Agamemnonis. Qui quum reversus esset de bello Trojano, interfectus est per Aegisthum adulterum. Nam quum ingressus fuisset domum suam, obtulit ei Clytemnestra vestem sine capicio. Quam quum vellet induere et capicium invenire non posset, ab Aegistho adultero occisus est; quem postea simul cum matre Orestes interfecit; unde in amentiam versus est. Hic namque Orestes, Agamemnonis et Clytemnestrae filius, quia optimus tragoedus fuit, in scenis celebratus, quum matrem et Aegisthum occidisset, insanivit. Qui socii Pyladis admonitu, ad evitandas Furias templum Apollinis ingressus, quum vellet exire, invaserunt eum Furiae. Hinc est: *Ultricesque sedent in limine Dirae.*

148. Europa et Juppiter.

Europa fuit filia regis Graecorum Agenoris. Quae dum colligeret flores in pratis secundum consuetudinem puellarum, Juppiter, in formam speciosi tauri conversus, ei vim intulit hoc modo. Quum Mercurius jussu patris in Phoenicem transgressus esset, ut armenta illius regionis ad litus compelleret, Juppiter in taurum conversus est; quumque se jumentis Agenoris regis immiscuisset, et in amorem sui spatiantes in arena virgines coëgisset, ac paulatim singulis alludens, novissime Agenoris filiam, cujus in amorem compulsus averterat figuram, insidentem sibi tergo in insulam Cretam detulit, ibique nuptiis ejus fruitus est.

149. Agenor et Cadmus, filius ejus.

Agenor, rapta filia Europa, fratres ejus ad requirendam sororem misit, Cadmum, Cilicem, Phoenicem; ita ut, nisi eam reperissent, ad se non reverterentur in patriam. Cilix

diversas petiit regiones; novissime constituit Ciliciam, nec minus Phoenix a suo nomine Phoenicen. Cadmus, desperata spe visendi parentis. Apollinis oraculum ingreditur sciscitans, *in quibus partibus orbis consisteret.* Accepta itaque sorte, ut vaccam a grege secretam, quae lunae signum in latere haberet, ageret, et ubi fessa procubuisset, ibi urbem statueret; parentis praecepto in eam terram devenit, quae postea Boeotia dicta est. Hic quum ad fontem Martis socios aquatum misisset, invenit eos a dracone consumtos. Quod ubi vidit, serpentem interemit, et dentes ejus evulsos sevit: ex quibns multitudo armatorum gignitur, quae inter se domestico bello confligens concidit; ita ut ex ea multitudine quinque tantum viri relinquerentur, qui a Minervae voluntate condendae urbi Thebarum Cadmo socii additi sunt. Quorum nomina sunt haec: Echion, Idaeus, Chthonius, Pelorus, Hyperbion.

150. Cadmus et Hermiona.

Cadmus, Agenoris filius, postquam inspectator suarum calamitatum fuerat in exitu nepotum, perosus Thebarum sedes cum Hermiona, Veneris et Martis filia, conjuge sua, in Illyricos sinus profugit. Ibi a diis petita venia, ut in draconis speciem converteretur, qui initio mali causa fuit, vota sunt impleta, et in serpentes ambo versi sunt.

151. Monile Hermionae.

Hermione, quae ex Martis et Veneris adulterio nata est, quum praedicto Cadmo jungeretur matrimonio, aureum monile Vulcani accepit dono, hujusmodi venenis infectum, ut necesse esset hoc aurum gestanti aerumnarum molibus opprimi. Quantis enim veneficiis id ipsum monile secundum fabulas infectum fuerit, Statius evidentissime describit. Enimvero Hermiona et Cadmus, vir ejus, in dracones sunt conversi. Deinde illud accepit Agave, quae in furorem versa filium suum Pentheum trucidavit. Deinde Semele, quae Junone seducente, fulminata est a Jove. Deinde Iocasta, uxor Laii, quae cum filio suo Oedipo rem habens, inde filios et filias procreavit. Postea, Argia, Adrasti filia regis, uxor Polynicis, quae Thebanum bellum fieri ei persuasit. Ultimo tamen Eriphyla, uxor Amphiarai vatis, accepit, quae maritum, ad bellum ire nolentem, prodidit, et paene invitum ire coëgit.

152. Eteocles, Polynices et Amphiaraus.

Eteocles et Polynices fratres, Thebani, regnum partiti, hoc pepigere foedus, ut unus uno anno regnum haberet,

alter patria exiret, usque dum completo anno, regnum postea haberet. In primo igitur anno Polynices, minor frater, dimittens regnum, et post annum illud repetens, a fratre ipsi est negatum. Proinde exul ad Adrastum, regem Argivorum, se contulit, ibique sub eo viriliter militans, ejus filiam Argiam conjugem accepit. Postea vero quum frater sibi reverso regnum negaret, bellum statuit; ubi fatum erat, quod, si Amphiaraus sacerdos in bello, terra eum glutiente, periret, Polynices victor esset. Amphiaraus autem mortem timens, in domo latuit. Quare Eriphyla, uxor ejus, accepto monili ab Argia, uxore Polynicis, quod Vulcanus Hermionae, privignae suae, fabricavit, eum prodidit. Postea a Polynice ductus ad bellum, terra deglutiente, ad inferos vivus cum curru suo devectus est. Alcmaeon, filius ejus, volens ulcisci patrem, interfecit matrem, ut Orestes.

153. Apollo et Sibylla.

Sibyllam Apollo pio amore dilexit, et ei poscendi quae vellet arbitrium obtulit. Illa arenam manibus hausit, et tam longam vitam poposcit. Cui Apollo id posse fieri respondit, si Erythraeam, in qua habitabat, insulam relinqueret, et eam numquam videret. Profecta igitur, Cumas tenuit, et illic corporis viribus defecta, vitam in sola voce retinuit. Quod quum cives ejus cognovissent (sive invidia, sive miseratione commoti, incertum est), ei epistolam miserunt, creta antiquo more signatam. Qua visa terra, quia erat de ejus insula, in mortem est soluta. Unde nonnulli hanc esse dicunt, quae Romana fata conscripsit; quia incenso templo Apollinis, inde Romam allati sunt libri, unde haec fuerat.

154. Caenis et Neptunus.

Caenis virgo fuit, quae a Neptuno pro stupro praemium sexus mutationem meruit. Fuit etiam invulnerabilis. Sed pugnando pro Lapithis contra Centauros crebris ictibus fustium paulatim fixus in terra est. Post mortem tamen in sexum rediit. Hoc autem ostendit dictum illud Platonicum vel Aristotelicum, *animas per μετεμψύχωσιν, id est per-mutationem, sexum plerumque mutare.*

155. Tarpeja.

Tarpeja sedes dicta est a Tarpeja virgine. Quum enim Romulus contra Sabinos bella tractaret, et Tarpejo cuidam dedisset arcem tuendam; filia ejus Tarpeja, aquatum profecta, in hostes incidit. Quam quum hortarentur ad prodi-

tionem, illa pro praemio poposcit ornatum manuum sinistrarum, id est armillas. Facta itaque proditione arcis, hostes ingeniosa morte promissa solverunt. Nam scuta, id est sinistrarum ornatum, super illam jacientes, eam luce privarunt. Quae illic sepulta, Tarpejae sedi nomen imposuit.

156. Niobe et filii.

Niobe, Tantali filia, uxor Amphionis, ex Sipylo Lydiae orta; quae ex Amphione VII filios et VII filias habuit, id est XIV, quorum nomina sunt haec: Archemorus, Antagorus, Tantalus, Phaedimus, Sipylus, Xenarchus, Epinitus. Item filiae: Astycratia, Pelopia, Chloris, Cleodoxe, Ogime, Phegia, Neaera. Quorum numerositate quum se jactaret Niobe, et diceret: *si Latona ideo colitur, quia gemino natorum pignore seu foedere viget, quanto magis ego digna sum veneratione, quae XIV filios genui!* ab Apolline et Diana, quae et Trivia, sagittis ipsa et maritus et omnes filii sunt interfecti. Unde Juvenalis:

Parce, precor, Paean, et tu depone sagittas;
Nil pueri faciunt, ipsam configite matrem!
Amphion clamat; sed Paean contrahit arcum.

157. Acrisius et Danaë.

Acrisius, rex Argivorum, filiam nomine Danaën habuit mirae elegantiae. Ex cujus prole quum se oraculo perire posse cognovisset, aeneam turrim fecit, et filiam suam intra clausit, crebris excubiis eam custodiri praecipiens. Tunc in aureum Juppiter imbrem mutatus, cum ea rem habuit, per tectum delapsus in gremium virginis. Ex quo connubio Perseus dicitur esse natus. Unde Terentius: *Deum clanculum venisse per impluvium; factum fucum mulieri.* Ideo autem in aureum imbrem mutatus dicitur, quia auro custodes corrupit, et sic cum ea cubitavit. Quum pater ipsius eam gravidam esse comperisset, navi imposuit, ut iret, quo fors tulisset. Deorum autem miseratione ad loca tuta, scilicet ad Italiam, delata, inventa est a piscatore Perseo, et illic enixa puerum, Perseum nominavit. Oblata est autem regi provinciae illius, qui eam sibi fecit uxorem, cum qua etiam condidit Ardeam, a quibus Turnum originem volunt ducere. Juppiter Perseum cuidam regi alendum commisit: quod Juno dolens, nefandis odiis persequi coepit eum, ac regem instigavit, ut eum aliquo modo perderet; qui misit eum ad diversa monstra perimenda, uti Chimaeram et Gorgonem et Medusam.

158. Laodamia.

Laodamia uxor Protesilai fuit. Quae quum maritum in bello Trojano periisse cognovisset, optavit, ut umbram ejus videret. Qua re concessa, non deserens umbram, in amplexibus ejus periit.

159. Phyllis et Demophoon.

Phyllis regina Thracum fuit. Haec Demophoontem, Thesei filium, regem Atheniensium, redeuntem de Trojano proelio dilexit, et in conjugium suum rogavit. Ille ait, se prius rem suam ordinaturum, et sic ad ejus nuptias reversurum. Profectus itaque quum tardaret, Phyllis amoris impatientia et doloris impulsu, quod se spretam credebat, laqueo vitam finivit, et conversa est in arborem amygdalum sine foliis. Postea reversus Demophoon, cognita re, ejus amplexus est truncum: qui, velut sponsi adventum sentiret, folia emisit. Unde et *φύλλα* sunt dicta a Phyllide, quae antea *πέταλα* dicebantur.

160. Alcon.

Alcon fuit Cretensis sagittarius optimus. Cujus filium quum draco invasisset, tanta arte sagittam direxit, ut ea currens in serpentis defigeret se corpore, nec in filium transiret. Unde laudes meruit.

161. Codrus.

Codrus rex fuit Atheniensium, qui orto bello inter Laconas et Athenienses, quum oraculum respondisset, *illos posse vincere, quorum dux perisset*, habitu humili profectus est ad hostium vicina tentoria, et illic jurgio eos in suam caedem instigavit, et satis fecit oraculo.

162. Pirithous et Mars.

Pirithous, Lapitharum rex, quum uxorem duceret, vicinos populos Centauros, et sibi cognatos, et deos omnes, excepto Marte, ad convivium vocavit. Unde iratum numen immisit furorem, ut Centauri et Lapithae in bella venirent. Unde Virgilius: *Mars gentem immanem perdere voluit Lapitharum.* Centauri autem Ixionis et nubis filii sunt; quae nubes ipsi a Junone in sui forma est opposita.

163. Thessali.

Pelethronium oppidum est Thessaliae, ubi primum domandorum equorum repertus est usus. Nam quum quidam

Thessalus rex, a bubus oestro exagitatis, satellites suos ad eos revocandos ire jussisset, illique cursu non sufficerent, ascenderunt equos, et eorum velocitate boves secuti, eos stimulis ad tecta revocarunt. Sed hi visi, aut quum irent velociter, aut quum eorum equi circa flumen Peneum potarent capitibus inclinatis, locum fabulae dederunt, ut Centauri esse crederentur.

164. Phoenissa sacerdos.

Phoenissa Dryope sacerdos erat Liberi patris, quae furtim gravida facta, dum taurum immolandum ad aram cornibus protrahit, oneris oblita, propter nimiam ejus lassitudinem infans coactus excidit de vulva.

165. Sisyphus.

Sisyphus ob hoc tali poena multatus, quia Aeginam, Aesopi filiam, Juppiter amavit, eamque custodi patris clam surripuit; et factum Sisyphus confessus est, quod ille humana levitate patri quaerenti prodidit: unde saxum sine fine contra montem rotare dicitur. Aliter. — Sisyphus est, qui apud inferos lapidem grandem volvit, quia multos ingenti saxo necavit.

166. Arethusa et Alpheus.

Arethusa Nympha legitur, venatione expleta, se lavare in Alpheo flumine. Ex quo quum adamata fuisset, et libentem fugisset, deorum miseratione in fontem versa, secretis meatibus ad Siciliam fluxit. Quam dicitur Alpheus usque ad Siciliam persequi.

167. Scyron.

Scyron, alto residens saxo, transeuntes coëgisse fertur, ut sibi pedes lavarent; quod dum facerent, eos ex improviso in praecipitium dedit.

168. Crotopus et Corocbus.

Crotopus rex fuit Argivorum, cujus filiam Apollo vitiavit. Quod pater indignans filiam interemit, quia Vestae sacerdos fuerat, et in virginitate semper perdurare debuit. In cujus ultionem Apollo horribile monstrum misit, quod Corocbus, juvenis quidam fortissimus, occidit. Et hanc historiam Statius decentissime scribit. Ipsum autem monstrum Lamia vocabatur. Lamiae sunt enim fossae camporum pluviis plenae, vel voragines fluminum; unde ipsa ferocissima bestia Lamia dicebatur.

169. Sphinx.

Sphinx quoddam monstrum fuerat, quod in scopulo residens praetereuntibus problema proposuit, et persolvere non valentes unguibus et dentibus dilaniavit. Ad quod Oedipus veniens, problema ejus enodavit, et ipsum occidit.

170. Atracias magus.

Atracias fuit Thessaliae pater et Hypocatiae, quam Pirithous duxit uxorem. Hic primus artem magicam apud Thraces constituit.

171. Lycormas fluvius.

Lycormas quidam fluvius, qui et Evenus dicitur, juxta quem Nessus est interfectus ab Hercule, rem conjugii faciens cum Deïanira, uxore Herculis. Quare ipse Hercules quandam tunicam induit, cruore Nessi Centauri perunctam, unde ipse perpessus est intolerabile incendium corporis.

172. Minos.

Minos Cretensis, cui ad gloriam et titulum sola natalium sufficeret claritas, mentis placiditate meruit, ut illum plus moribus, quam generis auctoritate mirentur homines. Fuit enim rex Cretae ita vita clemens, ut, quod est mirum, gauderent eum dominum, quibus imperabat, habuisse. Defunctus deinde, quantum mansuetudo mereatur, patuit; nec fato quidem honore privatus est Nam dicitur apud manes de supremo exitu judicare mortalium. Veteres enim Graeci, ut impios crudelesque poenas apud inferos luere, sic bonum quemque adeptum bonae vitae praemia post mortem esse dixerunt. Quod bonitatis est exemplum, quia Minos se non ut regem aut tyrannum, sed tamquam unum gessit de plebe; quae laus summa est.

173. Diana Taurica.

Diana Taurica, quam Orestes de Scythia transtulit, humano sanguine placari consueverat. Cujus quum simulacrum in Laconiam delatum esset, ne quod piaculum nasceretur intermissione soliti sacrificii, neve crudelitati Graeciae populus obediret, inventum est, ut inter sè impuberes pueri de sustinendis verberibus contenderent, ac se in hac patientia provocarent. Et super aram Dianae impositi flagellis verberabantur tam diu, donec ex humano corpore sanguis flueret, qui instar sacrificii esset.

174. Atalante et Meleager.

Atalante, Iasii regis filia, fugiens cujusdam concubitum, in venando facta est comes Dianae. A Meleagro per vim compressa puerum edidit, cujus conceptum quia diu sub virginitate celavit, Parthenopaeum vocavit.

175. Quare columba dilecta sit Veneri.

Legimus, Cupidinem deum et Venerem causa voluptatis in quosdam nitentes descendere campos, lascivaque contentione certare, quis eorum plus florum colligeret. Quare Cupido, velocitate adjutus pennarum, magis acquisisse dicitur. Sed Peristera, Nympha quaedam, subito accurrens, adjuvando Venerem, colligendoque flores, Venerem potentiorem Cupidine fecit. Unde Cupido deus, indignatus sibi gloriae palma ablata, ipsam Nympham mutavit in columbam; quae etiam Graece περιστερὰ dicitur. Proinde columba in tutela Veneris esse dicitur.

176. Juppiter, Juno et Vulcanus.

Juppiter et Juno voluerunt intimare suam divinitatem, et genuerunt παραδόξως, Juppiter de sua barba Minervam, Juno de suo femore Vulcanum progenuit. Is deformior factus, ideoque praecipitatus est a caelo. Sed miseratione Plutonis praepositus est Cyclopibus, qui faciunt Jovi fulmina. Catax tamen permansit. Quum autem adolevisset, cum consilio Plutonis fecit sellam auream, ut posset agnoscere parentem. In qua sedens Juno risit; unde cognovit, suam matrem esse.

177. Templum Junonis.

Templum Junonis fuit, in quo mensam Hercules, et Diana lectum habuit; ubi portabantur pueri, ut de ipsa mensa ederent, et inde acciperent fortitudinem; et in lecto Dianae dormirent, ut omnibus amabiles fierent, et illorum generatio succresceret.

178. Styx et Victoria.

Styx palus est quaedam apud inferos, de qua legimus hoc: *Dî cujus jurare timent et fallere numen.* Quod inter fabulas ideo est, quia dicitur Victoria, Stygis filia, bello Gigantum Jovi favisse: pro cujus remuneratione Juppiter tribuit, ut dii, jurantes per ejus matrem, non audeant fallere. Ratio autem haec est. Styx *maerorem* significat; unde et Styx dicta est a tristitia. Dii autem laeti sunt semper et

immortales: ergo maerorem non sentiunt, jurantque per rem suae naturae contrariam. In Stygem Thetis Achillem mersit, ejus mortem timens, eo quod natus mortali patre esset; et totum, praeter plantam, impenetrabilem fecit.

179. Antigone.

Antigone, Laomedontis filia decora, formam suam Junoni praetulit. Quare irata Juno crines ejus in angues mutavit. Quae dum lavaretur, deorum miseratione in ciconiam versa est; quam ob causam ut avis infesta colubris narratur.

180. Apollo et Cassandra.

Quum Apollo Cassandram, filiam Priami, adamaret, constituit, ut secum ea conditione rem conjugii haberet, ut illi scientiam divinandi concederet. Quae quum sibi promitteret quod voluit, ille scientiam divinandi concessit, Postea Apollo, spe promissi amoris, concessa divinatione, frustratus, fidem vera dicenti sustulit.

181. Minerva Graecis irata.

Fabula hoc habet. Propter stuprum Cassandrae, quam Ajax, filius Oïlei, unus de ducibus Graecorum, in templo Minervae vitiavit, Graecis iratam Minervam; vel quia ei victores superbia sacrificare noluerunt. Unde eos redeuntes gravissima tempestate fatigatos per diversa dispersit. Horatius: *Quum Pallas usto vertit iram ab Ilio.* Revera autem constat, Graecos tempestate laborasse aequinoctio vernali; quoniam manubiae Minervales, id est fulmina, tempestates gravissimas commovent. Ut enim gemini Apollinis et Herculis esse dicuntur, sic Minervae aries esse cognoscitur.

182. Picus et Pomona.

Picum amavit Pomona, pomorum dea, et ejus volentis est sortita conjugium. Postea Circe quum eum amaret et sperneretur, irata eum in picum Martium convertit. Nam altera est pica. Hoc autem ideo fingitur, quia augur fuit, et domi picum habuit, per quem futura noscebat; quod libri pontificales indicant. Bene autem poëta ei lituum dedit; quod est augurum proprium.

183. Astraeus et Aurora.

Zephyri venti sunt, juxta Graecorum voluntatem, nati ex Astraeo et Aurora; unde Titanes duce Atlante originem

trahunt, Quos Juno causa Epaphi, ex Jove nati. contra Jovem excitavit arma sustollere; unde victi poenas dedere adjuvantibus diis. Et Atlanti caeli onus imposuit. Unde Virgilius: *Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?* Hi autem appellantur diversis nominibus tam a Graecis quam a nobis. Illi *Zephyrum*, nos *Austrum* dicimus. Nos *Aquilonem*, illi *Boream* vocant. Illi *Eurum*, nos *Africum* dicimus. Virgilius: *Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.*

184. Ganymedes.

Ganymedes, filius Troili, filii Priami, quum prima forma ceteris Trojanis praeferretur, et assiduis venationibus in Idae silva exerceretur, ab armigero Jovis, scilicet aquila, quae quondam illi fulmina offerebat, in caelum raptus est, et factus est pincerna deorum; quod officium prius occupaverat Hebe, filia Minois, filii Jovis. Vel aliter. — Juppiter ne infamiam virentis, id est masculini, concubitus subiret, versus in aquilam ex Ida monte Ganymedem rapuit, et fecit eum pincernam in caelo.

185. Liriope et Narcissus.

Liriope Nympha ex amne Cephiso procreavit Narcissum, cui Tiresias omnia prospera pollicitus est, si pulchritudinis suae nullam habuisset notitiam. Hunc igitur quum Echo diligeret, neque ullam viam potiendi inveniret, cura juvenis, quem extremis vocibus persequeretur fugientem, extabuit; ejusque corporis reliquiae in lapidem versae sunt. Quod ei accidit Junonis ira, quia garrulitate sua eam saepe est morata, ne Juppiter in montibus, dum persequeretur Nymphas, deprehendi posset. Fertur Echo filia Junonis, et ob deformitatem in montibus esse abscondita, ne quid ejus praeter vocem inspici posset, quae tamen post obitum audita. Narcissum autem supra dictum ob nimiam crudelitatem, quam in Echo exhibebat, Nemesis, id est Fortuna ultrix fastidientium, in amorem sui pertulit, ut non minori flamma, ac illa, exureretur. Qui quum assidua venatione fatigatus juxta fontem in opaco procubuisset, et hauriens aquam similitudinem sui conspexisset, et diutius ibidem moraretur, novissime extabuit, ita ut vita privaretur. Ex cujus reliquiis flos extitit, quem Najades Nymphae, flentes casum fratris, Narcissi nomine notarunt.

186. Sirenes et Proserpina.

Sirenes, Acheloi fluvii et Melpomenes Musae filiae, quum Proserpinam raptam requirerent, et eam minime invenisset,

versae sunt in volucres, ut non tantum in terris, sed in mari, requisitam persequi possent. Novissime devenerunt ad petram Martis, quae imminebat proximo pelago. Harum itaque fatum fuit, ut, quamdiu earum vox audita esset mortalibus, manerent incolumes. Forte Ulixes monitu Circes, filiae Solis, praetervectus est: tum se praecipitaverunt.

187. Latona et Lycii rustici.

Latona, Coei Gigantis filia, quum Junonis ira ob adulterium ex Jove conceptos Apollinem et Dianam parere non posset, nullaque errantem eam regio susciperet, novissime venit in Lyciam; et quum ardore aestivo sitim sedare vellet, ab his, qui juncum legebant secus litus, prohibita est accedere. Quam ob rem ira accensa, petiit a diis, ut numquam stagno accolae carerent. Auditis precibus, Juppiter agricolas in speciem ranarum convertit.

188. Medea, Iason, Aeson, et nutrices Liberi patris.

Iason postquam Medeam in Graeciam duxit, promisso sibi conjugio copulavit, multis rebus expertus ingenium ejus, petiit, ut parentem Aesonem in adolescentiam perduceret. At illa nondum amore deposito, quem in eum habuit, nihil denegando ei, ahenum constituit, herbarumque genera, quarum scientiam habuit, variis regionibus quaesita, coquens, Aesonem interemtum in tepidis herbis immiscuit, et in pristinum vigorem perduxit. Liber pater ut animadvertit, Aesonem senectutem remediis Medeae expulisse, petit, ut nutricibus suis ferret auxilium, easque in adolescentium vigorem reduceret. Cujus auctoritate et auxilio illa compulsa, iisdem remediis, quibus Aesonem in primam juventutem reduxerat, Libero aeternum beneficium dedit.

189. Deucalion et Pyrrha.

Juppiter propter audaciam Lycaonis ceterorumque mortalium, qui sceleribus suis etiam deorum potentiam tentabant, orbem terrarum profusis imbribus inundavit (diluvio). Primum autem diluvium sub Ogyge, rege Thebanorum, extitit, non sub Saturno. Secundum sub Jove, quod et Deucalionis dicitur. Et quum duo mortales pietate ceteros anteïssent, Deucalion, Promethei filius, et Pyrrha, eadem soror et uxor, in Parnaso monte proluviem imbrium effugerunt; et sorte moniti Themidis, quae eo tempore antistes terrae erat, a diis per preces veniam acceperunt generandae prolis. Apol-

line namque consulto in templo, quod in eodem colle habebatur, respondit oraculum, ut in monte ossa matris suae in terram projicerent. Proinde magna ambiguitate haerere coeperunt, quae essent ossa matris suae. Tandem recordati sunt, quod terra eorum mater esset, et petrae ossa terrae. Mox igitur post tergum saxa projiciebant. Quae Deucalion mittebat, viri efficiebantur; quae Pyrrha, feminae. Postea venit Prometheus et vivificabat homines illos, face caelesti adhibita.

190. Palici dii.

Symaethos fluvius est Siciliae haud longe ab urbe Catinensi, circa quem sunt Palici dii, quorum talis est fabula. Aetnam Nympham Juppiter quum vitiasset et fecisset gravidam, timens Junonem, secundum quosdam, Terrae commendavit ipsam puellam, et illic enixa est. Secundum alios, post partum ejus quum de terra erupissent duo pueri, *Palici* sunt dicti, quasi *iterum venientes.* Hi primo humanis hostiis placabantur; postea quibusdam sacris mitigati sunt, et eorum immutata sacrificia. Ideo autem *ara placabilis*, quia eorum mitigata sunt numina.

191. Consus et circenses ludi.

Consus deus est consiliorum; qui ideo templum sub tecto habuit, ut ostendatur, tectum esse debere consilium. Inde est, quod et Fidei, panno velata manu, sacrificabant, quia fides tecta esse debet. Iste Consus et eques Neptuni dicitur. Unde etiam in ejus honorem circenses celebrantur. Circenses autem dicti vel a *circuitu*, vel quod ubi nunc metae sunt, olim gladii ponebantur, quos *circuibant.* Dicti autem circenses ab *ensibus*, *circa* quos currebant.

192. Hercules et Olympiadum ludus.

Hercules et milites ejus pugnaverunt primitus super equos juxta Olympum montem. Quos videntes hostes a longe super equos, crediderunt Centauros esse, et stupefacti in fugam versi sunt. Et ideo Hercules ibi ludos instituit. Hercules enim apud Graecos virtute sollemni, multimodo cursu pedum, sub uno anhelitu, tertiam partem miliaris, id est CXXV passus, percurrebat, et juxta montem Olympum terminum statuit: unde et *stadium* dictum est a *stando*, ad metam scilicet, cursu peracto; et est stadium octava pars miliarii. Postea ad imitationem Herculis ludus est institutus, Olympias dictus. Olympias dicebatur tempus IV annorum, siquidem expletis annis tribus, anno quarto veniente celebrabatur festivitas

in honorem Jovis Olympici, id est caelestis; qui dictus Olympicus ab Olympo monte, ubi colebatur, et poëtae pro caelo ponere solent; est enim mirae altitudinis. In illa autem festivitate omnia genera ludorum certaminumque exercebantur, diversisque modis ibi currebatur tam cursu pedum, quam equis et curribus; et termino posito, ad quem currerent, mox retro seu in aliam partem flectebant.

193. Tiberis.

Tiberis Tuscorum rex fuit, qui juxta hunc fluvium cecidit, et ei nomen imposuit Tibris. Alii volunt, istum ipsum regem latrocinatum esse circa hujus fluminis ripas, et transeuntibus crebras injurias intulisse; unde *Tybris* quasi ὕβρις dictus est, id est ab injuria. Alii volunt, eos qui de Sicilia venerunt, Tiberim dixisse ad similitudinem fossae Syracusanae, quam fecerunt per injuriam Afri, item Athenienses, juxta civitatis murum. Livius dicit, ab Albano rege Tiberino Tibrin dictum. Sed non procedit; ideo quia etiam ante Albam Tibris dictus invenitur.

194. Gryneum nemus.

Gryneum nemus est in finibus Ioniis, Apollini consecratum, in quo aliquando Calchas et Mopsus de peritia divinandi dicuntur habuisse inter se certamen: et quum de pomorum cujusdam arboris contenderent numero, stetit gloria Mopsi; cujus rei dolore Calchas interiit. Hoc Euphorionis concinunt carmina, quae Gallus transtulit in sermonem Latinum. Unde est illud in fine Virgilii, ubi Gallus loquitur: *Ibo, et Chalcidico quae sunt mihi condita versu carmina.* Nam Chalcis civitas est Euboeae, de qua fuit Euphorion.

195. Idomeneus rex et ejus filia.

Idomeneus, rex Cretensium, quum post eversam Trojam reverteretur, in tempestate devovit, se sacrificaturum de re, quae ei primum occurrisset. Contigit igitur, ut prima filia ei occurreret. Quam quum, ut alii dicunt, immolasset; ut alii, immolare voluisset; a civibus pulsus regno, Sallentinum Calabriae promontorium tenuit, juxta quod condidit civitatem, *Et Sallentinos obsedit milite campos.*

196. Croesus rex Lydiae.

Croesus, rex Lydorum, aliquando a rege Persarum Cyro captus, rogo est suppositus. Subito tanta pluvia exorta est, ut ignis extingueretur, et ipse occasionem inveniret fu-

giendi. Hoc quum prospere sibi evenisse gloriaretur, opum etiam immensitate nimium se jactaret, dictum est ei a Solone, uno de VII sapientibus, *non debere quemquam in divitiis et prosperitate gloriari, quum nesciamus, quid superventura pariat dies.* Eadem nocte vidit in somnis, quod Juppiter aqua eum perfunderet, solque exstingueret. Quod quum filiae suae Phaniae nunciaret, illa, ut res se habuit, prudenter resolvit, dicens, *quod cruci esset affigendus, et aqua perfundendus, et a sole siccandus.* Quod postea ita contigit; nam rursus captus a Cyro, et cruci fixus est.

197. Thamyris et Musae.

Thamyris quidam vates fuisse dicitur, quem Musae, diu contra se et Apollinem carmine suo contendentem, caecasse feruntur.

198. Sorores Meleagri.

Meleagria Pleuron civitas est, ubi Meleagrides, sorores Meleagri, illum a fratre Tydeo interfectum, intolerabiliter flentes, deorum miseratione in aves, id est in gallinas rusticanas, versae narrantur.

199. Iason, Hypsipyle et Phetoneus.

Iasonides, filius Iasonis et Hypsipyles; qui alterum habere maternum nomen fertur, id est Thoas, quia mater ejus filia Thoantis erat, et alterum vocabatur a patre navigatore Euneus, quia *εὖ* Graece dicitur *bene*, *νηῦς* dicitur *navis*; *Euneus* quasi *bene navigans.* Phetoneus autem, seu Thyoneus, Liberi filius fuit, qui in Chio regnavit, pater Thoantis regis, cujus filia Hypsipyle, conjuratione contra viros facta, sola patrem servavit, quem proavus Liber salvavit.

200. Myrrha et Adonis.

Myrrha patrem suum amasse dicitur, cum quo inebriato rem habuit. Quumque eam pater utero plenam rescisset, crimine cognito, eam evaginato gladio coepit persequi. Illa in arborem myrrham versa est; quam arborem pater gladio percutiens, Adon exinde natus est; quem Adonem Venerem amasse dicunt. Ideo hoc fingitur, quod myrrha videlicet arbor generet *ἡδονήν*, quod Graece *suavitas*; quia myrrha gumma suavis est odore; unde et a Venere amatur; quia hoc genus pigmenti sit valde fervidum.

201. Aeneas et Lethaeus fluvius.

Aeneas dum per inferos pergeret, respexit fluvium quendam loci remotioris, ad quem innumera multitudo tendebat animarum. Interrogavit patrem, quis esset fluvius, vel qua ratione ad eum pergerent animae. Pater ait: Lethaeus est; pergunt autem animae, ut potent et oblivionem patiantur, ut incipiant velle remeare. Stupefactus Aeneas interrogat. Dic pater, etiam animae, quae propter praeteritam vitam tot supplicia pertulerunt, possunt habere votum revertendi in corpora? Non est veri simile, liberatas de corporis carcere, ad ejus nexum reverti. Suscepta interrogatione, haec Anchises exsequitur: *primo fieri*, *ut redeant*, *deinde posse*, *deinde velle*. Quae quoniam obscura sunt, aliis subdivisionibus innotescunt. Quid est *debere?* Cuncta animalia a Deo originem ducunt. Quae quia nasci cernimus, revertuntur procul dubio, unde cuncta procreantur. Deinde *posse* sic probat: quia immortales sunt animae, et sunt quae possunt reverti. Tertium est, utrum *velint*; quod dicit fieri per Lethaeum fluvium. Et hoc est, quod dicturus est. Sed incidentes quaestiones faciunt obscuritatem. Sane de hoc fluvio quaeritur a prudentioribus, utrum de illis novem sit, qui ambiunt infernum, an praeter novem. Et datur intelligi, quod ab illis novem separatus sit. Namque volunt eum esse imaginem senectutis. Nam animae nostrae vigent et alacres sunt, et plenae memoria a pueritia usque ad senectam. Postea in nimia senectute omnis memoria labitur; qua lapsa, mors intervenit, et animae in aliud corpus revertuntur. Unde fingunt poëtae, animas, Lethaeo hausto, in corpus redire. Ergo Lethaeus est oblivio, morti semper vicina. Si anima est aeterna, et summi spiritus pars, qua ratione in corpore non totum videt? nec est tantae prudentiae, tantaeque vivacitatis, ut omnia possit agnoscere? Immo quia coepit in corpus descendere, potat stultitiam et oblivionem. Unde non potest implere vim numinis sui post naturae suae oblivionem.

202. Fuga Aeneae.

Aeneas, Veneris et Anchisae filius, in eversione Trojae deos penates, et patrem, et filium Ascanium ex incendio eripuit, et cum his in Idam montem venit; ibique XX navibus fabricatis, responsis deorum monitus, mare ingressus est, et ad Thraciam venit, ibique condidit civitatem, quam Aeneas idem de suo nomine vocavit. Inde auspiciis Deorum commonitus, ad Delum insulam navigavit; ibique rex Anius, idem et sacerdos Apollinis, erat. Exhinc profectus per Cycladas insulas, venit ad Cretam insulam, in qua Perga-

mum civitatem condidit. Et hortatu deorum admonitus, in Italiam perrexit. Strophadas et multas praeterea Graeciae insulas praeteriens, ad Helenum in Achajam venit. Cujus vaticinatione monitus, ad litus Italiae, quod non longe videbat, devenit, et per eas Italiae oras navigans, quas Graeci inter Italiam et Siciliam vocant, cum magno labore ad Cyclopas venit. Et quum Drepani portum pervenisset, per Africam pervenit iterum ad Siciliam, ibique Acestam condidit urbem. Deinde Italiam navigans, non longe a Campania Euboïcis litoribus allapsus, Cumanam consulit Sibyllam, cum qua ad infernum descendit, ut cuncta cognosceret. Et deinde Circaeam insulam praetervectus, tandem ad Italiam venit, ostium Tiberis intrans; ibique pro pace satis agens petiit, et amicitiae Evandri junctus est, et auxilio Tuscorum auctus. Sed a Turno, filio Glauci et Veniliae, reginae Rutulorum, bello exceptus, eo interfecto, duxit ejus sponsam Laviniam, Latini regis filiam. De cujus nomine oppidum Lavinium condidit, ibique ternis annis regnavit. Mox quum, apud Numicum fluvium deambulans, nusquam comparuisset, in caelum translatus dicitur.

Item aliter. — Idem Aeneas, ut Cato dicit, postquam Laviniam, Latini regis filiam, accepit uxorem, vivente marito Turno; idem Turnus iratus tam in Latinum, quam in Aeneam, bella suscepit, a Maxentio impetratis auxiliis. In quorum primo bello periit Latinus; in secundo pariter Aeneas. Postea Maxentium interemit Ascanius, et Laurolavinium tenuit. Cujus Lavinia timens insidias, gravida confugit in silvas, et latuit in casa pastoris Tyri. Ad quam alludens, Tyrus pater recepit eam, et fovit: et illic enixa est Silvium. Sed quum Ascanius flagraret invidia, evocavit novercam, et ei concessit Laurolavinium; sibi vero Albam constituit. Qui quoniam sine liberis periit, Silvio, qui et ipse Ascanius dictus est, suum reliquit imperium.

203. Rhesus.

Rhesus rex Thraciae fuit. Qui quum ad Trojae venisset auxilia, clausisque portis tentoria locasset in litore, Dolone prodente, qui missus fuerat speculator, a Diomede et Ulixe est interfectus, qui et ipsi speculatum venerant. Abducti sunt equi, quibus pendebant fata Trojana.

MYTHOGRAPHUS PRIMUS.

Liber III.

204. Genealogia deorum et heroum.

Ophion, et secundum philosophos, Oceanus, qui et Nereus, de majore Thetide genuit Caelum. Caelus genuit Saturnum, Phorcum et Rheam. Phorcus genuit Sthenonem, Euryalem et Medusam, quae est Gorgona. Saturnus de Rhea genuit Jovem et Junonem et Neptunum et Plutonem. Juppiter de Electra genuit Dardanum et Teucrum. Dardanus Ilum et Assaracum. Ilus Laomedonta et Ganymedem. Laomedon genuit Anchisem, Tithonum, Antenorem, Antigonam, quae versa est in ciconiam, Hesionam et Priamum. Priamus de Hecuba, filia Dymantis, regis Thebarum, genuit Troilum et Helenum, Polydamanta, Deiphobum, Cassandram, Paridem, Hectorem, qui de Andromacha genuit Astyanacta. Anchises de Venere genuit Aeneam. Aeneas de Creusa Iulum, qui et Ascanius. Quo interfecto, ipse, post veniens in Italiam, de Lavinia, filia Latini, desponsata Turno, genuit Silvium Aeneam. Silvius Latinum. Latinus Epytum, Capum et Capetum. Capetus Remulum et Acrotam. Acrota Aventinum. Aventinus Palatinum. Palatinus Amulium et Numitorem. Amulius genuit Iliam sacerdotem, cum qua Mars concubuit, et genuit Romulum et Remum. Romuli uxor Hersilia, de cujus stirpe fuit Iulius.

Item Juppiter concubuit cum una de quatuor filiabus Atlantis, quarum nomina non leguntur; genuitque ex ea Tantalum. Tantalus de Sterope genuit Nioben et Pelopem. Pelops de Hippodamia, filia Oenomai, quae vicit curuli certamine auxilio Myrtili, genuit Atreum et Thyestem. Atreus Agamemnonem et Menelaum. Menelaus de Helena Hermionem. Agamemnon de Clytemnestra Orestem et Iphigeniam.

Major Thetis, uxor Oceani, genuit Thetidem, matrem Achillis, et Clymenem. Clymene fuit uxor Solis, et genuit Phaëthonta. Item genuit Aeetam. Aeetas Theseum. Neptunus genuit Aegeum. Aegeus Theseum. Theseus de Hippolyta, regina Amazonum, genuit Hippolytum. Idem genuit Demophoonta.

Item Juppiter concubuit cum Alcumena, uxore Amphitryonis, et genuit Herculem. Hercules de Deïanira Hyllum. Agenor genuit Cadmum, Europam, Cilicem, Phoenicem.

Cadmus accepit Hermionem, filiam Veneris, uxoris Vulcani et Martis, de qua genuit Agavem, Semelem, Autonoëm et Inonem. Agave genuit Pentheum. Semele Bacchum. Autonoë Actaeona. Ino, uxor Athamantis, post Nephelem genuit Phrixum et Hellen, Learchum et Melicertam. Cadmo successit Lycus, cujus erat uxor Antiopa, Nyctei filia, cum qua concumbens Juppiter in specie Satyri, genuit Zethum et Amphionem, qui successit Lyco, et accepit Nioben, de qua genuit septem filios et totidem filias.

Laius de Iocasta genuit Oedipum. Oedipus de Iocasta genuit Eteoclem et Polynicem, Ismenem et Antigonam. Adrastus genuit Argiam et Deiphylem. Mars genuit Parthaonem. Parthaon genuit Oeneum. Thestius genuit Althaeam, Toxeum et Plexippum. Oeneus de Althea genuit Meleagrum et Gorgem et Deïaniram. Meleager genuit Parthenopaeum. Tydeus Tydidem, qui fuit dux in Trojano bello.

Item Juppiter de Latona, filia Coei, genuit Apollinem et Dianam. Secundum quosdam Coeus fuit filius Titani, qui, concumbens cum Terra, genuit duodecim filios, qui insurrexere contra deos. Apollo vero et Diana, quia non consenserunt iniquitati eorum, caelestem meruere scandere currum. Item Juppiter concubuit cum Maja, et genuit Mercurium. Vulcanus de semine, seu femore, Junonis. Pallas, quae et Minerva, de cerebro Jovis. Heben genuit Juno de Jove; secundum quosdam, de lactuca. Item Venus de naturalibus Saturni, a Jove de regno expulsi. Item Juppiter concubuit cum Danaë, filia Acrisii, et genuit ex ea Perseum. Item concubuit cum Leda, uxore Tyndari, in specie cygni. Inde duo ova nata sunt, ex quorum altero Castor et Pollux, ex alio Clytemnestra et Helena natae sunt.

Lycurgus genuit Phyllidem et Archemorum. Aeetes de Hypsea genuit Chalciopen et Medeam et Absyrtum. Ovidius: *Non Hypsea parens Chalciopeque soror.* Admetus de Alcesta genuit Nisam et Stenoboeam. Pro Nisa servivit ei Apollo septem annis. Stenoboeam accepit Proetus in uxorem. Apollo de Coronide genuit Aesculapium. Item, secundum quosdam, Apollo concubuit cum Ethea, et genuit Circen. Idem genuit Pasiphaën. Item Juppiter concubuit cum Europa, filia Agenoris, genuitque ex ea Minoa. Pasiphaë de Tauro genuit Minotaurum. Minos de Pasiphaë Phaedram, Ariadnen, et Androgeum. Ariadnen, in insula a Theseo relictam, accepit Bacchus, genuitque ex ea Thoanta. Thoas genuit Hypsipylen, quae habitabat in Lemno insula.

Laërtes genuit Ulixem. Ulixes de Penelope genuit Telemachum. Teucontus genuit Palamedem. Nauplius genuit Telephum. Antenor genuit Artilochum et Acamanta. Phoebus

genuit Miletum. Miletus de Cyaneë, filia Maeandri, genuit Caunum et Biblidem. Erechtheus, rex Athenarum, qui successit Pandioni, patri Philomelae et Procnes, uxoris Terei, matris Ityos, genuit Procrin et Orithyiam. Procrin habuit Cephalus, qui fuit de stirpe Aeoli. Orithyiam rapuit Boreas, et genuit ex ea Zeten et Calain.

205. Phlegyae.

Phlegyae secundum Euphorionem populi insulani fuerunt satis in deos impii et sacrilegi. Unde iratus Neptunus percussit tridenti eam partem insulae, quam Phlegyae tenebant, et eos obruit. Phlegyas autem, Ixionis pater, habuit filiam Coronidem, quam Apollo vitiavit; unde suscepit Aesculapium. Quod pater dolens, incendit templum Apollinis, et ejus sagittis est ad inferos trusus. Unde Statius: *Phlegyam subter cava saxa jacentem aeterno premit accubitu.* Discite justitiam vel nunc in poenis locati.

206. Partheniae.

Lacones, diu bello attriti ab Atheniensibus, et inopiam metuentes virorum, praeceperunt, ut virgines cum quibuscumque concumberent. Quo facto, dum post victoriam juvenes, parentibus nati incertis, erubescerent originem suam (nam et *Partheniae* appellabantur), duce Phalantho, octavo ab Hercule, navigiis venerunt ad oppidum Calabriae, quod Taras, Neptuni filius, condiderat, et id auctum habitaverunt.

207. Juppiter, Thetis et Achilles.

Quum Juppiter Thetidem ducere vellet, fata prohibuerunt, eo quod proles, quae nasceretur, Jovem pelleret regno, sicut ipse Saturnum expulerat. Thetis dea Peleo mortali homini nupsit, ex quo genuit Achillem; de cujus morte timens, a Neptuno frustra consolatur.

208. Nuptiae Pelei et Thetidis.

Peleus, Acaci vel Acei filius, quum Thetidem, Nerei et Doridis Nymphae filiam, in matrimonium accepit, omnes deos ad nuptias invitavit, praeter Discordiam. Quae irata malum aureum in convivium jecit, inscriptum: *pulcherrimae deae donum.* Quo collecto, inter Junonem et Minervam et Venerem certamen est ortum, quae Jovem judicem petierunt. Ille, ne uxorem aut filias offenderet, ad Paridem sive Alexandrum, filium Priami et Hecubae (qui numquam dicebatur personam accepisse in judicio) in Ida, monte Phrygiae,

pecora pascentem, eas misit. Cui quum Juno regnum Asiae, Minerva omnium artium scientiam, Venus quamcumque vellet mulierem, promitterent; Venerem illo malo dignissimam pronuntiavit. Quo facto, Juno et Minerva Trojanis dicuntur iratae, spretae injuria formae.

209. Achilles.

Achilles, Thetidis et Pelei filius, cum quinquaginta navibus de Larissa civitate Agamemnoni et Menelao, Atridis, auxilium adversus Trojanos tulit. Et dum Trojae per inducias Agamemnon cum exercitu suo armis loca obsederat, Achilles finitimas urbes cum suis Myrmidonibus expugnavit, inter quas Thebas et Lyrnesum, et pulcherrimas duas Briseïdem et Chryseïdem adjunxit sibi. Interea pestilentia Graecorum exercitum invasit; et monitis Calchantis Agamemnon victus, Chryseïdem patri Chrysae, sacerdoti Apollinis, reddidit, dicens, *Achillem id facere debere.* Ac propter hoc inter eos usque ad caedem mutuam uterque exarsit exercitus, ut vix Minerva eorum contentionem sedaret. Post hoc Achilles Trojanis feliciter pugnantibus aliquandiu non repugnavit. Ad extremum vero quum Hector, victis Graecis, naves eorum incenderet, et in ipsis castris pugnaret, Patroclus, armiger Achillis, cum armis ejus procedens ad pugnam, ab Hectore occisus est, armis ablatis. Quo dolore ille incitatus, quum vellet pugnare, et arma non haberet, a matre Thetide Vulcani arma accepit. Quibus indutus quum se pugnae restituisset, et plurimos Trojanos occidisset, cum ipso Hectore singulari certamine congressus est. Quem occisum spoliavit armis, ejusque corpus currui subligatum circumferri fecit; quod Priamus auro compensatum ad humandum redemit inermis egressus.

210. Troilus.

Troilus, Priami et Hecubae filius, quum equos extra muros exerceret, ab Achille per insidias vulneratur, exanimisque in urbem equis religatus refertur. Cui dictum erat, quod, si ad annos XX pervenisset, Troja everti non potuisset,

211. Victoria Hectoris et fuga Palamedis.

Achilles noluit expugnare Trojam, quia corruptus erat a Priamo rege, promittente ei filiam suam Polyxenam dare in conjugium. Alio die venit Diomedes, filius Tydei, et rogavit eum, ut in aciem transiret. Achilles autem negabat. Palamedes vero rogavit eum, ut currum atque equos suos

et habitum suum donaret sibi. Achilles autem donavit. Postquam acies directa fuit ab Hectore, ipse Hector abstulit habitum, currum et equos. Inde dicit poëta: *Exuvias indutus Achillis.*

212. Thymoetes.

Priamus ex Arisba filium vatem suscepit. Qui quum dixisset, quadam nocte nasci puerum, per quem posset everti Troja, contigit, ut similiter parerent et Thymoetae uxor et Hecuba, quae Priami legitima erat. Sed Priamus Thymoetae filium uxoremque jussit occidi.

213. Mors Priami.

De morte Priami varie lectum est. Alii dicunt, quod a Pyrrho in domo quidem sua captus est; sed ad tumulum Achillis tractus, occisus est juxta Sigeum promontorium; nam ibi sepultus est. Tunc ejus caput, conto fixum, circumtulit. Alii vero dicunt, quod juxta Hercei Jovis aram extinctus sit. Unde Lucanus: *Herceas, monstrator ait, non respicis aras?* Et hanc opinionem plene Virgilius sequitur; licet etiam illa perscripta sit pluribus.

214. Dido.

Dido, Metonis filia, quem Virgilius Belum nominat, interfecto Acerbo conjuge suo, quem Virgilius Sichaeum nominat, a Pygmalione rege fratreque suo, per fugam elapsa, naves ascendit cum magno pondere auri, et Africae litora pervenit. Ibi ab Iarba, rege Maurorum, tantum soli emit, quantum corio bovis posset metiri vel occupare, et fraude urbem vindicavit. Nam corium in tenuissimas corrigias sectum tetendit, occupavitque stadia XXII. Ob quod factum *Byrsam*, postea Carthaginem, vocavit.

215. Saturnus.

Saturnus, amissa possessione caeli, quum per totum orbem profugus erraret, Junone sociata, ne longo taedio lassaret viae, eam Nymphis Africae commendavit alendam. Ex quo Carthaginem magnam Juno semper habitavit.

216. Dido et condita Carthago.

Dido quum pertransiret quandam insulam Junonis, illic accepit oraculum, et sacerdotem ejus secum abstulit, quum ei parum crederet, promittenti sedes Carthaginis. Quo quum

venisset, sacerdos elegit locum faciendae urbi. Quo effosso, inventum est caput bovis. Quod quum displicuisset, quia bos semper subjugatur; alio loco effosso, caput equi inventum est. Et placuit, quia hoc animal, licet subjugetur, bellicosum tamen est, et vincit, et plerumque concordat. Illic ergo Junoni templa fecerunt. Unde bellicosa est Carthago per equi omen, et fertilis per boves.

217. Anchises et Venus.

Sciendum, Anchisen pastorem fuisse, et cum eo amato Venerem concubuisse. Unde Aeneas circa Simoin fluvium Trojae natus est. Deae enim vel Nymphae enituntur circa fluvios vel nemora. Quod quum jactaret Anchises, afflatus est fulmine, oculoque privatus; monoculus enim erat.

218. Dionysius tyrannus.

Dionysius, quidam tyrannus, Siciliam totam fraude vel dolo invasit et spoliavit penitus; adeo ut etiam simulacra et templa deorum devastaret. Barbam etiam barbati Jovis abstulit, et simulacrum ejus, vestibus pretiosissimis indutum, spoliavit, suisque induit, dicens, *non debere numen in tam rigidis vestibus frigere.* Quadam autem die amicorum suorum quidam interrogavit, *an esset felix?* Qui ait: *Quidni?* jussitque illum residere in solio suo, indutum vestibus regiis sceptrumque tenentem; ac deinde gladium acutissimum, tenuissimo filo ligatum, super verticem ejus suspendi, et interrogavit eum, *utrum sibi videretur esse beatus?* Qui respondit, *nullo modo se esse beatum, qui aestimaret, se casu gladii cito moriturum.* Cui Dionysius: *Qualem tu,* inquit, *nunc habes timorem, talem ego assidue patior.*

219. Regulus consul Romanorum.

Regulus consul Romanorum fuit, qui multos Afrorum bello cepit ac vinculis tradidit. Hic aliquando, contra eos bellum agens, captus est et vinculis mancipatus. Quem Romani non parvi pendentes, dederunt obsides, eumque a vinculis solverunt. Quum venisset in senatum, uxorque cum filiis eum osculari vellent, respondit, *non debere captivum a nobili persona osculari.* Deinde quum pretio illum redimere voluissent, summopere interdixit, dicens, *se nullo modo rei militari digne posse inservire.* Sicque, ut Orosius dicit, redditus est propria voluntate hostibus, et in vincula conjectus, excisis palpebris oculorum, insomnis periit.

220. Victoria Torquati et parricidium.

Lucius Manlius Torquatus Gallum quendam singulari certamine superavit, et ejus sibi *torquem* imposuit, unde nomen accepit. Hic ad urbem pergens, praecepit filio, ut tantum castra tueretur. Ille nactus occasionem, bellum aggressus, victoriam consecutus est. Reversus postea pater laudavit fortunam populi Romani; sed filium, ut dicit Livius, fustuario necavit propter inobedientiam; non tamen securi severiore occidendi genere. Nam securi non animadvertit in filium.

221. Camilli victoria.

Brenno duce Galli apud Alliam fluvium deletis legionibus, subverterunt urbem Romam, absque Capitolio; pro quo immensam pecuniam acceperunt. Tunc Camillus absens dictator est factus, quum esset apud Ardeam in exilio propter Vejentanam praedam, non aequo jure divisam. Is Gallos abeuntes secutus est; quibus interemtis, aurum recepit et signa. Quod quum illic appendisset, civitati nomen dedit; nam Pisaurum dicitur, quia illic *aurum pensatum* est. Post hoc tamen factum rediit in exilium, unde rogatus reversus est.

222. Septem civilia bella Romanorum.

A Caesare consuetudinem fecit populus Romanus bellorum civilium. Septies enim gesta sunt. Primo contra Pompejum in Thessalia. Secundo contra ejus filium Magnum in Hispania; item contra Jubam et Catonem in Africa. Mortuo Caesare, ab Augusto Octaviano contra Cassium et Brutum in Philippis, civitate Thessaliae; et item contra Lucium Antonium in Perusia, Tusciae civitate. Sexto contra Sextum Pompejum in Sicilia. Septimo contra M. Antonium et Cleopatram in Epiro.

223. Atilii fortuna.

Atilius quidam senator fuit. Qui quum agrum suum coleret, evocatus propter virtutem, meruit dictaturam. *Serranus* autem a *serendo* dictus est. Hic etiam Quintius Cincinnatus est appellatus. Denique idem, caesis hostibus victor effectus, subjectos hostes primus prae se egit.

224 Fabii.

Trecenti et sex fuerunt de una familia Fabiorum. Qui quum conjurati cum servis et clientibus suis contra Vejentes

dimicarent, insidiis apud Cremeram fluvium interemti sunt. Unus tantum superstes fuit Fabius Maximus, qui propter teneram adhuc pueritiam in civitate remanserat. Hic postea quum Hannibalis impetum ferre non posset, mora eum elusit. et ad Campaniam traxit, ubi deliciis ejus virtus obtorpuit. Ille est, de quo ait Ennius: *Unus qui nobis cunctando restituit rem.* Sciens enim Virgilius quasi pro exemplo hunc versum posuit.

225. Marcelli victoria.

Marcellus Gallos et Poenos equestri certamine superavit; Viridomarum, Gallorum ducem, manu propria interemit, et opima rettulit spolia, quae dux detraxerat duci; sicut Cossus Larti Tolumnio.

226. Laudes et mors alterius Marcelli.

Varia, secundum carmina Virgilii, in juventute spectantur; pulchritudo, aetas, virtus. Significat autem Virgilius Marcellum, filium Octaviae, sororis Augusti, quem sibi Augustus adoptavit. Hic XVI anno incidit in valetudinem, et periit XVII, in Bajano, cum aedilitatem gereret. Hujus mortem vehementer civitas doluit; nam et affabilis fuit, et Augusti filius. Ad funeris hujus honorem Augustus quingentos electos ire intra civitatem jussit. Hoc enim apud majores gloriosum fuerat, et dabatur pro qualitate fortunae. Nam Sylla sex milia habuit. Igitur cum ingenti pompa elatus, et in campo Martio est sepultus. Ergo in Augusti adulationem quasi epitaphium dicit Virgilius.

227. Fatuus et Fatua.

Quidam deus est Fatuus: hujus uxor Fatua. Idem Faunus, et eadem Fauna. Dicti autem sunt Faunus et Fauna a *vaticinando.* Unde et *fatuos* dicimus inconsiderate loquentes.

228. Duae portae Elysiorum.

Physiologia hoc habet, quod per *portam corneam* oculi significantur, qui et *cornei* sunt coloris, et duriores ceteris membris; nam frigus non sentiunt. Per *eburneam* vero *portam* os designatur, a dentibus. Unde et Aeneas per eburneam emittitur portam. Vel dicitur eburnea, quasi ornatior porta; nempe ea, quae supra fortunam sunt.

229. Endymion et Luna.

Endymion pastor amasse dicitur Lunam seu Dianam. Qui spretus pavit pecora candidissima, et sic eam in suum illexit amorem. Cujus rei mysticam quandam volunt rationem. Duplo quippe modo amasse dicitur Lunam. Seu quod primus hominum cursum lunae invenerit; unde et XXX annis dormisse dicitur, quia nihil aliud in vita sua nisi huic repertioni studuit. Sive quod nocturni roris humor, quem tam siderum quam ipsius lunae vapores animandis herbarum sucis consudarunt, pastoralibus prosit successibus.

230. Berecynthia et Atis.

Berecynthia, mater deorum, Atin puerum formosissimum amasse dicitur, quem, zelo succensa, castrando semimasculum fecit. Berecynthiam dici voluerunt, quasi montium dominam. Ideo matrem deorum, quod deos pro superbia nuncupari voluerunt, et matrem deorum in modum potentiae ponunt, unde *Cybebe* dicitur, quasi *κῦδος βέβαιον*, id est *gloriae firmitas*. Ergo potentia gloriae semper amore torretur, et livore torquetur; citoque abscidit, quod diligit, dum tamen amputat illud, quod odit.

231. Psyche et Cupido.

Apulejus in libris metamorphoseon scribit, in quadam civitate regem et reginam habuisse tres filias. Duas natu majores temperata specie fuisse; juniorem vero, Psychen nomine, tam mirae extitisse elegantiae, ut crederetur Venus esse terrestris. Denique duabus majoribus in conjugium a viris adscitis, illam, veluti deam, non quisquam amare ausus erat, sed venerari; atque hostiis eam sibimet deplacare intendebant. Venus ergo, succensa invidia, Cupidinem petit, ut in contumacem formam severiter vindicet. Ille ad matris ultionem adventans, visam puellam adamavit, et ipse se suo telo percussit. Itaque Apollinis denuntiatione jubetur puella in montis cacumine sola demitti et pennato serpenti sponsa destinari. Perfecto igitur choragio, (id est virginali funere,) puella per montis declivia, Zephyri flantis leni vectura delapsa, in quandam domum auream rapitur et pretiosam; ibique vocibus, sibi tantummodo servientibus, ignoto utebatur conjugio. Nam nocte adveniens maritus, veneriis per obscura peractis, ut invise vespertinus advenerat, ita crepusculo incognitus discedebat. Sed ad hujus mortem deflendam sorores advenerunt, montisque conscenso cacumine, germanam lugubri voce flagitabant. Et quamvis ille conjux lucifuga sororios ei

comminando vetaret aspectus, tamen consanguineae caritatis inevitabilis ardor evicit. Ac Zephyri flantis aura vectitante, ad semet sororios perducit affectus; quae, venenosis consiliis de mariti forma quaerenda consentiens, curiositatem, suae salutis novercam, arripuit. Denique credens sororibus, se marito serpenti conjunctam, velut bestiam interfectura, novaculam sub pulvinari abscondit, lucernamque modio contegit. Quumque altum soporem maritus extenderet, illa ferro armata, lucernaque eruta, Cupidine cognito, dum immodesto amoris torretur affectu, scintillantis olei ebullitione maritum succendit: fugiensque Cupido, multa super curiositate puellae increpitans, domo extorrem ac profugam dereliquit. Tandem multis jactatam Veneris persecutionibus, postea Jove petente in conjugium accepit.

232. Perdiccas.

Perdiccas fuit venator ferarum: qui propriae matris amore correptus, dum uterque immodesta libidine ferveret, et verecundia vim novi facinoris reluctaretur, consumtus atque ad extremam tabem deductus esse dicitur. Primus hic etiam serram invenit, juxta Virgilium. Veritas sic se habet. Quum esset venator, et ei ferinae caedis cruenta vastatio et solitudinum vagabunda currilitas displiceret; magis etiam perpendens, contirones suos, id est Actaeonem, Adonem, Hippolytum miserandae necis functos interitu, venationem exsecrans, agriculturam assectatus est. Ob quam rem matrem, id est terram omnium genetricem, amasse dicitur, et hoc labore ad maciem perductus.

233. Canis inter sidera translatus.

Canis inter sidera constituti fabula haec est. Hic canis dicitur ab Jove custos Europae positus esse, et ad Minoa pervenisse, quod ille studiosus fuerit venationis, et quod cani fuerat datum, ne ulla fera praeterire eum posset. Post ejus obitum canis ad Cephalum pervenit, cujus uxor fuerat Procris. Quem ille ducens secum, Thebas venit, ubi erat vulpes, cui datum dicebatur, ut omnes canes effugere posset. Itaque quum in unum pervenissent, Juppiter, nescius quid faceret, ut Ister ait, utrumque in lapidem convertit. Nonnulli hunc canem Orionis esse dixerunt; et quod studiosus fuerit venandi, cum eo cane quoque inter sidera collocatum. Alii autem canem Icari esse dixerunt.

234. Septem Plejades.

Plejadas seu Hyadas VII stellas appellatas novimus, Plejades dictae, quod VII filiae ex Plione, quae et Ethia, Oceani filia, et Atlante sint natae. Hae numero VII dicuntur; sed nemo amplius VI videre potest, cujus causa ponitur haec. De VII sex cum immortalibus concubuerunt; tres cum Iove, duae cum Neptuno, una cum Marte; reliqua autem, Sisyphi uxor demonstratur. Quarum ex Electra et Iove Dardanum; ex Maja Mercurium, ex Taygete Lacedaemona procreatum. Ex Alcyone autem et Neptuno Hyrica; ex Celaeno Lycum et Nyctea natum. Martem autem ex Sterope Oenomaum procreasse. Meropeam autem, Sisypho nuptam, Glaucum genuisse, quem complures Bellerophontis patrem dixerunt. Quare propter reliquas sorores ejus inter sidera constitutam; sed quia homini nupserit, stellam ejus obscuratam. Alii dicunt, Electram non parere, propter Trojam captam, et progeniem suam, quae ex Dardano erat, lamentantem. Est et alia earum traditio. Quum VII hae sorores iter cum puellis agerent, Orion conatus est uni earum vim inferre; at illa cum sororibus fugit. Oriona autem secutum eam annis XII, neque invenire potuisse. Jovem autem, puellarum misertum, inter astra constituisse utrosque. Itaque adhuc Orion fugientes eas ad occasum sequi videtur.

MYTHOGRAPHUS SECUNDUS.

Prooemium.

Ii, quos pagani deos asserendo venerantur, homines olim fuisse produntur, et pro uniuscujusque vita vel meritis colere eos sui post mortem coeperunt; ut apud Aegyptum Isis, apud Cretam Juppiter, apud Mauros Juba, apud Latium Faunus, apud Romanos Quirinus, apud Athenas Minerva, apud Samum Juno, apud Paphios Venus, apud Lemnios Vulcanus, apud Naxios Liber, apud Delios Apollo. In quibus etiam laudibus accesserunt poetae, et compositis carminibus in caelos sustulerunt. Ab actibus autem vocantur, ut Mercurius, quia *mercibus* praeest, Liber a *libertate*. Fuerunt etiam et viri fortes, aut urbium conditores, quibus mortuis homines, qui eos dilexerunt, simulacra finxerunt, ut haberent aliquod ex imaginum contemplatione solatium. Hic error posteris, daemonum persuasu, irrepsit, ut, quos illi pro sola nominis memoria honoraverant, posteri deos aestimarent et colerent. Stoici dicunt, non esse nisi unum deum et unam deam, eademque esse potestate; qui pro ratione officiorum et actuum variis nominibus appellantur. Deum eundem Solem, eundem Liberum, eundem Apollinem vocant. Item deam eandem Lunam, eandem Dianam, eandem Cererem, eandem Junonem, eandem Proserpinam dicunt. Numina autem utriusque sexus esse videntur, ideo quia incorporea sunt.

1. Saturnus.

Saturnus Caeli vel Pollutis filius, Opis maritus deae, senior, velato capite, falcem ferens pingitur. Saturnus igitur vim Jovis timens ab Olympo fuga lapsus, primus in Italia regnum obtinuit; genus indocile montibusque dispersum, leges dando, composuit; Latiumque, quia tutus ibi *latuisset*, vocavit: unde et velato capite quasi *latens* pingitur. Hunc autem, quia per annonae praerogationem populos ad se tra-

xit, quidam Saturnum a *suturando* dictum volunt: alii Saturnum, quasi *annis saturetur*, dicunt. Senior autem fingitur, vel propter tarditatem motus, vel quia longius a sole distat, vel quia deus pluviarum dictus est: nam senes, ut pluvias, semper frigidos esse novimus. Falcem autem tenet, vel quia deus temporum dicitur, quae, sicuti falx, in se recurrunt; vel propter sapientiam, quae intus sit acuta. Alii autem dicunt, Saturnum in progressu nihil nocere; retrogradum, esse periculosum; ideoque falcatum fingi, quia falx praetensa minus nocet; retroacta vero, quicquid offendit, secat. Quod autem filios comedisse dicitur, haec ratio est. Saturnus dicitur deus temporum. Tempus autem, quicquid gignit, consumit; saeculaque natos ex se annos contra revolvunt. Saturno ferunt fuisse quatuor filios, Jovem, Junonem, Neptunum, Plutonem. Poëtae, habitum elementorum numinibus dantes, Saturno, quasi temporum deo, IV filios, id est elementa, adscribunt; Jovi cum socia sibi conjuge Junone deputantes superiora; Neptuno et Plutoni inferiora. Unde et quatuor fratres orbis imperium dicuntur inter se divisisse. Et Juppiter caelum. Neptunus secundae sortis regnator perhibetur, quia aqua vicinior est caelo, quam terra. Tria autem haec numina, licet divisa imperia teneant, videntur tamen invicem regni totius habere potestatem. Sic et ipsa elementa, quae retinent, physica inter se quadam ratione junguntur, quod et ipsorum numinum sceptra significant. Juppiter enim trifido utitur fulmine, Neptunus tridente, Pluto Cerbero.

2. Juppiter.

Primum igitur Saturno adscribunt Jovem, ut ignem. Quem Jovem a *juvando* vocabant. Nulla enim res sic fovet omnia, quemadmodum calor.

3. Jovis aquila.

Aquila autem in tutela Jovis ponitur, ejusque armiger dicitur, quia nimiae caloris est; adeo ut etiam ova, quibus supersidet, coqueret, nisi admoveat gagaten, lapidem frigidissimum, ut testatur Lucanus: *Foeta tepefacta sub alite saxa.* Fingitur etiam in bello Gigantum Jovi arma ministrasse. Nam Juppiter et Saturnus reges fuerunt. Sed dum Juppiter cum Saturno patre haberet de agris contentionem, ortum bellum est; ad quod egrediens Juppiter, aquilae vidit augurium. Cujus quum vicisset augurio, fictum est, quod ei pugnanti tela ministrasset. Unde etiam a felici augurio natum est, ut aquilae militum signa comitentur.

4. Juno.

Deinde Junonem quasi aërem, quam Juppiter sibi nuptam catenis aureis ligasse dicitur; quam etiam poëtae reginam deorum vocabant. Juno autem a *juvando* dicta est. Ideo et regnis praeesse dicitur, quia haec vita divitiis studeat. Deam partus, et praeesse nuptiis volunt, quod divitiae semper praegnaces sint et nonnumquam abortiant.

5. Junonis pavo.

Hujus in tutela pavonem ponunt, quia omnis vita, potentiae petax, semper quaerit ornatus. Hic autem pavo secundum fabulas filius erat Aristoclis; et priusquam in avis speciem esset mutatus, omnibus extitit membris oculatus. Quem Juno Ioni, Inachi Argivorum regis filiae, a Jove amatae, apposuit custodem, ne Juppiter ad eam posset accedere. Quem quum Juppiter per Mercurium interemisset, Juno eum in pavonem mutavit, et in suam tutelam recepit.

6. Junonis Iris.

Huic etiam Irim quasi arcum apponunt, quia sicut ille varios ornatus accipit, ita fortuna, quamvis ad praesens ornata, tamen est citius fugitiva. Iris autem, Junonis ministra, secundum poëtas Thaumantias dicta est, nempe Thaumantis filia. Ceterum ex admiratione hoc nomen accepit; quae admiratio ex ejus nascitur coloribus. Iris dicitur quasi ἔρις, id est *lis*. Nam numquam ad conciliationem mittitur, sicut Mercurius, sed semper ad disturbationem. Falsum est autem, quod dicitur esse ministra tantum dearum, quum et a Jove plerumque mittatur; ut: *Aëriam caelo nam Juppiter Irim demisit.* Iris autem nisi e regione solis non fit; cui varios colores creantur, quia aqua tenuis, aëre lucido irradiata, varios creat colores.

7. Juno Jovis soror et conjux.

Cur autem Juno Jovis soror et conjux dicatur, haec ratio est. Quia elementa ignis et aër tenuitate sibi sunt paria, dicuntur esse germana. Sed quia mixta concordant, et maritatus aër igne fervescit, conjugio dicuntur copulata. Et quia Juno, id est aër, subjectus est Jovi, id est igni, jure superposito elemento mariti traditum est nomen. Dicitur autem Juppiter catenis eam ligasse, quod aër, igni caelesti conjunctus, duobus deorsum elementis misceatur, aquae et terrae; quae elementa duobus superioribus graviora sunt.

8. Qui primus templa fecerit.

Dicitur Phoroneus, filius Inachi regis Argivorum, primus Junoni templa dicasse, et sacrificiorum instituisse sollemnia; qui etiam primus mortalibus regnavit; cujus filiam Nioben (quia alia Tantali est) Juppiter primo mortalem dicitur sibi copulavisse.

9. Neptunus.

Neptuno deputant mare, eumque secundae sortis regnatorem perhibent, quia aqua vicinior est caelo quam terrae. Omne enim, quod continet, supra illud est, quod continetur. Neptuno autem Amphitriten in uxorem deputant (ἀμφὶ enim Graece *circa* dicimus), eo quod tribus elementis aqua conclusa sit. Ideo eum tridentem dicunt habere, quia aqua triplici fungatur virtute, liquida, fecunda, potabili.

10. Pluto.

Plutonem dicunt terrarum praesulem; πλοῦτος enim Graece *divitiae* dicuntur, solis terris divitias credentes deputari. Hunc et Orcum dicunt, quasi *jurantem*, ne aliquis impunitus abeat.

11. Tricerberus.

Tricerberum canem ejus subjiciunt pedibus, vel quia jurgiorum invidia ternario conflatur statu, naturali, causali, accidentali. Naturale est odium, ut canum, leporum, hominum. Causale est, ut amoris zelus. Accidentale est, quod aut casu oritur, ut hominibus; aut propter comestionem, ut jumentis. Vel quia Cerberus terra est, omnium corporum consumtrix. Unde Cerberus dictus, quasi κρεοβόρος, *carnem vorans*.

12. Furiae Plutonis.

Plutoni tres deserviunt Furiae, Noctis et Acheruntis filiae, serpentibus crinitae, quae et Eumenides κατ' ἀντίφρασιν, quum minime sint bonae, vocantur. Quarum prima Alecto, id est *inpausabilis*; secunda Tisiphone; quasi τούτων φωνή, id est *istarum vox*; tertia Megaera, quasi μεγάλη ἔρις, id est *magna lis*. Primum est ergo non pausando furere, secundum in voces erumpere, tertium jurgium protelare.

13. Jovis Harpyiae.

Harpyiae, quae et ipsae Furiae vocantur, secundum Virgilium tres esse dicuntur, Aëllo, Ocypete, Celaeno; secundum Apollonium, quem etiam Virgilius in duodecimo sequitur, duae tantum. Perhibentur etiam canes esse Jovis, a *rapiendo* Harpyiae dictae. Aëllo autem quasi *αἴρων ἄλλο*, *alienum tollens*. Ocypete, id est *citius auferens*. Celaeno Graece, Latine *nigrum* dicitur. Nam primum est aliena capere, secundum cupita invadere, tertium celare, quae invaduntur. Dicuntur autem Harpyiae Ponti et Terrae filiae esse; unde in insulis habitant, partem terrarum, partem maris tenentes. Alii vero dicunt, Harpyias esse Thaumantis et Electrae filias. Ut autem canes Jovis dicerentur, haec est ratio, quia ipsae *Furiae* esse dicuntur. Unde etiam epulas perhibentur arripere, quod est Furiarum, ut: *Et manibus prohibet contingere mensas.* Unde et avari finguntur Furias pati, quia abstinent a paratis. Item ipsas *Furias* Virgilius esse testatur, dicens in III: *Vobis Furiarum ego maxima pando.* Furias autem *canes* dici, Lucanus testatur, ut: *Stygiasque canes in luce superna destituam.* Et ut Virgilius in VI: *Visaeque canes ululare per umbram, adventante dea.* Sane apud inferos *Furiae* dicuntur et *canes*, apud superos *dirae* et *aves*, ut Virgilius in XII ostendit; in medio *Harpyiae* dicuntur; unde duplex effigies in his invenitur.

14. Parcae Plutonis.

Plutoni destinant tria Fata, quae poëtis Parcae per antiphrasin vocantur, per quas juxta paganos vita disponitur humana. Harum igitur una tenet colum, id est praeest nativitati; altera trahit filum, id est disponit vitam; tertia abrumpit, id est mortem adducit. Unde est: *Clotho colum bajolat, Lachesis trahit, Atropos occat.* Prima autem Clotho, id est *evocatio*; secunda Lachesis, id est *sors*; tertia Atropos, id est *sine ordine.* Prima igitur nativitatis est evocatio; secunda vitae sors, quemadmodum quis vivere possit; tertia mortis conditio, quae sine lege venit.

15. Plutonis conjux.

Plutoni nuptam volunt Proserpinam, Cereris filiam. Proserpinam vero Plutoni junctam quasi segetem esse voluerunt, id est terram radicibus *proserpentem.* Unde et Hecate dicitur, id est *centuplum* fructum proferens, vel *centum* potestates habens; *ἑκατὸν* enim Graeci dicunt *centum.* Hinc

hecatomben dicimus domum multiplicem. Ipsa est enim Luna in caelo, Diana in terra, Proserpina in erebo. Ceres autem Graece *gaudium* dicitur. Ideo enim Ceres dea frumenti esse dicitur, quia, ubi plenitudo sit fructuum, gaudium superabundet.

16. Vita Jovis.

Saturnus, postquam Themidis, id est terrae antistitis, secundum quosdam, Protei oraculo comperit, se a filio posse regno depelli, praecepit Opi, uxori suae, quae et Rhea vel Cybele dicitur, ut quicquid peperisset, sibi mox praesentaret. Quae praegnans peperit Jovem. Cujus pulchritudine delectata, Nymphis eum alendum in monte Cretae Dictaeo commendavit. Ipsa autem a Saturno, *ubi esset*, *quod peperisset*, interrogata, lapidem ei veste involutum monstravit, quem Saturnus voravit. Juppiter autem, nutritus a Nymphis, quibus erat a matre commendatus, et lactatus est a capra, Amalthea nomine, cujus etiam pelle in bello, contra Titanas pugnato, ipse postea dicitur usus fuisse. Tunc adhibiti sunt ei Curetes et Corybantes, qui vagitum pueri tinnitu aeris prohiberent audiri. Unde et Corybantes sunt ministri matris deorum, quasi daemones, qui totum sciunt. Tunc itaque apes, aeris sonum secutae, Jovem dicuntur melle aluisse. Pro qua re eis postea praestitit Juppiter, ut haberent liberos sine ullo concubitu. Adultus autem Juppiter patrem regno depulit, factusque stuprator pessimus, saecula, quae Saturno regnante dicebantur aurea, suo sub imperio fecit dici argentea. Ob cujus incestus crimina, Astraea, Titanum soror, propter aequitatem Justitia cognominata, fertur in caelum recessisse cum sorore sua Pudicitia.

17. Latona ejusque soror.

Juppiter Latonam, Titanis scilicet filiam, vitiavit. Post, quum etiam sororem ejus Asterien vitiare vellet, illa optavit, ut a diis converteretur in avem, versaque est in avem ὄρτυγα, quam nos coturnicem vocamus. Et quum vellet mare transfretare, quod est coturnicum, afflata a Jove et in lapidem conversa, diu sub fluctibus latuit. Postea, supplicante Jovi Latona, levata est, et *Ortygia* dicta, superferri aquis coepit. Haec primo Neptuno et Doridi fuit consecrata. Postea quum Juno gravidam a Jove Latonam, immisso Pythone, quem post factum cataclysmum specie ignota mortalibus Terra edidit, persequeretur, nullaque eam errantem regio reciperet, novissime venit in Lyciam. Et quum ex calore aestivo sitim sedare vellet, ab his, qui juncum secus

litus carpebant, prohibita est propius accedere. Quam ob rem irata petiit a diis, ut numquam accolae stagno carerent. Auditis precibus, Juppiter agricolas in ranarum speciem vertit. Quum autem, Junone persequente, conceptos Apollinem et Dianam parere non posset, terris omnibus expulsa, tandem aliquando, Ortygia applicante se litoribus, suscepta est, et illic Dianam primo, post Apollinem edidit; qui statim, occiso Pythone, ultus est matris injuriam. Sane nata Diana parturienti Apollinem matri dicitur praebuisse obstetricis officium. Unde quum Diana sit virgo, tamen a parturientibus invocatur. Haec namque est Diana Luna Proserpina. Nata igitur duo numina terram sibi natalem errare non passa sunt, sed eam duabus insulis, Myconi Gyaroque, religaverunt. Veritas vero longe alia est. Nam haec insula quum terrae motu laboraret, qui fit sub terris latentibus ventis, quaerentibus erumpere, sicut Lucanus credidit, oraculo Apollinis terrae motu caruit. Nam praecepit, ne illic mortuus sepeliretur, et jussit quaedam sacrificia fieri. Postea e Mycone Gyaroque, vicinis insulis, populi venerunt, qui eas tenerent. Quod autem Dianam primo natam diximus, hujus est rationis. Nam constat, primum noctem fuisse, cujus instrumentum est luna, id est Diana; post, diem, quem sol efficit, id est Apollo. Ut autem Delos primo Ortygia diceretur, factum est a coturnice, quae Graece ὄρτυξ vocatur. Delos autem dicitur, quia diu latuit, et post apparuit. Nam δῆλον Graece *manifestum* dicitur. Vel, quod verius est, quia, quum ubique Apollinis responsa obscura sint, manifesta illic dantur oracula.

18. Triplex Apollinis potestas.

Constat autem triplicis esse Apollinem potestatis, et eundem esse Solem apud superos, Liberum patrem in terris, Apollinem apud inferos. Unde etiam tria insignia circa ejus simulacrum videmus; lyram, quae nobis caelestis harmoniae imaginem monstrat; quadrigam, quae etiam terrenum numen ostendit; sagittas, quibus inferni deus et noxius indicatur. Unde et Apollo Graece *late perdens* dicitur.

19. Varia Apollinis nomina.

A diversis gentibus variis nominibus vocatur Apollo. Apud Achaemenios Titan; apud Aegyptios Osiris; apud Persas, ubi in antro colitur propter eclipsin, quam objectione lunae patitur, Mithra vocatur. Ibi enim Sol leonis vultu, cum tiara, Persico cultu, bovi insidens, utrisque manibus cornua ejus comprimit; quae interpretatio ad lunam pertinet. Dicitur autem Ἀπόλλων, quod Latine sonat *perdens*, sive

quod pestilentiae deus sit, sive quia fervore suo omnem sucum herbarum perdat. Hunc et auspiciorum, quibus urbes reguntur, et divinationis deum dixerunt, quod sol omnia obscura manifestat, vel quod in ortu suo et occasu multimodos monstrat effectus significationum. Titan autem dicitur Apollo, quasi unus ex Titanibus, qui contra deos arma sumserunt. Qui quum bello contra deos abstinuisset, pro beneficio caelum meruisse contingitur. Sol autem dicitur quasi *ephebus*, hoc est *adolescens;* unde et puer pingitur, quia quotidie nova luce quasi puerili vultu nascitur; Pythius a Pythone, immensae molis serpente, quem interfecisse dicitur. Unde et in ejus honorem agon Pythicus celebratur, cujus victores lauro coronantur. *Πειθὼ* autem Graece *credulitas* dicitur, quia falsa credulitas luce manifestante deprimitur.

20. Apollinis tripos, arcus, tela.

Apollini tripodem addicunt, quia praeterita novit, praesentia cernit, futura visurus est. Arcum et sagittas huic adscribunt, vel quod de circulo ejus radii in modum sagittarum exsiliant, vel quod sua manifestatione dubietatis scindat caliginem. Hunc quadrijugo uti dicunt, quod quadripartitis temporum varietatibus anni circulum peragat.

21. Quatuor equi Apollinis.

Ipsius equis condigna nomina imposuerunt sic: Erythraeus, Aethon, Lampus, Philogeus. Erythraeus Graece dicitur *rubeus*, quod a matutino sol lumine rubicundus exsurgat. Aethon *splendens* dicitur, quod tertia hora lucidior fulgeat. Lampus vero *ardens*, dum ad summum diei circulum conscenderit. Philogeus Graece *terrae amans* dicitur, quod nona hora vergens occasibus incumbat.

22. Apollinis corvus.

Cur autem corvum Apollinis tutelae subjiciant, talis fabula demonstrat. Apollo quum Coronidem, Phlegyae filiam, gravidam fecisset, corvum ei custodem apposuit, ne quis ad eam occulta temeritate accederet. Cum hac Lycus occulte concubuit, quem Juppiter fulmine extinxit. Ipsam Coronidem Apollo, comperto ejus adulterio, sagittis occidit. Cui mortuae exsecto utero, Aesculapium produxit in lucem. Corvum autem, naturaliter pennarum candore plumatum, ex albo nigrum fecit, et in suam tutelam recepit. Veritas autem habet, corvum ideo in Apollinis tutela esse, sive quod solus

contra rerum naturam in mediis aestivis fervoribus (foetus) ova pariat, sive quod multas significationes vocum habet.

23. Apollinis laurus.

De lauro autem ipsi consecrata haec est fabula. Daphne, Penei fluminis filia, quum omnium virginum Thessaliae speciosissima esset, Apollo, ea conspecta, forma ejus exarsit, cupiens illi vim inferre. Illa, advocato patre, ut virginitati opem ferret, Terrae miseratione ante concubitum in laurum est conversa, et ab Apolline in tutelam recepta. Dicitur autem Penei fluminis filia esse, quia laurus de fluvialibus aquis nascitur, quae et in ejusdem Penei fluminis ripis abundat. Amica Apollinis ideo dicitur, quia illi, qui de somniorum interpretatione scripserunt, promittunt, si laurus dormientibus ad caput ponitur, vera eos visuros esse.

24. Apollinis novem Musae.

Apollini novem deputant Musas, ipsumque decimum Musis adjiciunt, ea de causa, quod humanae vocis decem sunt modulamina. Nos vero novem Musas doctrinae et scientiae edicimus modos. Prima est Clio, quasi *cogitatio prima discendi*, quae repperit historias. *Κλέος* enim Graece *fama* dicitur, quia nullus scientiam quaerit, nisi in qua famae suae protelet dignitatem. Secunda Euterpe, id est *bene delectans*, quae tibias: quia primum est quaerere, secundum delectari. Tertia Melpomene, id est *suavia dicens*, vel *meditationem faciens*, quae tragoedias; ut sit primum velle, secundum desiderare, quod velis, tertium meditari, quod desideras. Quarta Thalia, id est *dans capacitatem*, quae comoedias; quia post desiderium opus est capacitate. Quinta Polymnia, id est *plura recordans*, vel *multae memoriae*, quae rhetoricam; quia post capacitatem memoria est necessaria. Sexta est Erato, id est *inveniens simile*, quae geometriam; quia post scientiam et memoriam conatur aliquid sibi simile de suo invenire. Septima Terpsichore, id est *instructionem formans*, quae psalterium. Ergo post inventionem oportet etiam discernere et judicare, quid invenias. Octava Urania, id est *sonoritas caelestis*, vel *bona vox*, quae astrologiam. Post dijudicationem enim eligis, quod dicas, quod respuas: eligere enim utile, caducumque despicere caeleste ingenium est. Nona Calliope, vel *optimae vocis*, vel *optima tribuens*, Ergo sic ordo est: primum velle doctrinam; secundum delectari, quod velis; tertium instare ad id, quo delectatus es; quartum est capere, ad quod instas vel desideratum est; quintum memorari, quod capis;

sextum invenire de suo simile ei, quod memineris; septimum judicare, quod invenias; octavum eligere, quod judicas; nonum proferre, quod elegeris.

Versus novem Musarum.

Clio gesta canens, transactis tempora reddit.
Melpomene tragico proclamat maesta boatu.
Signat cuncta manu loquiturque Polymnia gestu.
Doctiloquos calamos Euterpe flatibus urget.
Terpsichore affectum citharis movet, imperat, auget.
Uranie caeli motus scrutatur et astra.
Comica lascivo gaudet sermone Thalia.
Plectra gerens Erato saltat pede, carmine ducto.
Carmina Calliope libris heroica mandat.

25. Diana Apollinis germana.

Dianam, germanam Apollinis, Lunam et viarum praesidem ajunt. Unde et virginem volunt, quod via nihil pariat. Et ideo ambos sagittas habere fingunt, quod ipsa duo sidera de caelo radios usque ad terras emittunt. Dianam autem vocatam quasi *Duanam*, quod luna die et nocte appareat. Ipsam et Lucinam asseverant, eo quod *luceat*. Eandem et Triviam, eo quod *tribus* fungatur *figuris*. Unde et Virgilius: *tria Virginis ora Dianae*, quia eadem Luna, eadem Diana, eadem Proserpina dicitur. Sed quum Luna fingitur,

——————— *sublustri splendet amictu.*

Quum succincta jacit calamos, *Latonia virgo est.*
Quum subnixa sedet solio, *Plutonia conjux.*

Lunam voluerunt esse Proserpinam apud inferos, seu quod nocte luceat, seu quod vicinior terris currat, et terris praesit. Nam lunae augmenta et decrementa non solum terra, sed et lapides, vel cerebra animantium, ac etiam semina sentiunt, quae in lunae crementis seminata degenerant, et vermiculos pariunt. Denique crementis lunae abscisa ligna tinearum terebraminibus deficiunt. Nemoribus quoque adesse dicitur, quod omnis venatio plus nocte pascatur, dieque dormiat.

26. Cur Dictynna dicatur.

Cur autem vocetur Dictynna, hujusmodi constat sententia. Minos, Cretensium rex, quum Bryten, Martis filiam, Dianae Cretensi dicatam, stuprare vellet, illa se injecit in mare, illataque est retibus piscatorum, quae Graece *δίκτυα* nominantur, qui corpus ejus extraxerunt. Insula autem

Creta pestilentia laborare coepit, *quam eos evadere non posse*, responsum est, *nisi Dianae templum instituissent, eamque Dictynnam a retibus vocassent.*

27. Templum Caryae.

Caryae autem templum est in Laconia, Dianae sacrum, quod etiam Caryatium nominatum est ex hac causa. Quum luderent virgines, meditatus est ruinam omnis chorus, et in arborem nucis effugit, et in ramo ejus pependit; quam nucem Graeci *κάρυον* vocant. Ergo de arbore et templum et dea nomen accepit.

28. Endymion.

Endymion pastor amasse dicitur Lunam. Qui spretus ab ea, pavit pecora candidissima, et sic eam in suum illexit amorem. Quod dicitur, seu quod primus hominum Endymion cursum lunae invenerit (unde et triginta annos dormisse dicitur, quia nihil aliud in vita sua, nisi huic repertioni studuit), seu quod nocturni roris humor pastoralibus prosit successibus.

29. Mars.

Mars dicitur deus belli; et Mars nuncupatur, quia per *mares* pugnatur, ut Mars quasi *mas* dicatur. Item Mars quasi effector *mortium* vocatur; nam a *morte* Mars appellatur. Hunc adulterum dicunt, quia bella gerentibus eventus incertus est. Nudo vero pectore stat, ut in bello quisque se sine formidine caedis objiciat.

30. Venus.

Saturnus, Caelo patri iratus, falce naturalia ejus amputavit, quae delapsa sunt in mare. De quorum cruore et maris spuma nata est Venus; unde et Ἀφροδίτη nominatur; ἄφρος enim Graece *spuma* dicitur. Sed Venus Vulcano in primis nupsit. Postea perpetuum habens cum Marte adulterium, Sol tale scelus detexit; et Vulcanus illis conjacentibus superveniens, lectum catenis circumcinxit. Fingitur autem Venus nata per damnum, quia omnes vires usu venereo debilitantur, qui sine damno non geritur. Venerem in mari natantem fingunt, quia omnis libido rerum patitur naufragia. (Unde illud sapientis Porphyrii: *nudus, egens, Veneris naufragus in pelago.* Et Horatius: *Dedit hic pro corpore nummos.* Rursusque: *Fama malum gravius,*

quam res trahit). Venus cum Marte rem habuit, quam Sol manifestans, Vulcano prodidit. Nam virtus, corrupta libidine, sole teste apparet, et turpiter catenata fervoris constrictione tenetur.

31. Veneris rosae.

Veneris in tutelam rosas addicunt. Rosae enim rubent et pungunt. Rubet libido verecundiae opprobrio, pungit peccati aculeo.

32. Veneris Concha.

Concham marinam portare pingitur, quod hujus generis animal toto corpore simul aperto in coitu misceatur.

33. Veneris Columbae.

Hujus in tutelam adjiciunt columbas, quia hujus generis aves in coitu sunt fervidae. Cur autem in tutela Veneris sint, haec est fabula. Venus et Cupido quum quodam tempore voluptatis gratia in quosdam descendissent campos nitentes, lasciva contentione certare coeperunt, qui sibi plures gemmantes colligeret flores. Quorum Cupido, adjutus mobilitate pennarum, postquam naturam corporis volatu superavit, vicit numero. Peristera vero subito accurrit, et adjuvando Venerem superiorem fecit cum poena sua. Cupido siquidem indignatus mutavit puellam in avem columbam, quae a Graecis *περιστερὰ* vocatur. Sed poenam honor minuit. Venus enim, consolatura innocentis transfigurationem, columbam in tutela sua esse commendavit.

34. Adonis.

Adonis, Veneri subjecti, haec est fabula. Myrrha patrem suum amasse dicitur, cum quo ebriato rem habuit. Quumque eam pater utero plenam rescisset, cognito crimine, evaginato eam persequi coepit gladio. Illa in arborem myrrham est conversa. Quam arborem patre gladio percutiente, Adon exinde natus est, quem Venus ad se recepit et amavit. Quid haec fabula sibi velit, dicamus. Myrrha genus est arboris, quae dum grandioris fuerit roboris, solis ardoribus sucum exsudat, qui myrrha dicitur. Et quia haec species odore suavis est, Adonem dicitur genuisse: *ἡδονὴ* enim Graece dicitur *suavitas*. Ideo autem Venerem amasse dicitur, quia hoc genus pigmenti sit valde fervidum.

35. Cupido Veneris.

Cupidinem Veneri adscribunt, quia venerea res sine amore exerceri non potest. Cupidinem, amoris deum, Simonides ex Venere tantum dicit esse progenitum; quamquam alii dicunt, ex ipsa et Marte; alii, ex ipsa et Vulcano; alii vero Chai et primae rerum naturae eum esse volunt. Qui pharetratus, nudus, cum face, pennatus, puer depingitur. Pharetratus ideo, quia sicut sagittae corpus, ita mentem vulnerat amor. Nudus, quia amoris turpitudo semper manifesta est, et nusquam occulta. Cum face autem, quia turpis amor cum calore et fervore quodam accenditur. Pennatus, quia amor cito pertransit, et amantibus nec levius aliquid, nec mutabilius invenitur. Puer etiam fingitur, quia sicut pueris per imperitiam facundia, sic quoque nimium amantibus per voluptatem deficit.

36. Tres Gratiae.

Gratiae tres sunt, Pasithea, Aglaie, Euphrosyne, quae nudae connexaeque, et una aversa, duae autem nos respicientes pinguntur. Veneri autem sunt consecratae, quia earum pulsu cuncta animalia ad amorem prona fiunt. Lavantur autem in fonte Acidalio, qui est in Orchomeno, Boeotiae civitate; de quo etiam Venus *Acidalia* dicitur; vel inde, quod injicit curas, quas Graeci ἀχίδας dicunt. Ipsius enim et Liberi filiae sunt. Nec immerito. Gratiae enim per horum fere numinum munera conciliantur. Ideo autem nudae sunt, quod gratiae sine fuco esse debeant et sine simulatione. Ideo connexae, quia insolubiles esse gratias decet. Quod vero una aversa pingitur, duae nos respiciunt, haec est ratio, quia profecta a nobis gratia, duplex solet reverti.

37. Erichthonius.

Juppiter et Juno quum multos filios per conjugium procreassent, tandem ad ostendendam divinitatem suam placuit sine conjugio filios generare. Tunc Juppiter ex barba Pallade, quae et Minerva dicitur, genuit, decentis formae. Quae quia ex capite ejus est orta, et in capite quinquepartiti sensus pollent, dea dicitur sapientiae. Juno autem sponte propria de genitalibus locis protulit Vulcanum. Et quia loca genitalia immunda sunt et deformia, deformi figura apparuit fuscus et claudus. Qui quum deformis esset, et Juno ei minime arrisisset, ab Jove praecipitatus est in insulam Lemnum. Illic nutritus a Sintiis, divinos honores non meruit,

ad quos per convivium numinum, aut per conjugium venitur dearum. Unde Virgilius: *Cui non risere parentes, nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.* Impetrato autem a Jove, quum fulmina ipsi fabricaret, Minervae conjugio, dum illa eo spreto reluctaretur, natus est puer draconteis pedibus, qui appellatus est Erichthonius, quasi de *terra* et *lite* procreatus; nam ἔρις est *lis*, χθὼν *terra*. Quem Minerva in cista abscondit, draconeque custode apposito, duabus sororibus Aglauro ac Pandorae, Erythiae filiabus, transmisit observandum, interdicens, ne cistam aperirent. Virgines autem, interdicta magis appetentes, cistam aperiunt, et viso angue, insania a Minerva injecta, de arce Atheniensium se praecipitaverunt. Anguis, ad Minervae clypeum refugiens, ab ea est educatus. Erichthonius autem, ad tegendam pedum foeditatem, junctis equis, usus est curru, quo tegeret sui corporis turpitudinem. Unde Virgilius in III Georgicon:

Primus Erichthonius currus et quattuor ausus
Jungere equos, rapidisque rotis insistere victor.

38. Priapus.

Priapus fuit de Lampsaco, civitate Hellesponti, de qua pulsus est propter virilis membri magnitudinem. Post in numerum deorum receptus, meruit esse numen hortorum. Dicitur autem praeesse hortis propter fecunditatem. Nam quum alia terra semel aliquid creet, horti numquam sine fructu sunt; et quum alia terra semel in anno proventum habeat, hortus habet multiplicem. Est autem minister Liberi patris et deus libidinis. Unde sacris ejus interesse dicitur; nam *sine Cerere et Libero friget Venus.* Priapum quidam dicunt esse Adonem, filium Veneris, qui a feminis colitur.

39. Minerva.

Minerva sapientiae, armorum, et lanificii dea esse dicitur. Quae pingitur armata, triplici veste induta, caput Gorgonae gestans pectore. Minerva ideo de vertice Jovis dicitur nata, quia ingenium in cerebro positum sit. Ideo fingitur armata, quia sapientia sit munita. Gorgonem huic addunt in pectore, ut vir sapiens terrorem contra adversarios gestet in mente. Cristam cum galea capiti ejus imponunt, ut cerebrum sapientia et armatum sit et decorum. Triplici etiam veste fingunt hanc esse indutam, quod sapientia tecta, extrinsecus raro cognoscatur. Et conditricem Athenarum eam dicunt. Minerva enim Ἀθηνᾶ Graece dicitur, quasi

ἀθανάτη παρθένος, id est *immortalis virgo*; quia sapientia nec mori poterit nec corrumpi. In hujus tutela noctuam ponunt, quod sapientia etiam proprium fulgorem teneat. Quomodo autem eam in suam tutelam receperit, haec est fabula. Nycteus, Aethiopum rex felicissimus, habuit filiam, Nyctimenem nomine. Quae quum scelerato amore patrem diligeret, amorem suum nutrici confessa est, infandumque petivit auxilium. Ea vero quum mentita esset domino suo Nycteo, a quadam illum extranea diligi virgine, impetravit, ut ille filiae suae imprudens uteretur amplexibus. Sero ille cognitum facinus statuit vindicare. Agnitam itaque inter ipsos amplexus filiam quum voluisset extinguere, illa Minervae imploravit auxilium, cujus protectione periculo est erepta, versaque in avem, quae ex conscientia commissi facinoris diei fugit aspectum, et Minervae tutelae dicata est. Alii dicunt, filiam Proeti fuisse, patrisque vim timentem aufugisse, quam Minerva mutavit in noctuam.

40. Vulcanus.

Vulcanus ignis est, et dictus est Vulcanus quasi *Volicanus*, quod per aërem *volet*. Dicitur autem Vulcanus a Junone propter deformitatem dejectus; quam aërem esse constat, ex quo fulmina procreantur. Ideo autem Vulcanus de femore Junonis fingitur natus, quia fulmina de imo aëre nascuntur. Unde et Homerus dicit, eum de aëre praecipitatum in terras, quod omne fulmen de aëre cadat; quodque crebro in Lemnum insulam jacitur, ideo in eam dicitur cecidisse Vulcanus. Claudus autem dicitur, quia per naturam numquam rectus est ignis. Ideo vero eum Minervae conjungi voluerunt, quia furor etiam sapientiae aliquando surrepat. Illa vero armis virginitatem defendit, quia omnis sapientia integritatem morum suorum contra furiam virtute animi vindicat. Unde quidam Erichthonius nascitur; ἔρις enim Graece *certamen* dicitur. Quidnam aliud surripiens furor sapientiae generare poterat, nisi *certamen invidiae*? quod sapientia, id est Minerva, abscondit in cista, id est in corde celat. Ergo Minerva draconem apponit, id est perniciem; quem quidem duabus commendavit virginibus, Aglauro et Pandorae. Pandora enim *universale munus* dicitur; Aglauro vero quasi *accoloren*, id est *tristitiae oblivio:* sapiens enim dolorem suum aut benignitati commendat, aut oblivioni.

41. Mercurii.

Corvilius dicit, quatuor esse Mercurios; unum Jovis et Majae, filiae Atlantis; alterum Caeli et Diei; tertium Liberi

et Proserpinae, qui animas evocat; quartum Jovis et Cyllenes, a quo Argus occisus est. Sed in deorum ratione, quia veritas ignoratur, fabulae sequendae sunt. Juppiter cum Maja, Atlantis Arcadici filia, concubuit; unde natus est Mercurius in Cyllene, Arcadiae monte, qui litteras monstravit, menses instituit, sidera expertus est, lyram invenit, quam etiam septem chordis propter numerum Atlantidum (eo quod mater ejus una earum esset) instruxit. Praeesse autem negotiis, et furti rapinarumque deus esse dicitur; virgam ferens, pennatis talaribus calciatus, canino capite, flavus et perustus pingitur.

42. Unde vocetur Mercurius.

Mercurius igitur quasi *mercium curius*, vel *medius currens* dicitur, quia sermo inter *medios* est; vel, quia nuntius deorum est Mercurius, quasi *medius* inter deos et homines *currens* dicitur. Fingitur autem deus esse rapinarum et furti, quia negotiatores rapina et perjurio semper sunt succincti. Virgam tenet, cum qua serpentes, id est venena, dicitur divisisse, quia bellantes ac dissidentes interpretum sedantur oratione. Pennatis autem talaribus calciatus esse dicitur, quia citius aliis planetis in ortum revertitur. Unde etiam velox et errans dicitur. Flavus et perustus autem ideo ubique introducitur, quia vicinus esse soli praeter ceteras stellas dinoscitur. Canino autem capite pingitur (unde et Anubis dicitur), quia nihil cane sagacius esse dinoscitur. Lyrae autem ab eo inventae et per eam ab Apolline virgae dono acceptae, haec est fabula.

43. Lyra.

Quum regrediens Nilus in suos meatus varia in terris reliquisset animalia, relicta est etiam testudo. Quae quum putris facta esset, et nervi ejus remansissent extenti intra corium, percussa est a Mercurio. Postea quum pascenti Admeti regis armenta Apollini boves abegisset, et deprehensus ab eo esset, poscenti Apollini, *ut dicere liceret, se invenisse lyram*, concessit, et ab eo virgam quandam, quae caduceum dicitur, accepit. Quam manu tenens Mercurius, quum proficisceretur in Arcadiam, et vidisset duos dracones implicitos inter se dimicare, virgam inter medios projecit. Illi mox segregati, discesserunt. Quo facto, eam virgulam pacis causa cognovit esse institutam. Virgae autem hujus haec est ratio. Mercurius et orationis deus esse dicitur, et interpres deorum. Unde virga serpentes dividit, id est venena; nam bellantes interpretum oratione sedantur. Unde

legati pacis caduceatores dicuntur. Sicut enim per feciales bella indicebantur, ita pax per caduceatores fiebat. Ἑρμῆς autem Graece dicitur, Latine *interpres*.

44. Orpheus.

Apollo, lyra accepta, Orpheum, Oeagri fluminis et Calliopes Musae filium, dicitur docuisse, et postquam ipse citharam invenit, lyram illi concessisse. Hic autem theologus fuit, et orgia primus instituit. Et quia hominum feritatem morum composuit institutione, dicitur arbores et saxa ad se audiendum commovendo illicuisse.

Erat autem ipsi una ex Dryadibus uxor, dicta Eurydice. Quae Aristaei, filii Apollinis et Cyrenes Nymphae, Penei, fluminis Thessaliae, filiae, insidias fugiens, serpentem in prato latentem incurrit, cujus etiam veneno periit. Unde doloris impatientia turbatus Orpheus, lyra accepta, Taenarias fauces adiit, et cantus dulcedine Ditis feritatem permovit, impetrans Eurydicen ea tantum lege sibi reddi, ut eam subsequentem praecederet, nec illius causa visum retro flecteret. Amoris autem impatientia datae sibi legis oblitus, suae jam potestatis conjugem respexit, legeque fatorum eam retrahente, subito ab oculis lapsam perdidit.

45. Juppiter et Aetna Nympha.

Juppiter Aetnam Nympham compressit et gravidam fecit. Quam quum Juno persequeretur, illa Terrae imploravit auxilium, in cujus sinus recepta, enixa est geminos, necdum partu maturo. Vel, ut alii dicunt, Juppiter timens Junonem, Terrae commendabat ipsam; secundum alios, partum ejus. Hos terra intra gremium suum tam diu fovit, quamdiu lex uteri postulabat, posteaque enixa est. Unde Palici, id est *bis geniti*, appellati sunt. Hos autem immites fuisse, et humano sanguine placari consuetos, fabula disserente, est firmatum. Postea quibusdam sacris mitigati sunt, et eorum immutata sacrificia.

46. Cybele.

Cybele mater deorum dicitur, quae currui subjunctis leonibus vehitur. Corybantes strictis gladiis munitos ministros habere, et turritam gestare coronam fingitur. Ideo igitur mater deorum curru vehi dicitur, quia ipsa est terra, quae in aëre suspenditur. Ideo sustinetur rotis, quia mundus rotatur et revolubilis est. Ideo ei subjunguntur leones, ut ostendatur, maternam pietatem totum posse superare. Ideo

Corybantes ejus ministri cum strictis gladiis esse finguntur, ut omnes pro terra sua debere pugnare significetur. Quod autem turritam gestat coronam, ostendit, civitates terrae esse superpositas, quas turribus constat insignitas. Unde autem leones ejus currui subjungerentur, hac fabula demonstratur.

47. Atalante.

De civitate, quae Schoenos dicitur, fuit quaedam virgo Atalante, Schoenei filia, praepotens cursu, adeo ut sponsos provocatos ac cursu superatos occideret. Postea Hippomenes *etc.*

48. Pan.

Pan deus est rusticus, in naturae similitudinem formatus, unde et *Pan* dictus est, nempe *omne*. Habet enim cornua in solis radiorum, et in cornuum lunae similitudinem. Rubet ejus facies ad aetheris imitationem. In pectore nebridem habet stellatam, id est ad stellarum imaginem. Pars ejus inferior hispida est propter arbores, virgulta, feras. Caprinos pedes habet, ut ostendat terrae soliditatem. Fistulam septem calamorum habet propter harmoniam caeli, in quo septem sunt planetae, ut Virgilius: *Septem discrimina vocum*. Recurvum baculum, *καλαύροπα* habet, id est *pedum*, propter annum, qui se recurvat. Quia deus totius naturae est, a poëtis fingitur cum Amore luctatus, et ab eo victus, quia, ut legimus, *omnia vincit amor*. Pan, secundum fabulam, Syringam Nympham amasse dicitur. Quam quum sequeretur, illa, implorato Terrae auxilio in calamum conversa est; quem Pan ad solatium amoris incidit, et sibi fistulam fecit.

49. Faunus.

Faunus infernus dicitur deus, et congrue. Nam nihil est terra inferius, in qua habitat, et responsa dat. Ipse est et Fatuus. Hujus uxor est Fatua. Idem Faunus et eadem Fauna. Dicti sunt Faunus et Fauna a *vaticinando*, id est *fando*; unde et *fatuos* dicimus inconsiderate loquentes. Fauni autem sunt, qui vulgo *incubae* vel *pilosi* appellati sunt, et a quibus, dum a paganis consulerentur, responsa vocibus dabantur.

50. Nymphae.

Nymphae montium dicuntur Oreades; quae inter silvas habitant et arboribus delectantur, Dryades (plerumque enim,

incisa arbore, vox erumpit, et sanguis emanat); virgultorum autem et florum, Napaeae; fontium, Najades; fluminum, Potameïdes; maris vero, Nereïdes. Sunt autem quaedam deae topicae, id est locales, quae ad alia loca non transeunt, ut *Marica*, dea litorum Minturnensium, juxta Lirim fluvium habitans. Quod autem poëtae invocant Musas, haec est ratio, quod, secundum Varronem, ipsae sunt Nymphae, quae et Musae. Sane sciendum, quod idem Varro tres tantum esse memorat; unam, quae ex aquae nascitur motu; alteram, quae aëris ictu sonos efficit; tertiam, quae mera tantum voce consistit.

51. Astraeus.

Astraeus, unus de Titanibus, qui contra deos arma sumserunt, cum Aurora concubuit. Unde nati sunt venti, juxta Hesiodum. Re autem vera ex aëre nubes, ex nubibus aqua, ex aquae motu venti creantur. Dicitur autem Aeolus rex ventorum esse, eorumque furorem suo imperio frenare.

52. Aeolus.

Aeolus, Hippotae filius, rex insularum novem, quae sunt post fretum Siciliae, quae ab eo *Aeoliae* appellantur (licet et propria nomina habeant), a nebulis et fumo *Vulcaniae insulae*; praedixit futura flabra ventorum; unde imperitis visus est ventos sua potestate retinere. Fingitur namque a poëtis rex ventorum fuisse. Dicitur autem ventos antro frenare, quia concava loca plena sunt ventis.

53. Titanes.

Ferunt fabulae, Terram diis, quod eam habitare dedignati sunt, iratam, Titanas, qui et Gigantes dicuntur, serpentinis munitos pedibus in sui ultionem procreasse. Qui viribus confisi, caelum, montes montibus exstruentes, dissipare deosque ad terram substernere aggressi sunt. Qui Jovis fulminibus, objectuque a Minerva Gorgonae capitis prostrati, duci eorum Atlanti caeli onere imposito, ipsi terrarum molibus obruti sunt. Quorum etiam Enceladus, qui et Briareus sive Aegaeon dicitur, ardenti Aetnae suppositus, adhuc ardere latusque mutando totam Siciliam tremefacere, fumique vapore complere dicitur. Revera, nisi quae de Gigantibus legimus, fabulose accipimus, ratio non procedit. Nam quum in Phlegra, Thessaliae loco, pugnasse dicantur, quomodo in Sicilia Enceladus, Otus in Creta, secundum Salustium (*unde Otii campi*), Typhoeus in Campania, (*Inarime Jovis*

imperiis imposta Typhoeo)? Sed Varro dicit, in diluvio aliquos ad montes confugisse cum utensilibus. Qui lacessiti postea bello ab his, qui ab aliis veniebant montibus, facile ex locis superioribus vicerunt. Unde factum est, ut *dii* superiores dicerentur, inferiores vero *terrigenae*. Et quia de imis ad summa reptabant, dicti sunt pro pedibus serpentes habuisse.

54. Statutum Jovis.

In Gigantum contra deos bello quum Victoria, Stygis infernae paludis filia, Jovi faveret, dicitur meruisse, ut dii, per ejus matrem jurantes, non audeant fallere. Juppiter namque statuisse dicitur, ut, si quis illius fefellisset numen, integro anno et novem diebus ab ambrosia et nectare prohiberetur. Ratio autem haec est. Styx *maerorem* significat, a *tristitia* Styx dicta. Dii autem laeti sunt semper, unde etiam immortales. Ergo quia maerorem non sentiunt, jurant per rem suae naturae contrariam, id est tristitiam, quae aeternitati est contraria.

55. Otus et Ephialtes.

Otus et Ephialtes, Gigantes, Aloëi filii, tantae audaciae erant, ut montibus constructis, caelum expugnare niterentur. Icti autem fulmine, et in Tartara missi sunt.

56. Salmoneus.

Salmoneus, Aeoli filius (non regis ventorum, sed cujusdam apud Elidem, ubi regnavit), fabricato ponte aereo, super eum currus ad imitanda tonitrua agitavit, et in quem jaculatus fuerat facem, occidi jussit. Hic postea, a Jove fulminatus, verum fulmen est expertus.

57. Phaëthon.

Phaëthon, Clymenes et Solis filius, quum doleret, objectum sibi ab Epapho, rege Aegypti, quod non esset a Sole, sed de adulterio procreatus, duce matre venit ad Solem, et poposcit, ut, si vere ejus filius esset, petenda praestaret. Quod quum Sol jurasset per Stygem paludem se esse facturum, petiit ille, ut ejus sibi currus agitare liceret. Sol post jusjurandum negare non potuit. Acceptis itaque curribus, Phaëthon quum orbitam solis exisset, et mundus ardere coepisset, ab Jove fulminatus, in Eridanum, qui et Padus vocatur, cecidit. Hujus interitum flentes soro-

res Phaëthusa et Lampetie, deorum miseratione in arbores commutatae sunt alnos, vel, ut alii dicunt, in populos.

58. Callisto.

De Gigantum sanguine natus est Lycaon, tyrannus Arcadiae. Ejus filiam Calliston quum in comitatu Dianae Juppiter vidisset, in amorem ejus incidit, et a reliquis segregatam Nymphis, in Dianam mutatus, compressit et gravidam fecit. Cujus quum crimen tumens uterus proderet, indignata Diana comitatu suo eam reppulit. Illa autem, exactis decem mensibus, enixa est parvulum, qui Arctos cognominatus est. Indignata Juno, quod pellex sua ex Jove etiam mater esset, Calliston vertit in ursam. Cujus filius Arctos quum esset in adultam aetatem productus, imprudens in matrem incidit, ursam credens, ac misso telo eam perimere voluit. Non sustulit Juppiter, ignorantem matricidium perpetrare, statimque eos inter sidera collocavit. Ille *Arcturus*, et alio nomine *Arctophylax* vocatur; illa Arctos *μείζων*, Latine *septentrio major* appellatur; quod signum loco non movetur, nec hac, quam dicturus sum, causa mergitur.

59. Thetis.

Thetis enim, filia Nereï, uxor Oceani, nutrix Junonis fuit. Quam Juno indignata, pellicem suam in caelum translatam, rogavit, ut propter affectum nutricis eam prohiberet in oceanum cadere.

60. Lycaon.

Lycaon quum susceptos hospitio homines interimere solitus esset, stupratae insuper filiae dolore commotus, Jove hospitio suscepto, quum vellet explorare, an verus Juppiter esset, ut expertum hominem, polluto hospitalitatis jure, citius interimeret, humanam ei carnem vescendam apposuit. Unde commotus Juppiter, domum ejus incendit, ipsumque mutans in lupum, docuit, hospitum jura non polluenda.

61. Icarus.

Icarus quidam, Atheniensis, Liberi comes fuit. A quo quum vini usum mortalibus tradere doctus, vitem sevisset floridamque fecisset, dicitur hircus in vineam se conjecisse, et quae tenerrima ibi videbantur folia decerpsisse. Unde et adhuc caper Baccho, quia obest vitibus, immolatur. Victimae enim numinibus aut per similitudinem, aut per contrarietatem immolantur. Per similitudinem, ut nigrum pecus Plu-

toni; per contrarietatem, ut porca, quae obest frugibus, Cereri; caper, qui obest vitibus, Libero. Item capra Aesculapio, qui deus est salutis, quum numquam sit capra sine febre. Rustici autem quum exhibitum ab Icaro vinum plus nimio potantes, ebriarentur, venenum se ab illo accepisse putantes, eum in Marathoniae regionis monte interfecerunt. Hujus canis, cui nomen fuit Maera, est reversus ad Erigonem filiam. Quae quum ejus, se veste extrahentis, comitata vestigia, ad patris pervenisset cadaver, laqueo vitam finivit. Cui mortuae canis morte sua satis fecit. Sed Erigone, deorum voluntate cum cane in caelum translata, ipsa *Virgo*, canis *Sirius* appellatur. Receptus similiter in caelum cum plaustro Icarus; plaustrum *septentrio* vel *arctos*, ipse *Bootes* vel *Arctophylax* est vocatus.

Sed post aliquantum tempus Atheniensibus morbus talis est immissus, ut eorum virgines furore quodam ad laqueum compellerentur. Unde consultum oraculum respondit, *sedari posse illam pestilentiam, si Erigones et Icari cadavera requirerentur*. Quae quum diu quaesita nusquam invenirentur, ad ostendendam suam devotionem Athenienses, ut etiam in alieno ea quaerere viderentur elemento, suspenderunt de arboribus funem; ad quem sese tenentes homines hac illacque agitabantur, ut quasi per aërem illorum cadavera quaerere viderentur. Sed quum plerique caderent, inventum est, ut formas ad oris sui similitudinem facerent, et eas pro se suspensas moverent. Unde *oscilla* dicta sunt ab eo quod in his *ora cillerentur*, id est *moverentur*. Nam *cillere* est *movere*. Unde et *furcillae* dictae sunt, quibus *frumenta cillentur*.

Scholion.

Alii dicunt, oscilla esse membra virilia de floribus facta, quae suspendebantur (inter columnia) ~~inter duas columnas~~; ita ut in ea homines acceptis clausis personis impingerent, et ea ore cillerent, id est moverent ad risum. Et hoc in Orpheo lectum est. Prudentioribus tamen aliud placet, qui dicunt, sacra Liberi patris ad purgationem animae pertinere. Omnis enim purgatio aut per aquam fit, aut per ignem, aut per aërem. Sic Virgilius in VI:

> ——— *Aliae panduntur inanes*
> *Suspensae ad ventos; aliis sub gurgite vasto*
> *Infectum eluitur scelus aut exuritur igni;*

ut nunc per oscilla genus purgationis maximum intelligamus. Nam primum est aquae, secundum ignis, tertium aëris.

62. Saturnus et Philyra.

Saturnus dum cum amata Philyra rem haberet, Ops ejus uxor advenit. Cujus praesentiam timens, convertit se in equum. Exinde natus est Chiron dimidia parte homo, dimidia equus. Habitavit autem in Pelio, Thessaliae monte; a quo Achilles et Aesculapius nutriti dicuntur. Hic postea translatus est inter sidera a Saturno, et factus est *Sagittarius.*

63. Prometheus.

Prometheus quum hominem fingeret, jussu deorum ex omnibus animalibus particulas, prout erat eorum natura, e apponebat. Unde *vim leonis stomacho dicitur apposuisse* idcirco, quod iracundia magis accendamur; timorem a lepore, astutiam a vulpe, a serpente prudentiam, a columba simplicitatem. Fecit autem hominem inanimatum et insensibilem. Cujus opus Minerva mirata, spopondit ei ut, si quid vellet de caelestibus ad suum opus, inquireret. Ille *se nescire*, ait, *quae bona in caelestibus haberentur; sed, si fieri posset, se usque ad superos levaret, atque exinde, si quid operi suo congruum cerneret, melius praesens arbiter tulisset.* Illa inter oras septemplicis clypei sublatum caelo intulit. Et dum videret caelestia animata et vigore vegetata, Phoebaicis rotis applicans faculam, ignem consequitur, quem hominis applicans pectori, animatum reddidit, Prometheus dictus quasi *προμήθεια*, quod nos Latini *providentiam Dei* dicimus. Quasi *Dei providentia*, et Minerva *quasi caelesti sapientia* homo factus sit.

64. Hostia Promethei.

Antiqui quum totas hostias inter sacra consumerent flamma, Prometheus, qui propter excellentiam animi homines finxisse existimatur, impetrasse a Jove dicitur, ut partem hostiae in ignem conjicerent, partem in suo consumerent victu. Quae dum consuetudo perduraret, ipse Prometheus duos tauros immolavit, quorum jecora quum primum in ara posuisset, tauri utriusque carnem, in unum compositam, corio bubulo texit; ossa quae circum fuerant, reliqua pelle contecta, in medio collocavit, Jovi faciens potestatem, ut quam vellet sumeret partem. Juppiter utrumque putans taurum esse, delegit ossa pro sua dimidia parte. Juppiter quum factum rescisset, mortalibus eripuit ignem, ne caro utilis esset, quum coqui non posset. Prometheus autem, mortalibus ignem restituere cogitans, Minervae auxilio caelum dicitur ascendisse, et adhibita ad radios solis facula, ignem

est furatus, quem hominibus indicavit. Ob quam causam irati dii immiserunt terris maciem, id est morbos. Ipsum autem Prometheum per Mercurium in monte Scythiae Caucaso ferrea catena XXX millia annorum vinxit Juppiter ad saxum, adhibens ei aquilam, quae cor ejus exederet. Hercules autem, missus ab Eurystheo propter Hesperidum mala, nescius viae devenit in Caucasum montem ad Prometheum. A quo demonstrata via, post victoriam pro gratiae beneficio aquilam, cor ejus exedentem, interfecit. Sed de Promethei solutione haec causa memoriae prodita est.

65. Juppiter et Thetis.

Quum Juppiter, Thetidis pulchritudine inductus, eam vellet uxorem ducere, Parcae dicuntur fata cecinisse, *ut ab eo, qui ex se et Thetide nasceretur, Juppiter regno pelleretur.* Quod quum Juppiter ex Prometheo, haec audiente, comperisset, destitit Thetidem velle uxorem ducere, et Prometheum pro beneficio vinculis liberavit, et memoriae causa digitum sibi lapide et ferro vinciri jussit. Qua consuetudine adhuc homines usi, anulos lapide et argento conclusos, ad amicitiae memoriam et pignus habere coeperunt. Haec autem omnia non sine ratione finguntur. Nam Prometheus vir prudentissimus fuit; unde et Prometheus dictus a *prudentia.* Hic autem primus astrologiam Assyriis indicavit, quam residens in monte altissimo Caucaso nimia cura et sollicitudine prehenderat. Hic mons positus est circa Assyrios, vicinus paene sideribus; unde et majora astra monstrat, et diligenter eorum ortus occasusque significat. Dicitur autem aquila cor ejus exedere, quia acris sollicitudo est, qua ille affectus, sidereos deprehenderat motus. Et hoc quia per prudentiam fecit, duce Mercurio, qui prudentiae et rationis deus est, ad saxum dicitur esse religatus. Deprehendit praeterea rationem fulminum, et hominibus indicavit. Adhaec quadam arte, ab eo demonstrata, supernus ignis eliciebatur, qui mortalibus profuit, donec eo bene usi sunt. Nam postea malo hominum usu in perniciem eorum versus est. Sicut in Livio lectum est de Tullo Hostilio, qui ideo igne exustus est cum omnibus suis. Numa vero Pompilius impune eo usus est tantum in sacris deorum. Hinc est, quod igne rapto, ab iratis numinibus morbi dicuntur hominibus immissi.

66. Cleobis et Bito.

Quum mos esset, sacerdotem Argivam bubus junctis adire templa Junonis, dieque solemni boves, omnibus pesti-

lentia consumtis, non possent inveniri, duo sacerdotis filii, Cleobis et Bito, matrem subierunt, et ad templa deduxerunt. Juno, probans eorum religionem, obtulit matri, ut quod vellet, filiis posceret. Illa pia responsione ait, *ut quod dea mortalibus utile sciret, ipsa praestaret.* Altero itaque die sacerdotis juvenes reperti sunt mortui. Ex quo probatum est, nihil esse morte praestantius.

67. Chelone.

Virgo quaedam Chelone linguae impatientis fuit. Verum quum Juppiter Junonem sibi nuptiis jungeret, praecepit Mercurio, ut omnes deos et homines ad nuptias convocaret. Quo facto, sola Chelone, irridens et detrahens, nuptias adire contemsit. Quam quum Mercurius non venisse notavisset, jussu Jovis ad terras descendit, et moenia Chelones, supra fluvium posita, in mare praecipitavit; ipsamque Chelonem in animal sui nominis vertit, quam nos Latine *testudinem* dicimus, et ut ad poenam dorso tectum portaret, fecit. Unde et incurvatis aedificiis hoc nomen impositum est.

68. Proetus rex.

Proetus, Abantis filius, rex Argivorum, inimicam felicitati suae habuit conjugis fecunditatem. Tres etenim sustulit filias, et ad tempus nuptiarum usque perduxit. Sed incontinens virginum lingua infelicitatis edicit causas. Hae enim feruntur solemniter templum Junonis intrasse, et se deae praetulisse. Hinc offensa Juno puellas in juvencas vertit, et cupiditatem silvas petendi injecit, adeo ut plerumque mugirent, et collo juga timerent, credentes, se formam habere vaccarum. Quod eousque passae sunt, donec regni partem, si quis eas in pristinum statum mentis restituisset, proposuit Proetus una cum conjuge. A Melampode autem, herbariae artis peritissimo, eaedem Proetides ab insania sunt liberatae; unaque ex virginibus ducta, ipso facto regni consorte et genero.

69. Antigone.

Antigone, Laomedontis regis Trojani filia, quum se Junoni praeferret, ab ea propter formae arrogantiam conversa est in ciconiam.

70. Arachne.

Arachne, quae et Libya dicitur, quaedam puella, sacerdos Minervae, in lanificio doctissima fuit. Quae dum im-

probe opus suum Minervae praetulisset, et eam lanificio provocasset, a Minerva in vermem sui nominis, id est *araneam* conversa, laqueo vitam finivit. Unde semet opere, quo gaudebat, fatigando, casses in alto semper inutiliter suspendit.

71. Niobe.

Niobe, Tantali vel Pelopis filia, uxor Amphionis, ob insolentiam partus, Apollinis ac Dianae numen experta est. Nam quum ex Amphione septem filiis totidemque virginibus editis comitata gauderet, et quodam tempore Manto, Tiresiae filia, ex responso Thebanos monuisset, ut Latonae et filiis ejus, Apollini et Dianae, preces ferrent, illa sacrificiis interesse noluit, praedicans, se potentiorem numine Latonae ac filiis ejus esse. Hoc quum Latona filiis conquereretur, Apollo et Diana, tecti nubibus, Thebas venerunt, ac Nioben cum filiis filiabusque necaverunt. Peremtos autem apud Thebas liberos Niobe ad patriam, Sipylon scilicet montem, dicitur reduxisse, ipsaque ibidem in saxum mutata induruisse.

72. Glaucus.

Glaucus quidam fuit de Potnia civitate. Qui quum sacra Veneris sperneret, illa irata equabus ejus, quibus utebatur ad currum, immisit furorem; quae mox eum dilaceraverunt.

73. Deucalion et Pyrrha.

Juppiter humani generis vitia vindicans, terras imbrium undatione operuit, totumque hominum genus diluvio delevit. Deucalion autem, Promethei filius, et Pyrrha, ejusdem soror, quum miseratione numinum in Parnaso monte effusionem imbrium fugissent, navicula Delphos vecti, Themidis, quae antistes terrae fuisse traditur, oraculo audierunt, *humanum genus posse reverti, si ossa matris post terga jactarent.* Intellexerunt igitur, matrem *terram* significari, quippe omnium rerum genetricem; ossa vero ejus *lapides.* Igitur oraculo adimpleto, lapides, quos Deucalion post tergum projecit, in viros vertebantur; lapides, quos Pyrrha, in feminas.

74. Lycus et Antiopa.

Lyci uxor Antiopa, Nyctei regis filia, ab Epapho, Ixionis et Jovis nato, per dolum stuprata, a viro Lyco est ejecta. Quam pulsam Juppiter, in Satyrum, vel ut alii dicunt, in taurum versus, compressit, et gravidam fecit. Lycus autem

iratus Dircen duxit uxorem. Cui quum suspicio incidisset, virum suum Lycum cum Antiopa prius amata concubuisse, imperavit famulis, ut pellicem vinctam in tenebris clauderent. Cui quum partus instaret, Jovis voluntate vincula effugit, et in monte Cithaerone partus exposuit, videlicet Zethum et Amphionem; quorum Zethus rusticus, Amphion vero, lyra a Mercurio promerita, musicae extitit peritus. Qui matris injurias vindicaturi, Lycum interfecerunt; Dircen vero, indomito religatam tauro, vita privaverunt. De cujus sanguine natus est fons, ex nomine ipsius *Dircaeus* appellatus. Idem Amphion Cadmo, Agenoris filio, Thebas condenti, adjutor accedens, cantus dulcedine lapides dicitur movisse, et ut se muris sponte imponerent, canendo fecisse.

75. Epaphus.

Juppiter Epaphum in Aegypto oppida communire, ibique regnare jussit. Oppidum Memphin, et alia plura constituit, et ex Cassiopeïa uxore suscepit filiam Libyen, quae postea in Africa regnum possedit; cujus ex nomine terra Libya est appellata; quae etiam regni hereditatem filio suo Agenori reliquit.

76. Juppiter et Europa.

Quum Mercurius jussu patris in Phoenicen transgressus esset, ut armenta illius regionis ad litus compelleret; Juppiter, in taurum conversus, quum se jumentis Agenoris, regis Libyae, immiscuisset, et in amore sui spatiantes in arena virgines consistere coëgisset; paulatim singulas alludens, novissime Agenoris filiam Europam, in pratis secundum consuetudinem puellarum flores legentem, vitiavit, et tergo sibi insidentem in insulam Cretam detulit, et ex ea tres filios, Minoëm, Rhadamanthum et Aeacum, qui facti sunt apud inferiores judices, genuit, tertiamque ab ea orbis partem vocavit.

77. Agenor et filii ejus.

Agenor, rapta filia Europa, fratres ejus Cilicem, Cadmum et Phoenicem, ad requirendam sororem misit; ita ut, nisi eam reperissent, ad se non reverterentur. Cilix diversas petiit regiones; novissime constitit in Cilicia; nec minus Phoenix in Phoenice. Cadmus, non inventa sorore, Apollinis oraculum sciscitabatur, *in quibus partibus consistere deberet.* Accepto igitur responso, *ut vaccam, a grege segregatam, quae lunae signum in latere haberet, ageret; et ubi fessa procubuisset, ibi urbem statueret;* parens

praecepto, in eam terram devenit, quae postea a *bove* Boeotia dicta est. Quum autem ad Martis fontem socios aquatum misisset, et ipse illuc post eos venisset; ut vidit a dracone, qui Marti erat consecratus, socios consumtos, serpentem interemit, et dentes ejus sevit: ex quibus terrigenarum multitudo progignitur, quae se mutuis vulneribus interemit, quinque tamen superstitibus, quorum nomina haec: Echion, Idaeus, Chromius, Pelorus, Hyperenor. Qui Minervae voluntate Cadmo et Amphioni, cantus dulcedine, ut sua sponte saxa muris se imponerent, efficienti, adjutores condendarum Thebarum additi, et principes urbis sunt facti.

78. Cadmus.

Nupsit Cadmus Hermionae, quae nata erat ex adulterio Martis et Veneris; sed malo omine. Postquam filiabus Solis Venus amores immisit, et singulae exitiali morbo detentae interierunt, Vulcanus Minervae consilio monile astu perfecit (nam consciam facti Minervam indicant oculi Gorgonae, qui in eodem monili gemmis erant inserti). Fecit ergo Vulcanus monile pulcherrimum infausti ominis, ita ut necesse esset hoc monile gestantem aerumnarum mole opprimi. Quod dedit Hermionae, Martis et Veneris filiae, quum Cadmo Agenoris filio nuberet. Cujus malo omine multa adversa patiens, novissime Cadmo in Illyricum infortunia Thebarum fugiente, cum eo in draconem conversa est. Deinde hoc monile Semele portavit, quae fulmine Jovis interiit. Idem habuit Ino, quae, occiso a marito Athamante per furorem uno ex filiis Learcho, cum alio, id est Palaemone, se praecipitavit in mare, ut mariti insequentis vitaret insaniam. Post habuit Agave, quae et ipsa filium furore percussit. Hae igitur praedictae filiae Cadmi et Hermionae fuerunt. Habuit et Iocasta, quae per errorem filio Oedipo nupsit. Habuit et Argia, Adrasti regis filia, a marito Polynice, per hereditatem sortito, eo donata; quae idem monile propter prodendum maritum Amphiaraum Eriphylae, ejus uxori, tradidit, quam postea filius Alcmaeon in vindictam patris occidit. Orestesque furore, occisa matre, correptus, idem monile Apollini consecravit. Quod in fontem projectum, hodie cerni dicitur. Quod si quis attrectaverit, dicunt solem offendi et tempestates oriri. Quatuor autem sorores, Ino, Autonoë, Semele, Agave, filiae Cadmi esse dicuntur, quia quatuor sunt ebrietatis genera; vinolentia, rerum oblivio, libido, insania. Unde et nomina haec quatuor Bacchae acceperunt.

79. Juno et Semele.

Juno quum videret, Semelem, Cadmi filiam, quae et Thyone dicitur, a Jove diligi, in aniculam versa est, et Semeles limen ingrediens, ipsi ita locuta est: *Si te, ut perhibent, integre amat Juppiter, ab eo impetra, ut talis ad te veniat, qualis Junoni solet videri.* Quod quum Semele a Jove rogaret, ille mortalem nullo modo talem adventum posse ferre dixit. Illa autem instante, tandem promisit, tali habitu se ad eam esse venturum, quali ad Junonem venit. Qui quum venisset cum fulmine, Semele sustinere non potuit, et obiit. Juppiter vero, aperto ejus velocissime utero, Liberum patrem ipse et Mercurius aperto femore suo abdidisse dicitur, ut expletis novem mensibus, legitime nasceretur. Postea, completis maternis mensibus, Nymphis, quae Nysam, montem Indiae, frequentabant, clam tradidit nutriendum. Quem postea Ino, uxor Athamantis ex Aeolo geniti, matertera sua, soror videlicet Semeles, nutrisse perhibetur. Hinc irata Juno furorem Athamanti, marito Inonis, immisit, ut filios suos vellet occidere; sperans ut, si Liberum patrem invenire posset, simili, ut liberos, sorte perimeret. Hinc Athamas mox unum filium suum Learchum Herculis extinxit sagittis. Ino vero maritum suum ubi furore et se persequi conspexit, Melicertam, alterum filium, arripiens, se cum illo praecipitavit in mare. Qui postmodum in deos marinos conversi sunt; Melicerta in Portumnum, qui Graece Palaemon dicitur; Ino in marinam deam, quae Graece dicitur Leucothea. Palaemonis autem corpus quum Corinthum fuisset appulsum, ex habitu contemplati, regis fuisse filium, humaverunt. Cui humato institutum fertur lustrale certamen.

80. Liber.

Liber, adultae factus aetatis, Indiam sibi subjugavit. Inde revertens, quum in deserta et extrema parte Libyae teneretur, ac siti laboraret exercitus, rogasse dicitur Jovem, ut se, aquam ei ostendendo, patrem probaret. Mox ex arena aries apparuit, qui pede elevato monstravit locum, ubi fodiens aquam posset invenire. Tunc aperta terra, egressa est aqua largissima; vel, ut alii dicunt, aries ipsi apparuit, quo duce Liber aquam invenit. Inventa autem aqua, petiit a Jove, ut arietem in astra transferret. In eo autem loco, ubi aqua fluxit, templum constituit, quod Jovis Ammonis dicitur. Simulacrum etiam ejus, adjectis cornibus arietinis, confectum est. Fingitur autem cornibus arietinis, quod ea, quae ibi dantur responsa, obscuritate sunt involuta. Dicitur

autem Juppiter *Ammon*, eo quod in *arena* repertus est; ἄμμον enim Graeci *arenam* dicunt. Liber autem, inter deos receptus, juvenis nudus pingitur. Lyaeus pater vocatur, quod vini potio liberas mentes faciat. Indos vicit, quia haec gens vino dedita est. Hic tigribus insidere dicitur, quod vino fotae mentes mulceantur; unde et Lyaeus dicitur, quasi *lenitatem* praestans. Juvenis ideo pingitur, quia semper ebrietas calet. Ideo nudus, quia mentis suae secreta ebrius nudat.

81. Autonoë.

Autonoë, tertia Cadmi filia, Aristaeo, Apollinis et Cyrenes Nymphae filio, nupsit, et ex eo filium Actaeonem concepit. Qui quum in silvis venaretur, Dianam, quum in valle Gargaphiae aestivo tempore et assidua venatione fatigata se ad fontem perlueret, nudam subito incurrit. Inde ab illa irata in cervum ipse, ne eloqui posset, mutatus, a suis dicitur canibus periisse laniatus. Quod exponens Anaximenes, dicit, Actaeonem venationem dilexisse; sed quum ad maturam venisset aetatem, consideratis venationum periculis, nudam artis rationem videns, extimuit; et dum periculum venandi fugeret, affectum tamen canum non dimisisse, quos inaniter pascendo, paene omnem suam substantiam perdidit. Ob hoc a suis canibus dicitur esse devoratus.

82. Aristaeus.

Aristaeus post laniatum a canibus filium, matris instinctu Thebas reliquit, et Chion insulam tenuit, adhuc hominibus vacuam. Postea relicta ea, cum Daedalo ad Sardiniam transitum fecit.

83. Agave.

Agave, quarta filia Cadmi, Echionis uxor erat. Quae Liberum patrem ita in contemtu habuit, ut et arborem conscendens, cum telo ei insidiaretur. Cujus filius Pentheus, Thebanorum rex, similiter ejus sacra despiciens, jussit famulis suis, ut eum Thebas venientem, vinctum sibi praesentarent. Liber, ut eum vesanientem deluderet, versus in Acetem, comitem suum, vinctus ducitur, et in custodiam mittitur. Unde immissa matri et filio amentia, Agave filium suum, sibi obviantem. vitulum putans, cum furore armata decollavit. Liber incolumis evasit. Agave autem mox post caedem resipuit, et se filium suum decollasse cognovit.

84. Tiresias.

Tiresias, Eueris filius, genere Thebanus, in monte Cyllene dracones concubitu haerentes virga quum percussisset, in mulierem versus est. Et post temporis seriem iterum eos concumbentes videns, percussis rursus virga in eodem loco, in figuram rediit pristinam. Quo tempore inter Jovem et Junonem jocosa fuit disceptatio, utrum mas an femina majorem sentiret rei conjugalis voluptatem; introductus judex Tiresias, qui utramque naturam expertus fuerat, sensum mulieris ad comparationem viri triplicem fore asseveraverat. Ob hoc Juno irata manus ejus praecidit, et eum excaecavit. Juppiter autem ob id ei concessit, ut VII aetates viveret, vatesque veracissimus haberetur. Tiresiam, quem diximus, intelligi volunt tempus, quod in vere dicitur *masculum*, quia tunc soliditas et clausura est germinum. Ergo dum vernum tempus coëuntia sibi effectu animalia viderit, eaque *virga*, id est *fervoris aestu*, percusserit; in femineum sexum convertitur, dum in aestatis fervorem mutatur. Aestatem namque in modum feminae ponunt, quia omnia patefacta suis folliculis emergunt. Cujus genitura dum veniente autumno prohibetur, iterum in priorem concipiendi et stringendi imaginem convertitur. Denique quum duobus diis, id est duobus elementis, igni et aëri, judicandi causa adhibetur, justam de ejus judicio rationem profitetur. Ad fructificandum enim germina, tripla aëri prae igne suppetit materia. Aër enim et maritat in glebis, et perdurat in foliis, et gravidat in folliculis. Sol autem maturare tantum novit in granis. A Junone caecatur, quia hiemis tempus nubilosa aëris caligine obducitur. Juppiter vero ei vaporibus occultis praescientiam, id est conceptionem, futuri subministrat germinis.

85. Branchus.

Branchus, Apollini dilectus, futurorum fuit peritus. Cujus talis est fabula. Cius quidam in peregrinatione quum pranderet in litore, proficiscens oblitus est filium, Synichronem nomine. Ille in saltum cujusdam Patronis pervenit, receptusque cum filiis ejus capras pascere coepit. Aliquando cygnum prehendiderunt, et illum veste cooperuerunt. Illi pugnando, uter patri illud munus offerret, quum essent fatigati certamine, mulierem invenerunt, rejecta veste. Et quum fugerent territi, revocati ab ea, ut Patron unice Synichronem diligeret puerum, sunt admoniti. Illi quae audierant, Patroni indicaverunt. Tunc Patron Synichronem pro suo filio dilexit, eique filiam uxorem locavit. Illa, ab eo impraegnata, vidit in somnis per fauces introisse solem et exisse per ventrem.

Simile de matre Buddhae
dicebatur

Ideo infans natus Branchus est vocatus, quia mater ejus per *fauces* sibi uterum a sole viderat penetratum. Hic quum in silvis Apollinem osculatus esset, ab eo est comprehensus, et accepta corona virgaque, vaticinari coepit, et subito nusquam comparuit. Templum ei factum Branchiadon est nominatum: et Apollini templa consecrantur, quae ab *osculo* Branchi *philesia* nuncupantur.

86. Mopsus.

Mopsus, Apollinis et Mantus filius, amicitia Iasoni conjunctus, divinandi in tantum extitit peritus, quod post mortem ei templa dicata sunt, a quorum adytis saepe homines responsa accipiunt.

87. Sibylla.

Sibyllam pio amore Apollo dilexit, et ei poscendi quod vellet arbitrium obtulit. Illa manibus arenam hausit, et tam longam vitam poposcit. Cui Apollo respondit, *id posse fieri, si Erythraeam, in qua habitabat, insulam relinqueret, et eam numquam videret.* Profecta igitur, Cumas tenuit, et illic defectam corporis viribus vitam in sola voce retinuit. Quod quum cives ejus cognovissent (sive invidia, sive miseratione commoti), ei miserunt epistolam, creta antiquo more signatam. Qua visa, in mortem est soluta. Unde nonnulli hanc esse dicunt, quae Romana fata conscripserat, quod incenso Apollinis templo, inde Romam allati sunt libri, unde haec fuerat. Sibylla autem *Phemonoë* dicta est; nam adjectivum est nomen. Sibylla enim dicitur omnis puella, cujus pectus numen recipit. Nam, ut alii dicunt, *σιὸς deus*, *βουλὴ* autem est *sententia*. Igitur Sibyllas quasi *Siobulas* dixerunt.

88. Libri Sibyllae.

Constat, regnante Tarquinio, quandam mulierem obtulisse ei novem libros Sibyllae Cumanae, secundum Virgilium; secundum Varronem Erythraeae. In quibus libris erant fata et remedia Romanorum; et pro his poposcit trecentos philippicos, qui tunc pretiosi erant. Quae contemta, alio die tribus incensis, reversa est, et accepit quantum postulavit. Qui libri diligentissime in templo Apollinis servabantur. Tempore civilis belli jam per populum carmina vulgabantur, et mala Romani fati omnibus patebant.

89. Io.

Io Inachi, Argivorum regis, filia fuit. Cum qua amata Jove morante, Juno supervenit. Timens ille, ne deprehenderetur, Ionem in vaccam mutavit, et eam poscenti Junoni, ne pellicem confiteretur, dedit. Cui Juno Argum, Aristoclis filium, omnibus membris oculatum, custodem apposuit. Quem quum Juppiter per Mercurium interemisset, Juno eum in pavonem mutavit. Ioni vero immisit oestrum, quo toto orbe vexata tandem ad Aegyptum venit, et Jovis voluntate in Isin mutata est. Fingitur autem Isis in similitudine vaccae mare transisse, quia transiit in navi, vaccae picturam habente. Quod ut certius cognoscas, navigium Isidis Aegyptus colit.

90. Isis.

Isis autem est Genius Aegypti, qui per sistri motum, quod gerit in dextra, Nili accessus recessusque significat; per fistulam, quam sinistra retinet, omnifluentiam lacrimarum. Isis autem lingua Aegyptiorum est *terra*, quam Isin volunt esse.

91. Osiris.

Osiris fuit Gigas, Isidis maritus, a Typhone, fratre suo, dilaniatus. Quem Isis, regina Aegypti, diu plangendo quaesivit, et tandem inventum salutavit. Unde populus, qui ejus colit festa, simulat eum quaerere, et inveniens eum, tandem salutat Graece his verbis: *veneramur te.*

92. Vannus Liberi patris.

Dicitur Isis inventa Osiridis membra cribro superposuisse. Nam idem est Liber pater, in cujus mysteriis vannus est, quia Liberi patris sacra ad purgationem animae pertinent, et sic homines mysteriis ejus purgabantur, sicut vannus frumenta purgat. Unde Liber ab eo, quod *liberet*, est dictus. Quem etiam Orpheus dicit discerptum esse a Gigantibus.

93. Venus.

Venus indignata, quod Proserpina, Jovis et Cereris filia, conjugia sperneret, Plutoni, propter terrorem Typhoei evomentis Aetnam, ab inferis emerso, intulit amorem Proserpinam, circa cacumen Aetnae flores legentem, ut raperet. Qua compressa, quum properaret fugere, Cyane Nympha, quam dilexerat Anapus amnis, intercedente, tardatus est.

At ille incensus ira morae, intercedentem ut amoveret, sceptro percussit; unde praeceps in inferna demersa est, et in liquorem conversa; cujus lacus contiguus est Arethusae.

94. Proserpina.

Proserpinam autem, id est Persephonem, raptam a Dite patre, quum Ceres, incensis facibus, per orbem terrarum requireret, per trivia perque quadrivia vocabat clamores. Unde permansit in ejus sacris, ut cunctis diebus per compita a matronis clamor exerceatur.

95. Ceres.

Quum autem Ceres de filiae inquisitione non cessaret, propter extinguendam sitim ad quendam fontem accessit. Lycii rustici, videntes eam, a potu prohibere coeperunt; conturbantesque pedibus fontem, contra eam sonum naribus emiserunt. Unde illa irata eos convertit in ranas, quae nunc quoque ad illius soni imitationem coaxant.

96. Cereris inquisitio.

Ceres quum Proserpinam raptam quaerere non desisteret, venit ad Eleusinam civitatem ad Celeum, regem Atheniensium. Qui quum liberaliter eam excepisset, et a quo rapta esset Proserpina, indicasset, illa benevolentia ejus delectata, filii ejus nomine Triptolemi, quem uxor Hiona ipsi peperit, se nutricem promisit. Hanc regina libens nutricem filio suo suscepit, eique nutriendum tradidit.

97. Immortalitas ejus alumni.

Ceres dum alumnum suum vellet immortalem reddere, interdiu lacte divino nutriebat, noctu clam igne obruebat. Itaque praeter quam soliti erant mortales crescebat. Quum hoc pater miraretur, nocturno tempore observavit, et quum Ceres puerum obrueret, exclamavit. Illa irata Eleusium exanimavit, ac Triptolemo, alumno suo, aeternum beneficium contulit. Nam fruges ei propagandas, et currum draconibus junctum tradidit. Quibus ille vectus orbem terrarum frugibus obsevit.

98. Triptolemus.

Triptolemus beneficio Cereris quum fruges per omnes spargeret gentes, ad Lycum, Scythiae regem, venit, ibique paene deceptus est. Volens enim Lycus id, quod hospes

attulerat, fuisse suum monstrare, Triptolemum insidiis perimere conatus est. At ille, periculo cognito, strieto gladio Lycum persequi coepit. Lycus, in feram sui nominis versus, morum suorum colore distinctus est.

99. Cepheus rex.

Postquam Triptolemus domum rediit, Cepheus rex eum tamquam aemulus interficere conatus est. Sed re cognita, jussu Cereris Triptolemo regnum tradidit, ibique oppidum constituit, quod ex patris sui nomine appellavit, qui Cereri sacra primus instituit, quae Graece θεσμοφόρια appellantur.

100. Inventio Proserpinae.

Ceres quum Proserpinam, a Plutone raptam, diu quaesisset, tandem aliquando eam esse apud inferos comperit. Pro qua re quum Jovis implorasset auxilium, ille respondit, eam posse reverti, si nihil apud inferos gustasset. Illa autem jam punici mali in Elysio grana gustaverat. Quam rem Ascalaphus, Stygis filius, prodidit. Unde Proserpina ad superos remeare non potuit. Indignata Ceres convertit Ascalaphum in bubonem. Sane Ceres a Jove postea meruisse dicitur, ut Proserpina VI esset cum matre mensibus, VI cum marito. Quod ideo fingitur, quia Proserpina ipsa est quae et luna, quae toto anno VI mensibus crescit, VI deficit, scilicet per singulos menses quindenis diebus; ut crescens apud superos, deficiens apud inferos videatur.

101. Sirenes.

Sirenes, Melpomenes Musae et Acheloi fluminis filiae, quum Proserpinam, a Plutone raptam, inquirerent, et eam minime invenissent, a diis novissime impetrarunt, ut versae in volucres, non tantum in terris, sed etiam in mari requisitam consequi possent. Quo concesso, diu quaerentes, novissime ad petram Martis, quae proxime imminebat pelago, devenerunt, ibique habitare coeperunt. His concessum quoque fuit, ut tamdiu manerent incolumes, quamdiu earum vox audiretur. Fuerunt autem parte volucres, parte virgines, pedes gallinaceos habentes. Harum una voce, alia tibiis, tertia lyra canebat. Quarum cantibus illecti nautae quum ad saxa accederent, in quibus illae residentes canebant, illisis in scopulis navibus, in naufragia ducebantur, et ab illis comedebantur. Has Ulixes contemnendo deduxit ad mortem. Nam quum illas praeternavigaret, omnium sociorum suorum aures, ne eas audirent, cera obturans, se jussit ad arborem

navis religari. Ita et dulcedinem cantus illarum percepit, et periculum evasit. At illae adeo se victas doluerunt, ut se in fluctus praecipitarent, sicque mortem gustarent. Secundum veritatem autem meretrices fuerunt, quae quoniam transeuntes ducebant ad egestatem, his fictae sunt inferre naufragia. Σειρῆνες igitur Graece, Latine *trahitoriae* dicuntur. Tribus enim modis illecebra trahitur, aut cantu, aut visu, aut consuetudine. Eaedem igitur volatiles dicuntur, quia amantium mentes celeriter mutantur. Inde gallinaceis pedibus finguntur, quia libidinis affectu quaeque habita spargunt. Per Ulixem autem, qui quasi ὅλων ξένος, id est *omnium peregrinus* dicitur, ad mortem deductae dicuntur, quia sapientia ab omnibus mundi illecebris peregrinatur.

102. Tantalus.

Tantalus, rex Corinthiorum, amicus numinibus fuit. Quae quum frequenter susciperet, et quodam tempore defuissent epulae, volens divinitatem eorum tentare, invitatis filium suum Pelopem occidens epulandum apposuit. Tunc abstinentibus cunctis, Ceres humerum ejus exedit. Quem quum dii per Mercurium revocare ad superos vellent, eburneus ei est humerus restitutus. Ideo autem sola Ceres dicitur comedisse, quia ipsa est terra, quae corpus solvit, ossa tamen reservans. Per Mercurium autem fingitur ob hoc revocatus, quod ipse est deus prudentiae. Tantalus autem hac lege apud inferos dicitur esse damnatus, ut in Eridano inferorum stans, nec undis praesentibus, nec vicinis ejus pomariis, fame deficiens, perfruatur. Aliquis igitur avarus fingitur; ut Horatius: *Quid rides? fabula narratur, mutato nomine, de te.*

103. Danaus et Egestus.

Danaus et Egestus germani fuerunt, filii vero Beli, fratres autem Agenoris, patris Cadmi. Danaus ex pluribus conjugibus quinquaginta habuit filias; Egestus, frater ejus, totidem filios. Egestus Danaum fratrem, ut filias suas filiis suis in matrimonium daret, postulavit. Danaus ut responso comperit, *quod generi sui manibus interiturus foret*, Argos profectus est, et primus dicitur naves fecisse. A cujus nomine Argo dicta est navis. Hoc comperiens Egestus, misit filios suos ad persequendum fratrem, iisque praecepit, ut aut Danaum interficerent, aut ad se non redirent. Qui postquam venerunt Argos coeperunt oppugnare. Danaus postquam vidit, se resistere non posse, filias suas fratris sui filiis conjunxit uxores. Quae nuptae, jussu patris viros uni-

versae suos interfecerunt. Sola Hypermnestra Lynceo marito suo pepercit. A quo postea Danaus, ut oraculi fides impleretur, occiditur. Ob hoc scelus apud inferos hac poena dicuntur damnatae, ut aquam dolio pertuso infundentes, numquam laboris finem mereantur.

104. Tityus.

Tityus, Terrae filius, tantae fuit magnitudinis, ut amplitudine sui corporis novem jugera occuparet. Hic amavit Latonam; propter quod Apollinis confixus est sagittis, et damnatus hac lege apud inferos, ut vultur, renascentibus semper fibris, ejus jecur exedat.

105. Sisyphus.

Quum inter duo maria, Sisypheum videlicet et Lechaeum, positum montem Sisyphus crudeli latrocinio occupasset, homines praetereuntes, ingens saxum super eos praecipitando, solitus erat necare. Quod scelus luendo, dicitur apud inferos contra montis verticem saxum volvere, quo semper elapso, numquam volvendi labore quiescit. Dicitur autem idem Sisyphus, Jove, *se Aeginam, Asopi fluminis filiam, rapuisse*, ipsi confesso, hoc quaerenti patri infida levitate prodidisse, et ob hoc tali apud inferos poena damnatus esse. Sane de his omnibus mire reddit rationem Lucretius, confirmans, in nostra vita esse omnia, quae finguntur de inferis. Dicit namque, Tityum amorem esse, hoc est libidinem, quae secundum physicos et medicos in jecore est, sicut risus in splene, iracundia in felle: unde etiam exesum a vulture, dicitur in poenam renasci. Etenim libidini non sufficit res semel peracta, sed recrudescit semper. Dicit etiam Lucretius, per eos, super quos jam casurus imminet lapis superstando, designari qui inaniter semper verentur, et de diis et caelo male opinantur. Nam religiosi sunt qui per reverentiam timent. Per eos autem, qui saxum volvunt, ambitum vult et repulsam significari, quia semel repulsi petitores ambire non desinunt. Per rotam autem ostendit negotiatores.

106. Ixion.

Ixion, Phlegyae filius, imperator Lapitharum, Thessalicae gentis, amicissimus Jovi, quum venia ejus in caelum translatus fuisset, Junonem de stupro interpellare ausus est. Quae de audacia ejus conquesta Jovi, suadente ipso, pro se nubem ei opposuit, cum qua Ixion concubuit; unde geniti

sunt Centauri. Reversus autem ad mortales gloriatus est, se cum Junone rem habuisse. Ob quam causam Juppiter eum fulmine percussit, et ad rotam serpentibus circumfusam apud inferos volvendam ligavit.

107. Explanatio ejusdem fabulae.

Sicut nihil in Latina oratione veritate gratiosius, ita nihil in Graeca falsitate ornatius. Ixion, quasi ἄξιον, id est *dignitatem*, dici voluerunt; Junonem deam regnorum. Ergo dignitas, regnum affectans, nubem meretur, id est similitudinem regni. Democritus igitur scribit, Ixionem in Graecia primum regni gloriam affectasse. Qui sibi centum equites primus omnium conquisivit; unde et Centauri dicti sunt quasi *centum armati*. Denique Centippi dici debuerunt, eo quod equis mixti pinguntur. Sed Ixion, parvo tempore regnum adeptus, mox illud perdidit pulsus. Unde et ad rotam damnatus dicitur, quia rotae vertigo semper instabilis volvitur; ut hinc pateat, quod omnes, qui per arma atque violentiam regnum affectant, subito ereptiones, subito elisiones sustineant. Quod autem Centauri ficti sunt, etiam hic datus est locus fabulae. Quidam enim Thessalus rex, quum in Pelethronio, Thessaliae oppido, satellites suos ad revocandos oestro exagitatos boves misisset, illique cursu eos assequi non sufficerent; equos primi, invento domandi usu, ascenderunt, eorumque usi velocitate, boves stimulis ad tecta revocaverunt. Hi quum equis uterentur, aut velociter eundo, aut circa flumen Peneum equos inclinatis eorum capitibus potando. locum dederunt fabulae, ut Centauri crederentur esse. Alii dicunt, Centaurorum fabulam esse confictam ad exprimendam humanae vitae velocitatem, quia equum constat esse velocissimum.

108. Pirithous.

Pirithous, Lapitharum Thessalicae gentis rex, quum uxorem Hippodamiam duceret, vicinos populos, Centauros etiam Rhoetum, Pholum et Hylaeum, et alios quam plurimos, et deos omnes, excepto Marte, ad convivium vocavit. Unde numen iratum, immisso furore, convivantes ad arma commovit. Centauri namque quum vino incaluissent, et puellae nubentis thalamum vellent irrumpere, et vino pleni aliorum etiam Lapitharum uxores conarentur rapere, a Lapithis et a rege eorum Pirithoo victi corruerunt. Eidem pugnae Caenis interfuit, qui prius virgo; post a Neptuno pro stupri praemio sexus mutationem meruit. Erat etiam invulnerabilis. Pugnando tamen cum Lapithis contra Cen-

tauros crebris fustium ictibus in terram fixus interiit. Sed post mortem in sexum rediit.

109. Phlegyae.

Phlegyae erant populi quidam insulani nimium in deos impii et sacrilegi. Unde iratus Neptunus eam partem insulae, quam Phlegyae tenebant, tridente percussit, et omnes obruit.

110. Acrisius.

Acrisius, rex Argivorum, accepit responsum, *eum qui ex filia nasceretur, morti sibi causam futurum.* Unde sollicitus turrem aeneam fecit, et in ea filiam Danaën posuit, adhibens intus puellas custodes, foris vero satellites canesque vigiles. Juppiter autem, versus in imbrem aureum, per tegularum rimas ad illam se demisit et gravidam fecit. Quo comperto, pater eam intra arcam inclusam praecipitavit in mare. Quae ad Italiam delata, inventa est a piscatore cum Perseo, quem illic enixa fuerat, et oblata regi, qui eam sibi in conjugium copulavit, et cum ea Ardeam condidit, unde Turnus originem duxit.

111. Perseus.

Sed postea Perseus, a Polydecte rege ad interficiendam Gorgonam missus, quum revertens resectum ejus caput in manu volando portaret, avum suum Acrisium, objecto illi Gorgonis capite, in saxum convertit.

112. Gorgones.

Gorgones tres fuerunt, Stheno, Euryale, Medusa, filiae Phorci regis et Cretidis Nymphae, uno invicem oculo utentes. Has si quis vidit, stupore statim in lapidem versus est. Serenus dicit, tres puellas fuisse unius pulchritudinis. Quas quum vidissent adolescentes, stupore torpebant. Unde fingitur, si aliquis eas vidisset, in lapidem verteretur. Fuerunt autem locupletes nimis; unde *Gorgonae* dicuntur, quasi *terrae cultrices*: *γῆ* enim *terra*, *ἐργασία cultura* dicitur. Sed mortuo patre, Medusa in regnum ejus successit. Quae quum propter pulchritudinem a pluribus peteretur in connubium, Neptunum effugere non potuit, cum quo in templo Minervae rem habuit. Cui quum et prius se propter formae jactantiam praeferret, crines ejus a Minerva in serpentes sunt mutati; ut quae petita in primis a pluribus procis esset, postea eosdem vultus deformitate terreret. Quam Perseus, filius Jovis et Danaës, a Polydecte rege missus, accepto a

Minerva, ne a Gorgona posset videri, vitreo clypeo, interceptoque in primis Phorcidum lumine, quo invicem custodiis utebantur, interfecit, et exsectum ejus caput Palladi in pectore gestandum obtulit; de cujus sanguine genus est serpentum procreatum. Utero autem ejus equus Pegasus cum pennis exit, qui currens ad montem Aonium Boeotiae, pede percussit terram, et fontem Castalium produxit, qui et Pegasëus vel Aonius est appellatus, Apollini et Musis consecratus, de quo philosophi et poëtae finguntur bibere; nam poëtae quasi Musarum sacerdotes sunt. Dicitur autem idcirco Medusa serpentibus crinita esse, quia sororibus astutior erat. Cujus caput Perseus abstulisse dicitur, quia ipsam interfecit et substantiam abstulit. Illuc volando venisse dicitur, quia navibus venit.

113. Interpretatio ejusdem fabulae.

Veritas autem ex integro sic se habet. Gorgo *terror* est. Primus quippe terror est, qui mentem *debilitat*; secundus, qui *profundo* quodam terrore mentem *spargit*; tertius, qui non solum mentis, verum etiam *caliginem* ingerit visus. Unde et nomina accipiunt, Stheno *debilitas*, Euryale *lata profunditas*, Medusa *oblivio*. Haec omnia terrorem faciunt in hominibus; quae omnia Perseus occidit. Perseus enim Graece *virtus* dicitur. Gorgonam cum auxilio Minervae interfecit, quia virtus, auxiliatrice sapientia, omnes terrores vincit. Hujus autem caput fingitur in pectore Minerva habere, quod illic est omnis prudentia, quae confundit alios, et saxeos et imperitos probat. De cujus semine natus est Pegasus. Pegasus enim *fama* dicitur; quia omnia virtus superans, famam sibi quaerit. De Pegasëo fonte potant poëtae, quia in laudem virtutis, videntes eam victricem, prosiliunt.

114. Atlas.

Atlas, Iapeti et Clymenae filius, a Themide, quae antistes deorum initio fuerat, responsum accepit, *ne quem hospitio ex progenie Jovis reciperet, si hortum, in quo poma aurea erant, custoditum retinere vellet.* Quam ob causam quum Perseum, Jovis et Danaës filium, a Polydecte rege, Magnetis filio, ad Medusam Gorgonam occidendam missum, Libyae finibus prohiberet, ille, occisa Minervae auxilio Medusa, reversus, Atlantem, monstrato ipsi Gorgonis capite, in montem mutavit.

115. Minerva.

Minerva aliquando tibiis in consortio deorum canente, dii, intuentes buccam ejus turpiter inflatam, coeperunt ridere. Illa, quid riderent, ignorans, ad Tritoniam paludem venit, ibique labiorum suorum turgorem intuita, tibias abjecit. Quas Marsya inveniens, illis utendo in tantum factus est peritus, ut Apollini se compararet. Cum quo quum diu Apollo contenderet, et eum superare non posset, invertit citharam, et canere coepit. Inversis autem tibiis, quum se Marsya Apollini aequiparare nequiret, Apollo eum ad arborem religavit, et virgis caedendo ad interitum usque coepit punire. De cujus sanguine fons ortus est, ejus ornatus nomine. Cujus turpitudinis memoria, Marsya cauda depingitur porcina.

116. Cantilena Apollinis et Marsyae.

Huic decertationi quum Mida, rex Lydiae, judex adhibitus interfuisset, audita eorum cantilena, praeposuit Marsyam. Iratus Apollo ejus stultitiam auribus damnavit asininis. Quas omnium aspectui, corona semper capiti suo imposita, subtrahens, dum a suo liberto tonsus, ab eo metueret diffamari, ei coronam imposuit, promittens, ut si dedecus suum celaret, regni sui eum participem faceret. Qui quum visa intra se continere non posset, scrobem fecit, et Midam regem aures habere asininas terrae narrando inculcavit. Siquidem in eadem scrobe orta canna, quum pastores ex ea fistulam sibi facerent, quod terrae a tonsore regis inculcatum fuerat, fistula, pastoribus aliquid cantare volentibus, exprimebat.

117. Mida rex.

Mida rex ab Apolline petiit, ut omnia, quae tangeret, aurum fierent. Quo concesso, voti sui effectu coepit torqueri, quia cibum tangere non potuit, quin in aurum statim verteretur. Conversus ad preces, responsum ab Apolline accepit, *ut si ter in Pactolum fluvium capite mergeretur, poena mox privaretur.* Quo completo, ipso poenam evadente, fluvius exinde aureas dicitur arenas habuisse.

118. Explanatio ejusdem fabulae.

Veritas autem est, quia quisque avarus, quum omnia pretio destinat, fame moritur. Quod Mida rex erat, qui collecta pecuniarum suarum summa, ut Sosicrates dicit, Pactolum fluvium, qui in mare decurrere solitus erat, per

innumerabiles meatus ad irrigandam suam provinciam derivavit, suaque expensa avaritia fluvium fertilem reddidit. Mida enim Graece quasi *μηδὲν ἰδών* dicitur, id est *nihil sciens*. Avarus enim in tantum stultus est, ut etiam sibi prodesse nesciat.

119. Certamen Neptuni et Minervae.

Quum in acropoli, Athenarum arce, Neptunus et Minerva de nomine Athenarum contenderent, placuit diis, ut illius ex nomine civitas diceretur, qui munus melius mortalibus obtulisset. Tunc Neptunus percusso cum tridente litore equum, animal bellis aptum, produxit. Minerva jactata hasta olivam creavit; quae res est melior comprobata, et pacis insigne habita. Mox civitas Athenae quasi *ἀθανάτη*, id est *immortalis*. Hinc, quia Minervae munus praelatum est dono Neptuni, ramus olivae cui offertur, offerente melior esse judicatur. Hinc est proverbium illud *herbam do*, id est cedo victoriam. Nam quum in agonibus aliquis herbam in modum palmae dat ei, cum quo non conatur contendere, eum fatetur meliorem esse. Vittis autem ramus olivae alligatur, ut inertia aut imbecillitas offerentis ostendatur. Scimus enim, oves alieno semper egere auxilio. Equum autem, a Neptuno progenitum, alii Scitium, alii Chironem, alii Arionem (quem Adrastus in Thebano proelio habuit) dicunt fuisse nominatum. Ideo autem Neptunus dicitur equum invenisse, quia velox est ejus numen et mobile, sicut mare. Unde et Castor et Pollux, quia eorum velocissimae stellae sunt, equos in tutela habere dicuntur.

120. Minos.

Minos, Jovis et Europae filius, quum sacrificaturus ad aras patris accederet, oravit potentiam numinis, ut dignam aris suis hostiam ipse praeberet. Itaque subito taurus apparuit nimio candore perfusus. Quem quum admiraretur Minos, religionis oblitus, armenti sui maluit esse ductorem; cujus etiam ardore Pasiphaë, filia Solis, uxor Minois, dicitur arsisse. Igitur contemtus Juppiter a filio furorem tauro immisit, ut Cretensium non solum agros, sed universa etiam moenia vastaret. Hunc Hercules, missus Eurysthei imperio, superavit, victumque Argos usque perduxit. Quem quum Eurystheus Junoni consecrare vellet, Juno exosa munus, quod ad Herculis gloriam pertinebat, taurum in Atticam regionem expulit, ubi a monte ejus Marathone Marathonius est appellatus; quem postea Theseus, Aegei filius, interemit. Sed de Pasiphaë et eodem tauro plenius dicatur.

121. Venus.

Indicato igitur a Sole adulterio Martis et Veneris, Vulcanus minutissimis adamantinis catenis lectulum cinxit, quibus Mars et Venus ignorantes impliciti, et cunctorum sub testimonio deorum cum ingente turpitudine resoluti sunt. Quod factum Venus vehementer dolens, stirpem omnem Solis persequi infandis amoribus coepit. Igitur, ea incendente, quum Pasiphaë, Solis filia, Minois regis Cretae uxor, tauri amore flagraret, arte Daedali intra vaccam ligneam, corio juvencae pulcherrimae septam, inclusa cum tauro rem habuit; nato inde Minotauro, qui intra labyrinthum inclusus, humanis carnibus vescebatur. Sed Minos de Pasiphaë habuit liberos plures, Androgeum, Ariadnen, Phaedram.

122. Androgeus.

Androgeus quum athleta fortissimus esset, cunctosque in agonibus apud Athenas superaret, ab Atheniensibus et vicinis Megarensibus, quorum rex Nisus erat, conjuratione ab iis in eum facta, insidiis eorum occisus est. Quod Minos, pater ejus, dolens, collectis navibus, bella commovit: et victis Atheniensibus poenam hanc constituit, ut singulis quibusque annis VII de filiis, et VII de filiabus suis edendos Minotauro mitterent.

123. Scylla.

Victis autem Atheniensibus, quum contra Megarenses bella Minos moveret, quia formosus erat, amatus est a Scylla, Nisi Megarensium regis filia. Quae ut hosti posset placere, comam purpuream, parenti abscisam, ei obtulit; quam Nisus ita habuerat consecratam, ut tamdiu regno potiretur, quamdiu illam habuisset intactam. Minos, accepto crine, civitatem expugnavit, et Nisum interfecit. Postea et Scylla, a Minoë contemta, dolore in avem conversa est; et Nisus extinctus miseratione deorum in avis mutatus est formam. Quae aves hodie inter se discordant. Nam pro veteris odio facti, id est crinis, Nisus persequitur Scyllam, ut eam morti tradat.

124. Theseus

Sed Athenienses dum singulis annis filios Minotauro mitterent, tertio anno Theseus, Athenarum regis Aegei filius, missus est, tam virtute potens, quam forma. Qui quum ab Ariadne, regis filia, amatus fuisset, ipsa timens, ne ille, quamvis occiso Minotauro, multiplex et perplexum labyrinthi

iter explicare non posset, Daedalum, fabricatorem operis, ut aliqua arte Theseo subveniret, exoravit. Qui eum intrantem fili globum post se jussit resolvere, ut illum egrediens relegendo, redeundi perplexiones posset superare. Quo adimpleto, Theseus occiso Minotauro victor egreditur, et rapta Ariadne aufugit, quam tamen in Naxo insula, Libero dicata, dormientem reliquit. Quam quum Liber uxorem duceret, Vulcanus ei coronam, VII lampadibus insignitam, obtulit; quam ille ut uxoris insigne inter sidera collocavit.

125. Aegeus.

Aegeus autem filio suo praeceperat, ut si victor reverteretur, vela mutaret. Quod quum ille oblitus non fecisset, Aegeus prospiciens a litore velis non mutatis redeuntem filium, victum aestimans, mari, in quod se praecipitavit, nomen imposuit. Theseus vero odio loci inde navigans, ad Italiam venit, et Brundusium condidit. Quae quum omnia factione Daedali Minos deprehenderet effecta, eum cum Icaro servandum in labyrinthum trusit. Sed Daedalus, corruptis custodibus, sub faciendi, quo rex placaretur, muneris specie, ceram accepit. Exinde tam sibi quam filio alis impositis evolavit. Icarus altiora petens, pennis solis calore resolutis, mari, in quod cecidit, nomen imposuit. Daedalus vero primo in Sardiniam, post delatus est Cumas, ibique Apollini templo condito, in foribus haec universa depinxit.

126. Taurus.

Veritas autem sic se habet. Taurus notarius Minois regis fuit, quem Pasiphaë amavit, et cum illo in domo Daedali rem habuit. Et quia geminos peperit, unum de Minoë, et unum de Tauro, enixa esse Minotaurum dicitur. Quam ob culpam inclusum Daedalum regina, corruptis custodibus, relaxavit, qui, amisso in mari filio, navi delatus est Cumas.

127. Scyron.

Scyron hospites suos transeuntes saxo residens pedes sibi lavare cogebat, eosque ex improviso praecipitabat. Quem tamen Daedalus percussisse dicitur.

128. Theseus.

Theseus, Aegei et Aethrae filius, mortua Hippolyte, Phaedram, Minois et Pasiphaës filiam, superduxit Hippolyto. Qui quum de stupro illam interpellantem contemsisset, ab illa falso accusatus est apud patrem, quod vim ei voluisset

inferre Theseus autem Aegeum patrem, tunc marinum deum, rogavit, ut se ulcisceretur. Qui agitanti currus Hippolyto immisit phocam in litore; qua equi territi eum curru projectum discerpserunt. Sed Hippolyto interemto, Phaedra amoris impatientia laqueo vitam finivit. Diana autem, castitate Hippolyti commota, revocavit eum in vitam per Aesculapium, filium Apollinis et Coronidis, filiae Phlegyae, natum exsecto matris ventre. Quum autem Apollo audisset a corvo, quem Coronidi adhibuit custodem, eam cum Lyco adulterium commisisse, iratus Coronidem, maturo jam partu, confixit sagittis; corvum vero, pennarum candore plumatum, nigrum ex albo fecit, et in suam tutelam recepit, exsectoque ventre Coronidis, produxit Aesculapium, qui factus est medicinae peritus. Phlegyas autem, pater Coronidis, dolens filiam ab Apolline vitiatam, ejus templum apud Delphos incendit. Unde iratus Apollo Cyclopas, fabricatores fulminum, confixit sagittis. Ob quam rem mortalem indutus formam, a Jove jussus est Admeti regis novem annis circa Amphrysum, Thessaliae fluvium, pascere armenta, divinitate deposita. Sed Diana Hippolytum, revocatum ab inferis, in Aricia Nymphae commendavit Egeriae, et eum Virbium, quasi *bis virum* jussit vocari. Revera autem Virbius est numen conjunctum Dianae, ut matri deûm Atis, Minervae Erichthonius, Veneri Adonis. Habent namque singula numina inferiores potestates ministras. Variantur autem a poëtis fabulae. Nam Virgilius perhibet, Hippolytum ab inferis esse revocatum. Horatius contra: *Neque enim Diana pudicum liberat Hippolytum.* Nam Hippolytus licet discerptus in vitam secundum fabulas redierit, tamen mortis conditionem evadere non potuit.

129. Oenopion.

Oenopion, qui et Pelargus dicitur, rex quum liberos non haberet, a Jove, Mercurio, Neptunoque, quos hospitio susceperat, hortantibus, ut ab his aliqua postularet, petiit, ut sibi concederent sine conjuge liberos. Illi, intra corium immolati sibi bovis urina facta, praeceperunt, ut obrutum terra, completis maternis mensibus, solveretur. Quo facto, inventus est puer, cui nomen ab urina impositum est, ut Orion diceretur. Qui postea venator factus, dum vellet cum Diana concumbere, ut Horatius dicit, ejus sagittis occisus est; ut Lucanus, immisso Terrae auxilio scorpione periit. Quem Juppiter in caelum transferens, signum famosum tempestatibus fecit. Similiter et Diana vindicem suum in caelum transtulit. Sed veri similius est, quod a scorpione interemtus esse dicitur, quo oriente occidit.

130. Perdicca.

Perdicca venator fuit, Polycastae filius, qui matris deûm amore correptus, dum et immodesta libidine ferveret, et verecundia novi facinoris tabesceret, ad extremam maciem deductus esse dicitur. Qui primus etiam serram invenisse dicitur. Sed ut Fenestella Martialis scribit, hic primum venator fuit. Cui quum ferinae caedis cruenta vastatio et vagabunda errandi cursilitas displiceret, et contiroletas suos, id est Actaeonem, Adonem, Hippolytum miserandae necis functos interitu perspiceret, pristinae arti repudians, agri culturam secutus est. Ob quam rem matrem deûm, quasi terram, omnium genetricem, amasse dicitur. Quo labore consumtus etiam ad maciem pervenisse dicitur. Et quia cunctis venatoribus de pristinae artis opprobrio detrahebat, serram, id est *maliloquium* dicitur repperisse. Matrem autem *Πολυλυκάστην* habuit, quasi *Πολυκάρπην*, quod nos Latine dicimus *multifructum*, id est terram.

131. Bellerophon.

Bellerophon, Glauci filius, quum ignarus ad Proetum, Abantis filium, regem venisset, et uxor Proeti Stenoboea, sive Antia, amore ejus incensa, ut secum concumberet, ab eo nullo modo impetrare potuisset, apud suum virum mentita est, ab eo se pro coitu interpellatam fuisse. Proetus Bellerophontem ad Abantem, socerum suum, misit, qui et Iobates dicitur, et de eadem re ei tabulas socero perferendas tradidit. Quibus lectis, Abas interficere voluit talem virum. Sed quum ille prudentia sua et castitatis auxilio se ab instanti periculo liberasset, tamen, ut pudicitiam probaret periculi immanitas, ad interficiendam Chimaeram, eo tempore Lyciae agros vastantem, missus est. Quam ille, equo Pegaso accepto (miseratione deorum de sanguine Gorgonae nato) impositus, prostravit. Chimaera autem dicta est bestia ore leo, postremis partibus draco, media parte capra. Revera autem mons est Ciliciae, cujus hodieque ardet cacumen, qui sunt leones; media autem pascua sunt; ima vero montis serpentibus plena. Hunc Bellerophon habitabilem fecit; unde Chimaeram dicitur occidisse. Interfecta autem a Bellerophonte Chimaera, iterum ad vincendos Calydonas missus est. Quibus victis, Abas impacta Bellerophonti crimina abolevit, virtutemque ejus laudans, alteram filiam suam Alcimenen ei uxorem dedit. At Stenoboea, re cognita, se ipsam interfecit.

132. Juppiter et Leda.

Juppiter, in speciem cygni conversus, cum Leda, Thestii filia, Tyndari uxore, rem habuit. Quae de Jove Pollucem

et Helenam, de Tyndaro Castorem progenuit. Pollux autem, fraterne compatiens mortalitati, inferos pro fratre alternatim subeundo, eum interitu redemit vicario. Quos pro unanimitatis merito Juppiter in caelum transtulit, et salutaria signa nautis esse dedit; quum stella sororis nautis signum sit perditionis. Quos alterum pro altero manes vicissim adiisse fingitur, quod eorum stellae ita sunt constitutae, ut occidente una, oriatur altera. Tempus autem, quod ipsa duraverat, Helenam fuisse immortalem indicat. Constat enim, fratres ejus cum Argonautis fuisse, Argonautarum filios cum Thebanis dimicasse, ibique dimicantium filios Trojano excidio interfuisse. Ergo si immortalis Helena non fuisset, tot sine dubio saeculis durare non potuisset. Hanc namque, priusquam Menelao nuberet, a Theseo legimus raptam, et in Aegypto Proteo esse commendatam. Cujus stella, Urania dicta, malum perhibetur cavare et navis ima pertundere, tanto incendii flagrans ardore, ut aes hoc solvatur calore. Quam quum nautae navi insidentem considerant, se perituros non dubitant.

133. Theseus et Pirithous.

Theseus et Pirithous, unus de Lapithis, facta conjuratione, filias Jovis uxores ducere, Theseo Helenam, Jovis et Ledae filiam, adhuc parvam rapuerunt, et in Aegypto Proteo commendaverunt. Quum autem, quae Pirithoo copularetur, non invenirent, conspiraverunt, ut propter Proserpinam rapiendam inferos adirent. Quo facto, ibidem deprehensi, gravi supplicio sunt damnati. Fertur tamen Theseus ab Hercule ita liberatus, ut pars ejus corporis ibi detineretur, pars ab Hercule decerpta abstraheretur. Sed contra Virgilius: *Sedet, aeternumque sedebit infelix Theseus.* Sic plerumque a poëtis variantur fabulae.

134. Athamas rex.

Athamas rex, Aeoli filius, Cretheï frater, uxorem Nubem vel Nephelen vocatam habuit, de qua Phrixum et Hellen suscepit. Quum igitur Nubes, insania Liberi patris excitata, silvam peteret, nec ad larem mariti remeare vellet, filiis suis Athamas superduxit novercam, Inonem nuncupatam; quae novercali odio pueris exitium machinans, matronans petiit, ut frumenta serenda corrumperent. Quo facto, fames orta est. Quum autem ad Apollinem consultum civitas misisset, hic cum, qui missus erat, ut referret, ab oraculo dictum, *Nubis filios immolandos.* Ipsa namque dictum habuit, eos frumenta incendisse. Pater vero timens populi invidiam,

filios suos novercae commisit arbitrio. Quos quum noverca persequeretur infesta, illis in silva errantibus, mater eorum dicitur venisse, et arietem, vellere aureo insignitum, exhibuisse; quem praedictos filios, Junonis instinctu, jussit ascendere, et in Colchos insulam ad regem Aeetam, Solis filium, transire, ibique arietem praedictum immolare. Quos, matris praecepto obtemperantes, aries in pelagus detulit. Helle, utpote puella sexu infirmior, lapsa nomen Hellesponto dedit. Phrixus devenit ad Colchos, ibique matris jussui parens, arietem immolavit, pellemque auream Martis templo dicavit, cui custodiendae draco pervigil dicitur appositus esse.

135. Pelias.

Peliae, Neptuni filio, qui Iolci summam obtinebat, a sortibus responsum erat, *se arce ab eo privatum iri, qui interim, dum Neptuno sacrificaret, altero nudo pede intervenisset.* Quum ergo annua sacrificaret patri Neptuno, Iason, Aesonis filius, perdito in limo Anauri fluminis unius pedis calciamento, ei supervenit, pede tantum uno calciatus. Quem ut Pelias conspexit, memor sortium, misit eum sub specie gloriae, ea tamen intentione, ut a dracone interficeretur, propter pellem inauratam, Colchis a rege Aeeta petendam. Aeetae autem responsum fuerat, *quod tamdiu in regno manere posset, quamdiu in Martis templo illud vellus aureum duraret.* Iason, acquirendi aurei velleris cupidus, fortiores quosque Graeciae congregavit, Herculem et Castorem cum fratre sibi ascivit, et aedificata nave, Argo vocata (unde et Argonautae dicti sunt), Tiphy quidem navis gubernatore facto, mare prius intactum intrare praesumsit.

136. Iason.

Quum autem in Pelio, monte Thessaliae, Argo navis fabricaretur, dolens Tellus, mare ante intactum pervium fieri, emisit saxa in mare. Quod cernentes qui navem fabricaverant, imperfectam mari immiserunt. Hinc Lucanus: *Rupta puppe minor subducta est montibus Argo;* neque enim in caelo tota figuratur, sed a gubernaculo usque ad malum. Quum autem Colchos venissent, Iason, ab Aeeta rege susceptus, filiam ejus Medeam adamavit, et filios ex ea suscepit. Aeeta autem, accepto ex prodigiis responso, *mortem sibi ab advena, Aeoli progenie, cavendam,* Phrixum interfecit; cujus filii, rate ascensa, ut ad avum Athamantem transirent, naufragi ab Aesone excepti sunt. Iason autem, quamvis accipiendi aurei velleris cupidus, viso pervigili dracone, veritus est. Aeeta autem rex potestatem

ipsi velleris auferendi ea lege concessit, si tauros, ignem naribus efflantes, qui apud Colchos indomabiles erant, jungens, draconis dentes sereret. Cui quum id difficile videretur, Medea maga, Aeetae regis filia, virtute ejus delectata, eum quum amasset, serpentem incantavit, et in soporem vertit. Quem statim Iason interfecit, ejusque dentes accipiens, junctis Medeae artibus tauris, ignem naribus efflantibus, in campum transiit et sevit. Tertio die armatus inde surrexit exercitus, qui in Iasonem impetum fecit. Deinde Medeae artibus in se concitatus, mutuis est interemtus vulneribus. Iason, victoria potitus, ablatam pellem revexit. Deinde Medea eum, relictis Colchis, sequens dicitur in Italiam pervenisse, et populos quosdam, circa Fucinum habitantes lacum, remedia contra serpentes docuisse; a quibus etiam *Angitia* nominata est, eo quod ejus carminibus serpentes *angerentur*.

137. Medea.

Iason postquam Medeam in Graeciam duxit, et promisso sibi conjugio copulavit, ex multis rebus ingenium ejus antea expertus, demum petiit, ut parentem Aesonem in adolescentiam transformaret. At illa, nondum amore posito, quem in eum habuit, herbas, quarum virtutem noverat, diversis regionibus quaesitas, aheno incoquens, Aesonem interemtum tepidisque herbis fotum in pristinum vigorem reduxit.

138. Nutrices Liberi.

Liber pater ut animadvertit Aesonis senectutem remediis Medeae expulsam, petiit, ut nutrices suas in adolescentium vigorem mutaret. Cujus petitioni consentiens, iisdem remediis, quibus et Aeson injuvenescebat, Liberi nutrices in juvenilem vigorem redigens, Libero aeternum secum beneficii pignus firmavit. Sed quum eam Iason spernens, superinduceret Glaucen, filiam Creontis, Medea dedit pellici tunicam, venenis et allio infectam. Quam quum illa indueret, coepit cremari incendio. Tunc Medea, animum Iasonis contra se saevientis non sustinens, suis Iasonisque natis interemtis, alato serpente aufugit.

139. Pontia.

Pontia meretrix Petronii filia fuit, quae filios suos pecuniae causa, ut eam donaret adulteris, vendidit. Quae postea se ipsam prodens, largiter epulata, incisis venis periit.

140. Amycus rex.

Amycus, Bebryciae rex, Neptuni et Melopes filius, semper in Bebrycio nemore insidias secutus erat, ut si quis forte advena illuc deveniret, ab eo cestuum provocatus certamine interiret. Quod quum diu jam faceret, Polluci, cum Argonautis Bebryciam nuper appulso, provocans eum, congreditur. A quo eodem certamine superatus interficitur.

141. Venus.

Veneris et Martis adulterio a Sole detecto postquam Vulcanus ambos in lecto catenis minutissimis in Lemno insula, ubi ipse colitur, cinxit; quum diis omnibus decimas frugum annis solverent singulis, solam Venerem mulieres, in honorem Vulcani ob adulterium damnantes, praetermittendam esse dixerunt. Quae irata his odorem immisit hircinum. Unde mariti eas exsecrantes, deserta Lemno conjugum odio, Thracas petiverunt, eorumque sibi filias ascivere conjugio. Quod ubi Lemniadibus compertum est, stimulante Venere, in omne genus virile conjurant, remeantesque e Thracia viros omnes interimunt. Inter quas Hypsipyle sola, patris Thoantis miserta, non solum ei pepercit, verum etiam fugientem ad litus prosecuta est. Tunc Thoanti Liber (scilicet pater ejus) occurrit, eumque ad insulam Chion prospera navigatione perduxit. Lemnon Argonautae venerunt, quos Lemniades suscipientes hospitio cum his concubuerunt. Hypsipyle ex Iasone duos filios procreavit, Euneum et Thoantem. Quum autem Argonautae plurimis ibi diebus detenti essent, ab Hercule objurgati discesserunt. Lemniades autem postquam intellexerunt, Hypsipylen patrem suum servasse, interficere eam conatae sunt. Illa dum fugit, a praedonibus capta in Nemeam deportata est, et a Lycurgo, regionis illius regi, in servitutem distracta. In cujus servitio quum filium Ophelten, qui post Archemorus dictus est, nutriret, puer dracone periit. Qua orbitate rex iratus, dum in Hypsipylen jus dominii vellet exercere, eamque filio inferias mittere, prohibitus est a Graecis, quibus fontem sitientibus, interim dum puer periit, ipsa demonstravit. Graeci autem ex responso accepere, *eos minime Thebas, nisi placatis Archemori manibus, perventuros.* Quam ob rem illi ludos funebres condiderunt. Quibus ludis Hypsipyles duo filii, quos ex Iasone habuit, intererant, quos fugiens reliquit in Lemno; qui et ipsi matrem quaerentes, currendo vicerunt. Quorum nomina praeco quum pronuntiasset *Iasonis et Hypsipyles filios esse,* mater eos cognovit. Quam agnitam, exorato rege, mox Lemnum reduxerunt.

142. Phineus.

Phineus, rex Arcadiae, liberis suis novercam superduxit, cujus instinctu eos caecavit. Quam ob rem irati dii ei oculos sustulerunt, et Harpyias adhibuerunt. Quae quum ei diu cibos abriperent, Iasonem cum Argonautis, propter vellus aureum Colchos petentem, hospitio suscepit; cui etiam ductorem dedit. Hoc ergo beneficio illecti Argonautae, Zeten et Calain, filios Boreae et Orithyiae (Erechthei filiae, quam Boreas e flumine Ilisso rapuit) alatos, inquam, juvenes, ad pellendas Harpyias ei miserunt. Quas quum strictis gladiis persequerentur, pulsae de Arcadiae pervenerunt ad insulas, quae appellabantur Plotae. Et quum vellent ulterius tendere, ab Iride admoniti, ut desisterent a Jovis canibus, suos converterunt volatus. Quae conversio, id est στροφή, nomen insulis dedit. Phineus in modum avaritiae ponitur, a *fenerando* Phineus dictus. Ideo caecus, quod omnis avaritia caeca sit, quae non videt sua. Ideo Harpyiae ei cibos rapiunt, quia rapina eum aliquid de suo comedere non permittit. Sed has ab aspectu ejus Zetes et Calais fugant. Graece enim ζητῶν καλὸν *inquirens bonum* dicitur; nam veniente bonitate, omnis rapina fugatur.

143. Oedipus et Sphinx.

Sphinx monstrum erat, alas et ungues habens in similitudinem Harpyiarum, quod insidens scopulo, viae imminenti, insolubilia aenigmata proponebat transeuntibus. Quae quum solvere non possent, ex improviso veniebat, agmineque alarum et unguibus ad se in rupem trahebat. Cujus locutionis ambages Oedipus, Thebarum rex, sua calliditate solvit, et victum necavit.

144. Oeneus.

Oeneus, Parthaonis filius, rex Aetoliae, cujus civitas erat Calydon, regni sui statum turbavit neglegentia sacrorum. Annua siquidem vota pro imperii fructibus celebrans, numen Dianae contemsit. Ea aprum summae magnitudinis regioni ejus immisit, qui vastatis Calydoniis terris, Calydonius ab urbe gentis est appellatus. Cujus feritate Oeneus fractus, edictum tale proposuit, ut dimidium regni caperet, qui monstrum interemisset. Siquidem filius ejus Meleager undique collectam juventutem ad illam novi generis expeditionem vocavit. Inter quos etiam Atalante convenit, Iasii filia, summa venatrix, Dianae scilicet comes; quae in saltibus prima omnium praedictum aprum sagitta percussit. Postea

Meleager, in se venientem feram excipiens, interemit, gratesque puellae inter viros retulit; siquidem virtutis successu enitenti, recompensaturus, pellem monstri illius cum capite ipsi dedit in testimonium laudis. Quae et ab eodem Meleagro in comitatu Dianae compressa, puerum nomine Parthenopaeum edidit, qui postea in Thebano proelio periit. Sed Atalantâ tali munere coronatâ, Plexippus et Agenor, avunculi Meleagri, indignati, virginem sibi praelatam fuisse, eam spolio accepto privaverunt. Iratus Meleager, interfecto ob hanc causam avunculo Plexippo, fata sibimet ipsi maturavit, amisso affectu materno. Mater namque ejus Althea titionem occulte servatum habuit, qui Meleagro nato in regia subito apparuit, ejus videlicet sortis, *ut juvenis tamdiu vita frueretur, quoad is inextinctus servaretur.* Hunc mater irata ignibus mersit, sequentibusque filii fatis extinxit. Postea quum admissum nefas agnovit, laqueo vitam finivit. Secuta est luctum alia calamitas. Namque Meleagri germanae in tantum fratrem fleverunt, ut deorum miseratione in aves verterentur, quae hodie *Meleagrides* vocantur.

145. Harpalyce.

Harpalyce patrem senem, captum a Graecis, multitudine collecta liberavit celerius, quam de femina potest credi. Unde et flumina dicitur celeritate transire.

146. Oenomaus.

Oenomaus rex fuit Elidis et Pisarum. Hic equos habuit velocissimos, utpote ventorum flatu procreatos; qui procos filiae Hippodamiae multos necavit, sub hac conditione ad curule certamen provocatos, ut aut victus traderet filiam, aut victos necaret. Postea quum Pelopem, Tantali filium, qui aptos curuli certamini equos acceperat, quorum cursu omnes anteiret, amasset Hippodamia, corrupit Myrtilum, aurigam patris, primi amoris pactione. Qui factis axibus cereis quum, victore Pelope, a puella promissum posceret praemium, ab ejus marito in mare praecipitatus est, cui et nomen imposuit: nam ab eo *Myrtoum* dicitur pelagus.

147. Mercurius.

Mercurius, aegre ferens, a Pelope, Tantali filio, Myrtilum, filium suum, in pelagus praecipitatum spoliatumque vitae lege, repperit vindictam, quae consolaretur patris orbitatem. Nam Pelopis filiis, Atreo scilicet et Thyestae, tantum discordiae injecit, ut germanitatis jura violarent. Thyestes

enim quum sciret, regnum penes eum fataliter mansurum, qui arietem aurei velleris haberet, quem tum Atreus, regiam ingressus, plurimum custodiebat, corrumpens Europam, fratris sui Atrei uxorem, eum ad se transferri posse speravit. Quod Atreus postquam didicit, fratrem cum duobus filiis suis expulit, et postea, simulata gratia, eum vocavit, filiosque suos interemtos epulandos apposuit. Quo fraterno facinore sol dicitur ab eorum se regionibus vertisse. Hoc motus dolore Thyestes quum consulta de oraculis posceret, responsum est, *per eum illi certam posse venire vindictam, qui ex ipso et Pelopia filia sua natus fuisset.* Unde illico filiae amplexum invasit, ex qua natus est puer, quem illa in silvas propter conscientiam abjecit. Hic, caprae uberibus nutritus, ex eadem re *Aegisthus* nomen accepit; qui Atreum, quum in vindictam patris adolevisset, interfecit. Idem etiam Agamemnonem, adulterata uxore ejus Clytemnestra, prostratum interemit. Nam illa, quum Agamemnon ingressus domum fuisset, obtulit ei vestem sine capitio. Qui quum vellet involvere, et capitium non invenire posset, ab Aegistho adulterio interfectus est. Unde post ab Oreste filio et ipsa cum Aegistho occisa est.

148. Juppiter et Alcumena.

Juppiter quum Amphitryonis uxorem amasset, et ad eam corrumpendam mutatus in Amphitryonis speciem venisset in Tyrinthia civitate; ne adventu diei amoris minueretur voluptas, jussit Juppiter illam triplicem esse noctem, sic ut quadruplices cursus luna peregisset. Ex quo complexu Alcumenae conceptus est Hercules. Hercules autem natus est cum Iphicle, Amphitryonis filio. Sed quum Juno omnes a Jove natos odio haberet praeter Mercurium, duos serpentes immisit Herculi. Iphicles, cunis terrore lapsus, suo vagitu excitavit parentes. Qui quum surrexissent, viderunt Herculem angues tenentem manibus, immissos ei novercalibus odiis.

149. 150. Hercules.

Herculem quidam volunt Alcidem ἀπὸ τῆς ἀλκῆς dictum, id est a *virtute*; quod non procedit, quia prima aetate hoc nomen habuit ab Alcaeo, patre Amphitryonis; et scimus agnomina ab accidentibus dari. Sed Hercules a prudentioribus mente magis quam corpore fortis inducitur, adeo ut duodecim ejus labores referri possint ad aliquod; nam quum plura fecerit, duodecim tantum ei assignantur propter agnita duodecim signa. Quod autem dicitur traxisse ab inferis

Cerberum, haec est ratio, quia cupiditates omnes et cuncta vitia terrena contemsit et domuit. Nam Cerberus est terra, consumtrix omnium corporum; unde et Cerberus dictus, quasi κρεοβόρος, id est *carnem vorans*. Unde legitur in Virgilio: *Ossa super recubans*; nam carnem citius terra quam ossa consumit. Propter quem detrahendum, simulque ad rapiendam Proserpinam quum inferos adiret, fatigatus labore, facta sibi populea corona, caput velasse dicitur. Unde foliorum pars interior, temporibus cohaerens, capiti sudorem abluit; pars vero exterior propter inferorum colorem nigra permansit. Quem quia Charon nauta suscepit, anno integro in compedibus fuit. Sed Hercules quidem, objecta sibi Megaera a Junone, dicitur territus exhorruisse.

151. Diomedes.

Diomedes, rex Thracum, habuit equos, qui humanis carnibus vescebantur. Quum multi vero ejus hospitio hospites interissent, Hercules ab eo in hospitium receptus, ne ab eodem circumventus periret, eum equorum suorum pabulum fecit; et equos eosdem, occiso crudeli tyranno, abductos ad solita pabula, id est ad gramina, mollita feritate revocavit, et filio suo Chromi habendos concessit.

152. Geryon.

Geryon rex fuit Hispaniae trimembris, canem habens bicipitem, quem Hercules, ad eum olla aerea vectus, occidit. Ideo autem ternis membris fingitur, quia tribus insulis praefuit, quae subjectae sunt Hispaniae, Balearicae majori, minori, et Pityusae. Ob hoc etiam fingitur bicipitem canem habuisse, quia et terrestri et navali certamine plurimum potuit. Hunc Hercules vicit, bovesque ejus abduxit. Qui ideo fingitur ad eum olla aerea transvectus, quod habuit navem fortem et aere munitam. Revertens autem Hercules de Hispania per Campaniam, in quadam civitate Campaniae pompam sui triumphi exhibuit, ex qua Pompejae dicitur civitas. Postea juxta Bajas caulam bobus fecit, et eam sepsit. Qui locus Boaulia dictus est: nam hodie Boale vocatur. Deinde ad Italiam veniens, ab Evandro in hospitium susceptus est.

153. Evander.

Evander Arcas fuit, nepos Pallantis, regis Arcadiae. Hic patrem suum occidit (suadente matre Nicostrata, quae etiam Carmentis dicta est, quia *carminibus* vaticinabatur),

et ob hoc dimissa provincia, venit ad Italiam, expulsisque Aboriginibus, tenuit loca, in quibus nunc est Roma; et modicum oppidum fundavit in monte Palatino. Hic mons dictus est Palatinus a Pallante, avo Evandri, vel a filia Evandri Pallantea, ab Hercule vitiata, et illic sepulta, vel certe ab ejus filio Pallante, a Turno interfecto, et illic sepulto. Ubi dum aliquamdiu moratur, bovesque, quos occiso Geryone abstulerat, pasceret, Cacus, servus Evandri, sibi aliquos furabatur; quos etiam versis vestigiis cauda ad speluncam traxit, ne aliqua vestigia quaerentem ad speluncam ferrent. Quos jamdiu quaesitos quum Hercules mugitu unius bovis prodente invenisset, Cacum de spelunca tractum, et fumeam evomentem caliginem occidit. Dicitur autem ideo Cacus filius fuisse Vulcani, ore ignem et fumum evomens, quia omnia vicina igne populabatur. Veritas tamen habet, hunc fuisse Evandri nequissimum servum. Novimus enim, *κακὸν* a Graecis *malum* dici. Ignem autem dictus est vomere, quod agros igne populabatur. Igitur omnis malitia fumum eructat, eo quod contraria sit veritati. Hunc soror sua ejusdem nominis prodidit. Unde sacellum meruit, in quo ei per virgines Vestae sacrificabatur. Quum autem Hercules morte Caci virtutem probasset, ac pro numine susceptus esset, maxima ei constituta est ara, quam Herculi Delphicus Apollo in Italia fore praedixerat. Quum ergo de suo armento ad sua sacrificia dedisset quaedam capita, inventi sunt duo senes Pinarius et Potitius, quibus, qualiter se coli vellet, ostendit; scilicet ut mane et vespere sacrificaretur. Perfecto itaque matutino sacrificio, quum circa solis occasum essent sacra repetenda, Potitius prior advenit, Pinarius postea, extis jam redditis. Unde iratus Hercules statuit, ut Pinariorum familia tantum ministra esset epulantibus Potitiis et complentibus sacra.

134. Admetus.

Admetus, rex Graeciae, Alcestam in conjugio petiit, cujus pater edictum proposuit, ut si quis duas feras sibi dispares suo currui jungeret, illam in conjugio acciperet. Admetus Apollinem et Herculem in auxilium petiit, qui ei ad currum leonem et aprum junxerunt. Ita Alcestam in conjugium accepit. Quumque in infirmitatem Admetus caderet, et mortem sibi timeret, responsum est ab oraculo: *posse eum adhuc vivere, si esset, qui pro eo vellet mori.* Sed Alcesta quum cognovisset, se moriendo viri sui posse fata producere, sese obtulit morti. Quam quum extinctam Admetus impatienter doleret, Hercules, dum ad Tricerberum

canem abstrahendum descenderet, ipsam de inferis reductam Admeto reddidit. Admetus quasi quem *adire* petat *metus* dictus est. Ἄλκη *praesumtio* dicitur. Ergo metus, praesumtionem sperans sibi conjungi, duas feras suo currui subjungit, id est duas virtutes acquirit animi et corporis; leonem ut virtutem animi, aprum ut virtutem corporis. Apollinem et Herculem sibi propitiat, id est sapientiam et virtutem. Ergo praesumtio semet ipsam ad mortem pro anima metus objicit. Quam praesumtionem, in morte deficientem, virtus ab inferis revocat, ut Hercules facit.

155. Anguis ab Hercule interfectus.

Hercules apud Sangarium, Lydiae flumen, anguem plures homines interficientem, et ripam frugibus orbantem, interimebat. Pro quo facto ab Omphale regina, quae ibi regnabat, multis ornatus muneribus, Argos est remissus. Cujus etiam amore tam vehementer est incensus, ut coli delicatos enodaret contractus, et pollice fusi rotaret vertiginem. Hercules ἡρώων κλέος, *virorum fortium fama* dicitur; ὀμφαλὸς *umbilicus*. Libido enim in umbilico dominatur mulieribus. Unde ostenditur, quod libido quamvis invictam possit superare virtutem; quia quem mundi magnitudo vincere non potuit, libidinis ardor oppressit.

156. Eryx.

Eryx, Veneris et Butae, secundum alios, Neptuni et Veneris filius fuit. Qui praepotens viribus, advenas provocabat, victosque perimebat. Qui, occisus ab Hercule quum et ipsum provocasset, monti ex sepultura sua nomen imposuit, in quo matri etiam Veneri templum construxerat.

157. Busiris.

Busiris rex fuit Aegypti. Qui quum susceptos hospites immolare solitus esset, ab Hercule, quum eum etiam voluisset occidere, interemtus est.

158. Hercules.

Hercules Megaram, Creontis Thebani filiam, stupravit. De qua suscepit Aream et Creontiadem, quos Iunonis instinctu furore correptus occidit.

159. Eurytus.

Eurytus, rex Oechaliae, Iolen filiam denegavit Herculi antea promissam, ideo quod eam fuerat dehortatus, dicens,

ab Hercule et Megaram uxorem et ex ea filios susceptos interemtos; quod factum fuerat Iunonis instinctu. Unde iratus Hercules propter illam sibi denegatam, eversa civitate, interemit Eurytum, et Iolen sustulit.

160. Duo leones ab Hercule victi.

Hercules duos leones superavit, unum Teumesium, alterum Cleonaeum. Teumesus mons est Boeotiae; Nemaeus mons Arcadiae, qui et Cleonaeus dicitur. Sed Hercules dum ad occidendum Nemaeum leonem isset, ab Eurystheo missus, a Molorcho in hospitium est susceptus, cujus filiam leo interfecerat; et ab eo, quomodo cum leone coiret, didicit. Quo superato, ludos instituit, quos a loco Nemaea appellavit.

161. Aurea poma.

Juppiter quum Junonem uxorem duceret, Terra venit, ferens aurea poma cum ramis. Quae Juno admirans, petiit a Terra, ut in suis hortis sereret, qui erant juxta Atlantem montem. Atlantis autem filiae, Aegle, Erethusa, Hesperethusa, quum saepius de arboribus mala decerperent, Juno dicitur pervigilem draconem ibi custodem apposuisse, quem Hercules, missus ab Eurystheo ad Hesperidum poma, occidit, et poma inde aurea tulit. Revera autem nobiles fuerunt puellae, quarum greges abegit Hercules, occiso eorum custode. Unde *μῆλα* fingitur sustulisse, hoc est oves. Nam *μῆλα* dicuntur oves, et *μηλονόμος* dicitur pastor ovium.

162. Hercules et Deïanira.

Hercules quum in hospitio ad Dexamenum regem venisset, Deïaniram, filiam ejus, corrupit, et fidem dedit, se eam uxorem sibi esse ducturum. Post ejus discessum Eurytion Deïaniram petiit, quam pater, vim timens, Eurytioni promisit. Qui constituto die cum fratribus ad nuptias venit. Eo forte die, quo nuptiae celebrabantur, supervenions Alcides Centauros interfecit, et Deïaniram insperate suo matrimonio copulavit.

163. Lerna palus.

Lerna palus fuit, in qua hydra bestia erat, L capita habens, vel, ut alii dicunt, VII; quae Latine dicitur exectra. Nam Hercule eam debellante, uno capite caeso, tria capita crescebant. Quam demum igne vicisse dicitur. Sed constat, hydram locum fuisse, vomentem aquas, vastantes vicinam civitatem. Qui quum frequenter siccaretur, ac multiplicius

aquae erumperent, pro uno fonte tribus emergentibus, Hercules deprehendit, venas terrae incendio posse claudi; atque ideo postquam exhausit eundem locum, ignem adhibuit, et sic aquae clausit meatus, et habitabilem Arcadiae fecit.

164. Antaeus et Hercules.

Antaeus rex fuit Libyae, filius Terrae. Hic quum multos singulari certamine necaret, eorum capita domus suae foribus ad indicium virtutis praeponebat. Ad quem quum venisset Hercules, coepit cum eo luctari. Et quum jam in eo esset, ut ab Hercule vinceretur, simulabat casum; sed semper fortior, resumtis viribus (matre Terra vires ei suggerente) surrexit. Quod ubi Hercules, monitus a Minerva, percepit, eum iterum cadere volentem extulit, a terraque suspendens, ejus guttur elisit.

165. Oeneus.

Oeneus, Parthaonis filius, Tydei pater, rex Aetoliae, filiam nomine Deïaniram habuit, a multis in conjugium exoptatam. Quam quum Hercules et Achelous, Aetoliae amnis, uno tempore peterent, acceperunt legem ab Oeneo, ut qui virtute superasset, Deïaniram duceret. Igitur egressi ad certamen, quum superaretur Achelous ab Hercule, mutatur initio in juvenem, mox in draconem, tertio in taurum, quem Hercules amplexus reluctantem, cornu, quod implicaverat brachiis, fregit. Quod Fortunae fertur consecrasse, cum quo ille copiam dicitur fecisse. Tunc Nymphae Naides, filiae fluminis, effecerunt, ut id quod ereptum erat, autumnalibus copiis repleretur. Unde dicitur: *Pleno copia cornu.* Quoniam sicut cornu carnem supercrescit, ita divitiae foris stipant hominem. In cornu est virtus animalium, et fortunae vires in divitiis constant, ut dicitur: *Et genus et virtus, nisi cum re, vilior alga est.* Dicitur autem Hercules eidem fluvio cornu abstulisse, quia quum duobus alveis redundaret, Hercules unum obstruendo prohibuit. Hercules autem, victo Acheloo, Deïaniram duxit uxorem, et ab ea procreavit filium, nomine Hyllum. Sed Hercules quum ad fluvium Evenum pervenisset, eam deposuit, clavamque cum reliquis armis secum transvexit, ut post exoneratus eam expedite ferret. Quum ergo ad illam transportandam vellet reverti, videns Nessum cum ea rem habere, sagitta missa eum extinxit. Qui expirans, vestem Deïanirae dedit, sanguine suo tinctam, ut se ulcisceretur, et dixit, *si vellet perpetuo ab Hercule diligi, daret eam illi vestem induendam.* Inde quum Hercules in insula Euboea Oechaliam urbem Euryti evertisset, et Iolen filiam ejus

duceret in patriam, Deïanira, videns viri animum a se alienum, verita, ne ei pellex praeferretur, Herculi, Jovi sacrificaturo, tunicam plicatam dedit per famulum perferendam. Qua indutus Hercules quum ad aram accessisset, vestis incaluit, et veneno contracta visceribus haesit. In maximo itaque cruciatu quum a corpore ejus avelli nequiret, Lichan famulum muneris reum Euboico mari immersit. Quem innoxium culpae Thetis vertit in scopulum. Quum autem Hercules intellexisset, ad vitam se non posse reverti, et veneni afficeretur incendio, in Aetna monte rogum voluntarie conscendit, et sic inter deos translatus est. Hercules quum hominem in Aetna monte deponeret, Philocteti, qui fuit de Meliboea civitate Thessaliae, Poeantis filio, de omnibus reliquiis suis intimavit, et ne alicui de corpore suo indicaret, eum jurare compulit, eique pro munere sagittas, hydrae felle tinctas, tradidit. Postea Trojano bello responsum est, *sagittis Herculis opus esse ad Trojae expugnationem.* Inventus itaque Philoctetes quum primo negaret, se, ubi Hercules esset, scire, tandem confessus est, mortuum esse. Inde quum acriter ad indicandum ejus sepulcrum cogeretur, pede percussit terram, quum nollet dicere. Postea pergens ad bellum, quum uteretur sagittis, unius casu vulneratus est in pede, quo percusserat tumulum. Ergo quum putorem insanabilis vulneris Graeci ferre non possent, diu quidem eum pro oraculi necessitate ductum, tandem apud Lemnum sublatis reliquerunt sagittis. Hic postea horrore sui vulneris ad patriam redire neglexit, sed sibi parvam Petiliam in Calabriae partibus fecit. Dicta autem Petilia, quod post relictum Ilium, quo ducebatur a Graecis, eam *petivit* civitatem.

166. Asylum nepotum Herculis.

Postquam Hercules migravit e terris, filii nepotesque ejus insidias, quas ipse avus conflaverat, timentes, Athenis sibi primi asylum, hoc est templum refugii, fecerunt, hac lege consecratum, ut quocumque crimine reus ad id confugeret, ab omni noxa liber esset, nullusque eum inde abducere auderet. Ubi et Orestes extremo, amico Pylade trahente, resipuit. Dictum autem volunt asylum, quasi a *non trahendo spolium.* Hoc autem religionis jus non inest omnibus templis, sed quibus concessum est lege consecrationis.

167. Phorcus.

Phorcus, Thoosae Nymphae et Neptuni filius, rex fuit Corsicae et Sardiniae. Qui quum ab Atlante rege navali

certamine cum magna exercitus parte obrutus fuisset, finxerunt socii, eum in deum marinum esse conversum.

168. Glaucus.

Glaucus piscator fuit, Anthedonis filius, qui extractam mari praedam in litore projecit. Pisces herbarum tactu revixerunt. Intellexit Glaucus, hanc illorum graminum naturam esse, ut immortales efficerentur, qui de iis gustassent. Itaque avellit et gustavit. Quo facto, mente alienatus se ex alto in pelagus praecipitavit. Sic deposito humano corpore, in marinum deum fingitur versus esse.

169. Scylla.

Scylla, Phorci et Crataeidis Nymphae filia fuit. Hanc amavit Glaucus, marinus deus, Anthedonis filius, a Circe amatus. Et quoniam pronior in Scyllam fuerat, irata Circe fontem, in quo illa consuerat corpus abluere, infecit venenis. In quem illa quum descendisset, pube tenus in varias mutata est formas. Horrens igitur deformitate sua, se praecipitavit in mare. Hanc postea Glaucus fecit marinam deam. Haec classem Ulixis cum sociis ejus evertisse narratur. Homerus hanc immortale monstrum fuisse, Salustius saxum esse dicit, simile formae celebratae procul visentibus. Canes vero et lupi ob hoc ex ea nati esse finguntur, quia ipsa loca plena sunt monstris marinis, et saxorum asperitas illic bestiarum imitatur latratus.

170. Charybdis.

Charybdis autem femina fuit ferocissima. Quae quia boves Herculis rapuit, fulminata est a Jove et in maria praecipitata. Unde adhuc naturam pristinam servat. Nam sorbet universa, et secundum Salustium ea circa Tauromenitanum egerit litus.

171. Tyrrheni et Liber pater.

Tyrrheni nautae Liberum patrem puerum dormientem in litore abstulerunt. Qui quum esset expergefactus in navi, *quo duceretur*, rogavit. Responderunt illi: *Quo volueris.* Liber rogavit, ut Naxum insulam se transvectum nutricibus redderent Nymphis. Illi spe praedae inducti, coeperunt alio vela flectere. Quamobrem iratum numen tigrides sibi sacratas visibus eorum objecit: quo terrore se illi in fluctus dedere praecipites, et facti sunt delphini.

172. Arion Lesbius.

Arion Lesbius citharoedus optimus fuit. Qui quum Tarento Corinthum cum multis peteret opibus, et sibi in mari tendi a nautis insidias videret, petiit, ut citharа paululum canere sibi liceret. Quo facto, quum ad illius sonum delphini convenissent, excussit se super unum, et ita ad Taenarium litus vectus, imminens vitavit periculum.

173. Arethusa.

Arethusa secundum fabulas venatrix fuit. Quae dum se in Alpheo post laborem ablueret, ab eo adamata est; et diu fugiens, deorum miseratione in fontem mutata, ad Siciliam per secretos venit meatus. Quam Alpheus usque ad Siciliam dicitur persequi, et undis ejus commisceri.

174. Polyphemus.

Polyphemus Cyclops dicitur amasse Nympham Galateam. Quae quum Acin quendam pastorem amaret, et Polyphemum sperneret, ille iratus Acin necavit, qui postea Galateae miseratione in fontem mutatus est, qui hodie ab Acide Acis nominatur. Polyphemum multi dicunt unum oculum habuisse, alii duos, alii tres; quod totum fabulosum est. Nam hic vir prudentissimus fuit, qui ob hoc oculum in capite juxta cerebrum habuisse dicitur, quia perspicacius prudentia, quam corporeo intuitu cernere videbatur. Hic quia ab Ulixe prudentia superabatur, ab eo caecatus esse fingitur.

175. Ceyx.

Ceyx, filius Luciferi, habuit uxorem Alcyonem. A qua quum prohibitus isset ad consulendum Apollinem de statu regni sui, naufragio periit. Cujus corpus quum ad uxorem Alcyonem delatum fuisset, illa se in pelagus praecipitavit. Postea miseratione Thetidis et Luciferi conversi sunt ambo in aves marinas, quae alcyones vocantur.

176. Aesacus.

Aesacus filius Priami fuit. Hic se praecipitavit e muro, nec periit. Et quum saepius hoc faceret, deorum miseratione in avem versus est, quae imitatione pristina adhuc idem facit.

177. Cyparissus.

Cyparissus, speciosus puer, dum in silva venaretur, in amorem sui Apollinem compulit, a quo accepit munus cervum

pulcherrimum et mansuetum. Quem quum diligeret, lassus somnum sub arbore carpere coepit. Subito excitatus strepitu, cervum longe vidit; quem credens silvestrem, missa sagitta eum interemit, agnitoque in tantum extabuit, ut ab omni cibo et potu abstineret. Quo tabescente, Apollo misertus ejus, vertit eum in arborem sui nominis cupressum.

178. Eadem fabula.

Silvanus, deus silvarum, adamavit puerum, Cyparissum nomine, qui habebat mansuetissimam cervam. Hanc quum Silvanus nescius occidisset, puer est extinctus dolore; quem amator deus in cupressum, arborem nominis ejus, convertit, quam etiam pro solatio extincti portare dicitur.

179. Priapus.

Priapus quum Loton Nympham amatam persequeretur, illa deorum miseratione in arborem versa est, quae vulgo *faba Syriaca* dicitur.

180. Alciope et Narcissus.

Alciope Nympha ex amne Cephiso Narcissum procreavit, cui Tiresias omnia prospera pollicitus est, si pulchritudini tantum suae non adeo confideret. Hunc igitur Echo, filia Junonis, quum diligeret, et sui potiendi viam non inveniret, amore juvenis, quem extremis vocibus fugientem persequebatur, extabuit. Cujus in lapidem versae et in montibus absconditae vox tantum auditur. Id tamen ei accidit Junonis instinctu, quod garrulitate sua eam saepe esset morata, ne Jovem, in montibus Nymphas persequentem, deprehendere posset. Ob id etiam fertur ob deformitatem montibus esse recondita, ne quid ejus praeter vocem conspici possit. Narcissum autem supradictum ob nimiam despectionem et crudelitatem, quam in Echo exercuerat, Nemesis, id est Fortuna ultrix fastidientium, in amorem sui compulit, ut non minori ac illa exureretur igne. Qui quum ex assidua fatigatione venationis juxta fontem procubuisset, et hauriens aquam, imaginem sui perspexisset, alienam putans, adamavit, ejusque desideriis ita ut vita privaretur, intabuit. Ex cujus reliquiis flos oritur, quem Najades Nymphae, casum fratris flentes, narcissum nomine annotaverunt.

181. Hyacinthus.

Hyacinthus puer adamatus est tam a Borea quam ab Apolline. Qui quum magis Apollinis amore lactaretur, dum

exerceretur disco, ab irato Borea eodem disco est interemtus, et in florem sui nominis mutatus. Hic autem flos rubet, quasi lilium designans primam Ὑακίνθου litteram.

182. Amaracus.

Amaracus puer regius unguentarius fuit, qui casu lapsus, dum ferret unguenta, majorem ex confusione odorem procreavit: unde optima unguenta amaracina dicuntur.

183. Pilumnus.

Pilumnus et Pitumnus fratres fuerunt dii. Horum Pitumnus usum stercorandorum invenit agrorum, unde et Sterculinius dictus est; Pilumnus vero pinsendi frumenti, et a pistoribus colitur, et ab ipso *pilum* dictum est.

184. Caeculus.

In Praeneste civitate duo erant fratres, qui divini appellabantur. Horum soror dum ante focum sederet, resiliens scintilla ejus uterum percussit, unde dicitur concepisse. Postea enixa est puerum juxta templum Jovis, abjecitque. Virgines aquatum euntes, juxta ignem inventum sustulerunt; unde Vulcani filium esse dixerunt, Caeculum vocantes, quia minoribus oculis fuit; quam rem fumi plerumque facit acrimonia. Hic postea, collecta multitudine, postquam diu latrocinatus est, Praenestinam civitatem in montibus condidit. Et quum ludorum die vicinos populos invitasset, coepit eos hortari, ut secum habitarent, et gloriae causa jactare, filium se esse Vulcani. Quod quum illi non crederent, invocato Vulcano, ut se filium suum comprobaret, omnis illius multitudinis coetus est flamma circumdatus. Quo facto commoti populi, simul habitaverunt, et Vulcani filium esse crediderunt.

185. Telchines.

Telchines tres fratres fuisse dicuntur invidia lividi. Qui quum vicinorum agros viderent proventu fertiles et natura felices, hos sparsisse dicuntur aquis Stygiis, ut redderent infecundos. Qua culpa poenam metuentes, solum verterunt, seque ad Cyclopas contulerunt.

186. Tenes.

Tenes quidam infamatus, quod cum noverca concubuisset, insulam, quae Tenedos nuncupatur, vacuam cultoribus tenuit. Unde Tenedos dicta est.

187. Oebalus.

Oebalus filius fuit Telonis et Nymphae Sebethridis. Qui Telon diu regnavit apud Capreas, insulam contra Neapolim sitam. Filius vero ejus, patris non contentus imperio, transiit ad Campaniam, et multis populis subjugatis, suum dilatavit imperium.

188. Maleus.

Maleus Tuscorum rex fuit, qui primus tubam invenit. Is quum piraticam exerceret, et mare tempestatibus esset infestum, montem, qui nunc ab eo Malea vocatur, insedit. Qui et Apollinem *Maleoticum* de suo vocabulo, ut montem ipsum *Maleam* nominavit.

189. Codrus.

Codrus dux Atheniensium fuit, qui orto bello inter Laconas et Athenienses, quum respondisset oraculum, *illos posse vincere, quorum dux perisset*, habitu humili profectus est ad hostium vicina tentoria, et illic jurgio eos in suam caedem instigavit, et a nullo cognitus, fecit locum oraculo.

190. Croesus.

Croesus, rex Lydorum, aliquando a Cyro, rege Persarum, captus, rogo superponi est jussus. Subito tanta pluvia facta est, ut ignis extingueretur, et ipse occasionem fugiendi inveniret. Hoc quum postea prospere sibi evenisse gloriaretur, et opum immensitate se jactaret, dictum est ei a Solone, uno de VII sapientibus, *non debere quemquam in divitiis et prosperitatibus gloriari, quum nesciamus, quid eventura pariat dies.* Eadem nocte vidit in somniis, quod Jovis eum aqua perfunderet, et sol extingueret. Quod quum filiae suae Phaniae nuntiaret, illa, ut res se habuit, prudenter interpretabatur, dicens, *quod in cruce esset affigendus, imbre perfundendus, sole siccandus.* Quod postea ita contigit; nam rursus captus est a Cyro et suspensus.

191. Alcon.

Alcon Cretensis sagittarius fuit. Cujus quum filium draco invasisset, tanta arte direxit sagittam, ut eam currens in serpentem defigeret, nec tamen filium laederet.

192. Juppiter et Electra.

Juppiter cum Electra, Atlantis filia, Corinthi regis Italiae uxore, concubuit. Sed ex Jovis semine natus est Dardanus, ex Corinthi Iasius, qui Thraciam, ubi est Samos, tenuit, quam Samothraciam nominavit. Dardanus vero, ex responso locum mutans, Phrygiam venit, Trojam, parva in vallibus collocans aedificia, condidit, eamque ex suo nomine Dardaniam nominavit. Post cujus obitum Teucer de Creta veniens, junctis sibi Dardani sociis, arces et moenia constituit. Post quem Erichthonius, Dardani filius, regnavit. Cui Tros filius suus, Trojam ex se vocans, successit. Qui quum duos filios, Ilum et Assaracum, genuisset, Ilus major natu, Trojam ex suo nomine Ilium vocans, regnum obtinuit, qui Laomedontem, Priami patrem, genuit.

193. Laomedon.

Laomedon, rex Trojanus, quum Trojam aedificaturus esset, Neptuno et Apollini, ad civitatis constructionem conductis, certam ad sacra facienda pecuniam devovit; quam, imminentibus promissis, ad murorum fabricam transtulit. Quumque promissam mercedem murorum Neptuno et Apollini denegasset, Neptunus iratus Trojae immisit cetos. Unde Apollo consultus, quum et ipse irasceretur, contraria respondit, dicens, *objiciendas puellas nobiles beluis.* Quum autem principes Trojanorum expostularent a Laomedonte, ut pestilentiam beluae filiam tradendo sedaret, omnibus audacior Theseus regem accusabat, quia filiam objici beluae noluit. Rex iratus eum interfici jussit, posteaque dixit, *omnium filias beluae tradendas.* Itaque multi filias suas, minis regis territi, mercatoribus alio transportandas tradiderunt, earum absentiam facilius, quam mortem tolerantes. Quod quum fieret, Hippotes quidam nobilis timens filiae Segestae, ne ad cetos religaretur, impositam eam navi misit, quo fors obtulisset. Haec ad Siciliam delata, a Crimiso fluvio, in ursum vel canem converso, oppressa, Acesten edidit, qui ex matris nomine civitatem, quae hodie Segesta nominatur, condidit.

194. Tithonus et Aurora.

Tithonus frater Laomedontis fuit. Hunc Aurora amatum in caelum levavit. Qui quum postea longinquitatem vitae defleret, in cicadam conversus est. Hic etiam filium suum, Memnonem Aethiopem, ex Aurora progenitum, ad Trojae misit auxilia.

195. Anchises.

Anchises pastor fuit, cum quo amato Venus concubuit, et ex eo amore circa Simoin, fluvium Trojae, Aeneam peperit. Deae enim vel Nymphae enituntur circa fluvios vel nemora. Sed quum Anchises inter aequales epularetur, de concubitu Veneris jactari traditur. Quod quum Jovi Venus questa esset, emeruit, ut in Anchisem fulmina mitterentur. Sed Venus quum vidisset, eum fulmine posse interimi, miserata juvenem, in aliam partem fulmen detorsit. Anchises tamen, afflatus igne caelesti, semper debilis fuit.

196. Cassandra.

Cassandra erat Priami, Trojani regis, filia, a qua Apollo spe amoris, concessa illi divinátione, frustratus, vera quamvis dicenti fidem sustulit. Unde etiam Trojani, quum jam adventu Helenàe Trojam destruendam praediceret, minime ei Apollinis jussu credebant.

197. Hecuba.

Hecuba, Cissei filia, Priami regis uxor, quum Paridis gravida esset, facem, qua urbs incenderetur, se parere vidit. Quod quum Priamo narraret, intellexit, puerum, qui nasceretur, causam futurum incendendae urbis. Quem genitum pater quum interire jussisset, mater pastori furtim transmisit alendum. A quo nutritus, adeo fortis est factus, ut in Trojae agonali certamine superaret omnes, et ipsum Hectorem. Qui quum iratus in Paridem stringeret gladium, dixit ille, se ejus esse germanum. Quod quum mirum videretur, allatis crepundiis, ejus frater est probatus, et a patre in fratrum consortia receptus.

198. Ganymedes.

Ganymedes, Troili regis Trojanorum et Callirrhoae filius, propter corporis pulchritudinem, ne infamiam connubii masculini subiret, dum in Ida silva venaretur, ab aquila in caelum raptus, est constitutus pincerna deorum, remota Hebe, Junonis filia. Unde et Trojanis Juno irascitur. Poëtae amant garrulitatem suam falsa illusione ornare. Nam ut Anacreon, antiquissimus auctor, scribit, Juppiter dum adversus Titanas, id est Titani filios, bellum assumeret, et sacrificium Caelo fecisset, in victoriae auspicium aquilae sibi adesse prosperum vidit volatum. Ob quod tam felix omen, praesertim quia et victoria secuta est, in signis sibi aquilam fecit, tutelaeque dedicavit. Unde et Romani hujus-

cemodi signis utuntur. Ganymedem vero bellando, his signis praeeuntibus, rapuit; sicut Europam in tauro rapuisse fertur, id est in navi, tauri picturam habente.

199. Hercules et Hylas.

Hercules quum comes Argonautis accessisset, Hylam, Theodamantis filium, admirandae pulchritudinis juvenem, secum duxit armigerum. Idem remum fregit in mari, dum pro suis remigat viribus. Cujus reparandi gratia Mysiam petens, silvam fertur ingressus. Hylas vero quum aquatum cum urna perrexisset, in fluvium cecidit; unde a Nymphis raptus esse dicitur. Quem dum Hercules quaerens, ab Argonautis segregatus esset, in Mysia est relictus. Postea quum cognitum esset, in fonte eum perisse, statuta sunt ei sacra, in quibus mos fuerat, ut nomen ejus clamaretur in montibus. Ad quam imitationem Virgilius dicit: *ut litus Hyla Hyla omne sonaret.* Hercules, perdito Hyla, post peragratam Mysiam Colchos pergens, navibus venit Trojam. A cujus portu quum eum Laomedon, rex Trojanorum, arceret, simulavit abscessum, et a promontorio Trojae, quod propter ejus taciturnitatem Sigeum dictum est (nam *σιγὴ silentium* dicitur), Trojam ex improviso venit, urbem expugnavit, Laomedontem regem interfecit, ejusque filiam Hesionem, jure belli sublatam, comiti Telamoni, qui primus ascenderat murum, tradidit. Unde est natus Teucer. Nam Ajacem ex alia constat esse natum. Tunc Hercules Priamum quidem, redemtum a vicinis hostibus, in paterno regno locavit. Postea quum excessisset e vivis Hercules, Priamus, volens repetere sororem, profectus est cum legatis Salaminam, ubi constabat illam regnare. At minime eam repetere valuit, Graecis dicentibus, se jure bellorum eam habere. Unde iratus Priamus misit Paridem cum exercitu, ut aliquid tale abduceret, aut uxorem regis aut filiam. Qui in Graeciam veniens, interpellare coepit Helenam, Menelai uxorem. Quae quum ei consentire noluisset, egressus ille, civitatem obsedit. Qua eversa, Helenam rapuit; unde postea a marito recipi meruit. Hoc dolore commoti Graeci, congregatis quibusque fortibus viris, Trojam obsederunt, et decimo demum anno expugnaverunt.

200. Amymone.

Amymone, Danai filia, dum studiose in insula exerceretur, imprudens Satyrum percussit. Quam quum Satyrus violare vellet, illa Neptuni imploravit auxilium. At Neptunus eam, fugato Satyro, ipse compressit. Ex quo amore natus est

Nauplius, cujus filius Palamedes, septimo gradu a Belo originem ducens, quum delectum per Graeciam ageret, simulantem insaniam Ulixem duxit invitum. Quum enim ille, junctis dissimilis naturae animalibus, salem sereret, filium ei Palamedes opposuit. Quo viso, Ulixes aratra suspendit; et ad bellum ductus, habuit justam causam doloris. Postea quum Ulixes, frumentatum missus ad Thraciam, nihil adduxisset, a Palamede est vehementer increpatus. Et quum diceret, *adeo non esse neglegentiam suam, nec ipsum quidem, si pergeret, quicquam advehere posse;* profectus Palamedes infinita frumenta advexit. Qua invidia auctis inimicitiis, fictam epistolam Priami nomine ad Palamedem direxit, per quam agebat gratias proditionis, et commemorabat, secretum auri pondus esse transmissum, quod dedit captivo Trojano, et eum in itinere fecit occidi. Haec inventa, more militiae regi oblata est, et lecta principibus convocatis. Tunc Ulixes quum se Palamedi dissimularet, ait: *Si verum esse non creditis, in tentorio ejus aurum quaeratur.* Quo facto, inventoque auro, quod ipse per noctem, corruptis servis, absconderat, Palamedes lapidibus interemtus est. Hunc autem constat fuisse prudentem. Nam et tabulam invenit ad comprimendas otiosi seditiones exercitus, ut Varro testatur. Secundum quosdam ipse repperit litteras; quae res forte sit dubia. Tantum certum est, χ ab hoc esse inventum cum aspiratione.

201. Nauplius.

Palamedis autem pater Nauplius, Amymones et Neptuni filius, filii morte dolens, revertentibus Graecis post deletam Trojam tempestate laborantibus, montem Caphareum ascendit, et elata facula signum dedit vicini portus. Unde decepti Graeci per rimosos scopulos pertulere naufragia.

202. Agamemnon.

Quum Graeci ad Aulidem venissent, Agamemnon rex Dianae cervam occidit ignarus. Unde irata flatus ventorum removit. Quamobrem quum nec navigare possent, et pestilentiam sustinerent, consulta oracula dixerunt, *Agamemnonio sanguine placandam esse Dianam.* Ergo quum ab Ulixe, qui erat astutissimus, per nuptiarum simulationem abducta Iphigenia, Agamemnonis filia, jam immolanda esset, numinis miseratione sublata est, et cerva supposita, et translata ad Tauricam regionem, regi Thoanti tradita est, sacerdosque facta Dictynnae Dianae. Agamemnone autem Troja revertente, Clytemnestra uxor ejus obtulit ei vestem sine capitio. Quam quum induere vellet, et capitium non invenire posset,

ab Aegistho adultero, Thyestis et Pelopiae filiae suae nato, occisus est; quem postea Orestes, quum adolevisset, simul cum matre Clytemnestra in ultionem patris occidit. Quo crimine quum in amentiam versus surrexisset, amici Pyladis monitu, ad evitandas Furias templum Apollinis ingressus, quum vellet exire, invaserunt eum Furiae. Hinc est: *Sedent ultrices in limine dirae.* Quum vero ab insania cavere non posset, oraculum adiit. Cui responsum est, *sic eum posse sanari, si Dianae Scythicae simulacrum de Taurica regione ferret.* Mox quum curandi furoris gratia cum amico Pylade Colchos peteret, a sorore agnitus, ejus consensu occiso rege Thoante, simulacrum sustulit absconditum fasce lignorum (unde et *Fascelis* dicitur, non tantum a *face*, cum qua pingitur, sed et a *fasce* lignorum), et ad Italiam detulit, collocans in nemore Aricino. Sed quum postea Romanis sacrorum crudelitas displiceret, quamquam servi immolarentur, ad Laconas est translata, ibique sacrificii consuetudo adolescentum verberibus servabatur, qui vocabantur *βωμονίκαι.* Hi tamdiu flagellabantur, donec cruor ex humano corpore flueret. Superpositi enim aris contendebant, qui plura verbera possent sustinere. Orestis vero ossa, ab Aricia Romam translata, ante templum Saturni sunt posita.

203. Juppiter et Aegina.

Juppiter, in aquilam mutatus, Aeginam, Asopi fluminis filiam, rapuit; et eam vitians, filium nomine Aeacum ex ea suscepit. Quam raptam quum pater aequo animo ferre non posset, omni aquarum agmine caelum petebat, Jovi bellum inferens. Quo facto, Jovis fulmine percussus est. Cujus infamiae memoria ut in aeternum maneret, dicitur hodie, illo tempore, quo ictus est, prunis ardentibus fluere.

204. Aeacus.

Aeacus, filius Jovis et Aeginae Asopidis, quum Aeginam insulam incoleret, et gravem pestilentiam Junonis ira sustineret, precibus misericordiam Jovis impetravit. Quum enim in arbore fici formicas, id est *μύρμηκας*, vidisset, optavit sibi tot socios evenire. Et statim formicae in homines versae sunt; unde dicti sunt Myrmidones. Hae autem fabulae sunt. Sed verum est, Myrmidones dictos a rege Myrmidone.

205. Peleus et Thetis.

Quum Juppiter vellet Thetidem, Nympharum matrem, ducere, fata prohibuerunt, eo quod proles, quae nasceretur,

Jovem regno pelleret. Juppiter autem eam junxit Peleo. Peleus igitur Thetidem ducens, magnificum fecit convivium diis et deabus omnibus. Sola Discordia minime introducta est. Quae ob hoc irata aureum pomum jactavit in convivium inter Venerem et Minervam et Junonem, in quo erat scriptum: *Pulcherrimum donum pulcherrimae deae.* Illis inter se jactantibus, quae esset pulcherrima, et cui pomum dari deberet, Paris, filius Priami, judex intromissus, formam Veneris Junoni et Minervae praeferens, aureum pomum ipsi vindicavit. Unde et postea Veneris auxilio Spartam expugnando, Helenam rapuit. Sed propter Paridis judicium Juno semper postea Trojanis inimica fuit. Genuit autem Thetis ex Peleo Achillem. De cujus morte quum timeret, eo quod a patre esset mortalis, et haec quereretur apud Neptunum; Neptunus ait, non esse timendum de eo, quia talis futurus esset, ut credatur deo genitus. Thetis tamen, fata Achillis timens, eum in Stygiam paludem tinxit; unde toto corpore invulnerabilis fuit, excepto talo, qui matris manu tenebatur. Sed Achilles circa muros Trojae bellum gerens, quum fureret adversus Agamemnonem propter Briseidem, noluit egredi adversus Trojanos. Rogatus autem, ut saltem Patroclo, sodali suo, qui antea in Trojano bello Sarpedonem, Jovis et Laodamiae filium, occiderat, arma sua, Vulcani manu fabricata, praestaret, persuadente demum Ulixe, concessit. Egressus igitur Patroclus, indutus armis Achillis, ab Hectore occisus, et armis spoliatus occubuit. Postea Thetis Achilli, mortem sodalis impatienter ferenti, Vulcania arma iterum impetravit. Quibus indutus quum Hectorem, in vindictam Patrocli provocatum, interficeret, cadaverque ejus, ad currum suum ligatum, circa muros traheret, rogatus a Priamo est, ut sibi liceret exanime filii corpus auro pensatum recipere. Quo facto, Polyxena, Hectoris soror, in turre stans, armillas et inaures illo, quo fratris pensabatur corpus, projecit. Qua visa, Achilles, si sibi daretur, promisit, ut Hectoreum corpus redderet, et Trojanos cum Graecis, reddita tamen Helena, pacificaret. Quum autem, promissa sibi a Trojanis Polyxena, in templum Thymbraei Apollinis ad firmandum foedus venisset, insidiis Paridis, post simulacrum latentis, missa vulneratus sagitta, moritur, ante obitum tamen petens, ut evicta Troja, Polyxena ad sepulcrum ejus immolaretur; quod etiam post a Pyrrho, ejus filio, impletum est.

206. Explanatio ejusdem fabulae.

Thetidem dici voluerunt aquam; unde et Nympha dicta est. Quam quum Juppiter uxorem ducere vellet, fatis pro-

hibitum esse dicunt, ne a prole, quae nasceretur, Juppiter regno pelleretur. Ignis enim, id est Juppiter, si cum aqua misceretur, aquae virtute extingueretur. Juppiter autem hanc conjunxit Peleo. *Πηλὸς* enim Graece *lutum* dicitur. Ergo terram aqua mixtam volunt hominem procreasse. Omnes autem dii nuptiis finguntur interfuisse, quia secundum paganos singulas partes in homine habere dicuntur, ut Jovem caput, Minervam oculos, Junonem brachia, pectus Neptunum, cor Martem, renes et inguina Venerem, pedes Mercurium. Discordia autem sola in conjunctione aquae et terrae, id est Thetidis et Pelei, non intromittitur, quia utraque elementa concordant, ut homo gignatur, quod etiam competentia conjunctionis indicat. Peleus namque ut terra, id est caro, Thetidi ut aquae, id est humori, conjungitur. Juppiter ut ignis, id est anima, utrumque jungere dicitur. Discordia aureum malum, id est cupiditatem, dicitur injecisse; nam in aureo malo est quod videas, non inest quod comedas. Tripartitum autem humanitatis, id est theoricae, practicae, philargicae, modum considerantes poëtae, proponunt certamina trium dearum, de formae qualitate certantium. Minerva enim theoricam, id est contemplativam; Juno practicam, id est activam; Venus philargicam, id est voluptariam designat. Contemplativa autem vita est, quae ad sapientiae et veritatis indagationem pertinet; activa, quae ornatus petit, et vitae commodis inhiat; voluptaria, quae solam vitae appetens corruptelam, libidini tantum nata, nullum honestum deputat bonum. Ideo Jovem super his non posse judicare dixerunt, quia post finem mundi judicium ignorabant, qui in libertate arbitrii constitutum hominem crederent. Quia itaque, si velut deus Juppiter judicasset, damnando duas, unam tantummodo terris vitam demitteret; ad hominem judicium transfertur, cui deligendi liberum debetur arbitrium. Sed bene pastor non sagitta certus, non jaculo bonus, non vultu decorus, non ingenio sagax, qui, ut pecudum mos est, ad libidinem visus detorsit, quam virtutibus et divitiis praeposuit. Denique Achillem natum mater in aquas Stygias intinxit; nam venae sunt in talo, quae ad renum atque virilium rationem pertinere dicuntur. Hic per talum vulneratus, amore Polyxenae periit. *Πολυξένη* enim Graece *multorum peregrina* dicitur, quia amor peregrinari facit mentes. Humana namque virtus, ad omnia munita, libidinis tamen ictibus subjacet patula.

207. Sacerdos Neptuni.

Post adventum Graecorum ad Trojam sacerdos Neptuni lapidibus occisus est, qui sacrificiis eorum non vetavit adventum.

Postea, discedentibus Graecis, quum vellent Trojani sacrificare Neptuno, Laocoon, Thymbraei Apollinis sacerdos, sorte ductus est, ut solet fieri, quum deest sacerdos Cereris. Hic piaculum commiserat ante simulacrum numinis, cum uxore rem habendo; et ob hoc, immissis draconibus, interemtus est.

208. Pyrrhus.

Devicta autem Troja, Pyrrhus Andromachen, Hectoris uxorem, cum Heleno, Priami filio, sorte accepit. Consuetudo autem regia fuit, ut legitimam non habentes uxorem, aliquam, licet captivam, tamen pro legitima haberent; adeo ut liberi ex ea nati succederent. Pyrrhus igitur quasi legitimam hanc habuit. Ex ipsa filium Molossum suscepit, qui successit patri, a quo Molossia dicta est pars Epiri, quam Helenus postea a fratre Chaone, quem in venatu per ignorantiam dicitur occidisse, Chaoniam quasi ad solatium fratris extincti nominavit. Postea quum Pyrrhus vellet Hermionen, Menelai et Helenae filiam, Oresti antea desponsatam, uxorem ducere, ab Oreste in templo Delphici Apollinis occisus est. Verum moriens praecepit, ut Andromache, quae apud eum conjugis tenuerat locum, Heleno daretur propter beneficium, quod eum a navigatione prohibuerat, praedicens illi, omnes Graecos (quod et contigit) naufragio esse perituros. Inde factum ut, mortuo Pyrrho, Helenus regnaret.

209. Hecuba et Polymestor.

Praeda igitur captae Trojae divisa, Hecuba, Priami conjux, Ulixi sorte cessit. Quae novissime acerbitatibus interitus Astyanactis et Polyxenae, in busto Achillis interemtae, maerens, quum in classe Thraciae esset appulsa, reliquis liberis orba, Polydorum filium suum, Polymestori Thraciae regi clam commissum, incolumem manere dum sperabat, in litore eum exsanguem, fluctibus in terram ejectum, animadvertit. Polymestor enim propter aurum, quod ab infante Polydoro sibi traditum fuerat, avaritia ductus eum interfecit, et ut facinus celaretur, in profundum praecipitavit. Quod Hecuba comperiens, se ad regem transmisit. Tyrannus vero id esse existimans petenti secretum, dedit colloquium. Hecuba autem ei lumina abstulit. Quam Thraces dum persequuntur, in canis figuram versa esse dicitur.

210. Idomeneus.

Idomeneus, Cretensium rex, quum post eversam Trojam reverteretur, devovit propter sedandam tempestatem,

sacrificium se dare de hac re, quae ei reverso primum occurreret. Contigit igitur, ut filius ei occurreret. Quem quum immolasset vel, ut alii dicunt, immolare vellet, a civibus pulsus regno, Sallentinum Calabriae promontorium tenuit, juxta quod condidit civitatem.

211. Circe.

Circe filia Solis fuit, quae ad se delatos in feras mutabat. Ad hanc forte Ulixes post devictam Trojam delatus, Eurylochum cum viginti et duobus sociis praemisit, quos mox ab humana specie Circe in feras commutavit. Eurylochus inde fugit, et Ulixi nuntiavit. Cui soli ad eam proficiscenti Mercurius remedium dedit, et quomodo Circen deciperet, monstravit. Qui postquam ad eam venit, poculo ab ea accepto Mercurii remedium miscuit, stricto ense mortem ei minitans, ni socios sibi restituisset. Tunc Circe, non sine voluntate deorum id esse factum, cognoscens, fide data, socios ei restituit, et illi nubens, Telegonum ex eo genuit.

212. Interpretatio ejusdem fabulae.

Circe *manus operatio* dicitur, quasi *χειρῶν ἔργον*. Laborem enim manuum libidinosa mulier non diligit. Hanc Ulixes innocuus transit, quia sapientia libidinem contemnit. Unde et uxorem habere dicitur Penelopen castam, quod omnis castitas sapientiae conjungatur. Circe autem ideo Solis filia fingitur, quia nihil est sole clarius. Haec libidine sua et blandimentis homines in ferinam vitam ab humana deducebat, ut libidini et voluptatibus operam darent; unde est locus fabulae.

213. Picus.

Picus Pomonam, pomorum deam, amavit, eamque in conjugium sibi copulavit. Quem quum Circe amaret et spernceretur, irata eum in picum, avem Martiam, convertit. Nam et altera est pica. Hoc autem ideo fingitur, quia augur fuit, et domi habuit picum, per quem futura noscebat.

214. Phyllis.

Phyllis regina Thracum fuit. Haec Demophoontem, Thesei filium, regem Atheniensium, redeuntem de Trojano proelio dilexit, et in conjugium rogavit. Ille ait, se ante rem suam ordinaturum, et sic ad ejus nuptias reversurum. Profectus itaque quum tardaret, Phyllis ex amoris impatientia

et doloris impulsu, quod se spretam esse credebat, laqueo vitam finivit, et versa est in arborem amygdalum sine foliis. Postea reversus Demophoon, cognita re, ejus amplexus est truncum qui, velut sponsi sentiret adventum, folia emisit.

215. Laodamia.

Laodamia uxor Protesilai fuit. Quae quum maritum in bello Trojano periisse primum cognovisset, optavit, ut ejus umbram videret. Qua re concessa, non deserens eam, in ejus complexibus periit.

216. Procris.

Procris, filia Iphili, uxor Cephali fuit. Qui quum venandi studio teneretur, labore fessus, ad locum quendam consuerat ire, et ad recreandum illic se ventum vocare. Quod quum saepe faceret, amorem in se movit Aurorae, quae ei canem velocissimam, Lampadam nomine, donavit, et duo hastilia inevitabilia, quia venator erat; eumque in amplexibus rogavit, ut spreta uxore sua, eam amet. Ille ait, jusjurandum se habere cum conjuge mutuae castitatis. Quo audito, respondit Aurora: *ut probes igitur conjugis castitatem, muta te in mercatorem.* Quo facto, ille ut ad Procrin venit, oblatis muneribus impetrataque re conjugii, confessus est, se esse maritum suum. Quod illa dolens, quum audisset a rustico, amare eum Auroram, quam invocare consueverat, ad silvam profecta est, et in fruticetis latuit ad deprehendendum maritum. Qui quum more solito Auroram vocaret, Procris egredi cupiens, fruticeta commovit. Sperans Cephalus feram esse, hastam inevitabilem conjecit, et ignarus uxorem interemit, quae tamen moriens, ne Auroram duceret, postulavit.

217. Tereus.

Tereus rex Thracum fuit. Qui quum Pandionis, Athenarum regis, filiam Procnen nomine duxisset uxorem, et post aliquantum tempus ab ea rogaretur sibi Philomelam sororem videndam accersire, profectus Athenas, dum adducit puellam, in itinere eam vitiavit, et ei linguam abscidit, ne facinus indicaret. Illa tamen rem, in veste suo cruore descriptam, sorori misit. Qua cognita, Procne Ityn filium suum interemit, et patri epulandum apposuit. Postea omnes in aves mutati sunt; Tereus in upupam, Itys in phasianum, Procne in hirundinem, Philomela in lusciniam.

218. Leander et Hero.

Leander Abydenus et Hero Sestias fuerunt invicem se amantes. Sed Leander natatu ad Heron ire consueverat per fretum Hellespontium, quod Seston et Abydon civitates interfluit. Extincta autem casu face, quam Hero statuto tempore praetendere solebat, juvenis tempestate periit. Cujus corpus quum ad puellam delatum fuisset, ipsa se praecipitavit in mare.

219. Hymenaeus.

Hymenaeus, ut alii, deus nuptiarum, ut alii, quidam juvenis fuit die nuptiarum oppressus ruina; unde expiationis causa in nuptiis nominatur. Falsum est autem; nam vitari magis debuit quam retineri. Sed haec est veritas. Hymenaeus puer genere Atheniensis fuit. Is quum annos puerilis aetatis excederet, neque adhuc virum posset implere, ea pulchritudine praeditus fuisse dicitur, ut feminam mentiretur. Istum quum una ex civibus suis, nobilis virgo, adamasset, ipse mediocribus ortus parentibus, quia nuptias desperabat, quod poterat tamen, puellam extrema amoris linea diligens, satis animo suo faciebat aspectu. Quumque nobiles feminae cum virginibus sacra Eleusinae Cereris celebrarent, subito adventu piratarum raptae sunt; inter quas et Hymenaeus, qui illo amatam suam fuerat subsecutus; eique puella creditur. Quum igitur per longinqua maria praedam piratae vexissent, ad quandam regionem tandem devoluti perveniunt, ibique somno oppressi ab insequentibus sunt peremti. Hymenaeus, ibi relictis virginibus, reversus Athenas, pactus est a civibus dilectae nuptias, si iis filias suas restituisset. Quam ubi pro voto restituit, exoptatam accepit uxorem. Quod conjugium quia felix fuerat, placuit Atheniensibus nomen Hymenaei nuptiis miscere. Ob quam causam adhuc nubentes ejus, quasi liberatoris virginitatis, invocant nomen. Unde et apud Romanos Talassio invocatur. Quum enim in raptu Sabinarum plebejus quidam raptam pulcherrimam duceret, ne ei auferretur ab aliis, Talassionis eam ducis nobilis esse simulavit; cujus nomine remansit puellae tuta virginitas.

220. Lycambes.

Lycambes quidam filiam Neobulen habuit. Quam quum Archilochus in matrimonium postulasset, pater promisit; sed promissam negavit. Iratus igitur Archilochus in eum maledicum carmen scripsit. Unde ille dolore compulsus una cum filia vitam finivit.

221. Bupalus.

Bupalum dicunt quendam pictorem fuisse apud Clazomenas, civitatem Asiae, qui Hipponactem quendam poëtam deformem per risum pinxit. Hinc ille commotus furore, tali carmine Bupalum perculit, ut vitae exosus laqueo se suspenderet.

222. Tyrtaeus.

Tyrtaeus poëta, genere Atheniensis, cum parte membrorum deformis fuit; qui primus tubam invenit; quo etiam Lacedaemonii usi duce, Messenios feruntur vicisse. Quum enim diuturno tempore inter Lacedaemonios et Messenios bellum traheretur, consulentibus Lacedaemoniis ab Apolline responsum est, *non aliter eos posse vincere, nisi duce Atheniensi pugnarent.* Quibus postulantibus Athenienses Tyrtaeum dederunt. Et ita Lacedaemonii, novo tubae sonitu hostes terrente, vicerunt.

223. Iarbita.

Iarbita natione Maurus fuit. Qui quum Timagenem philosophum docte declamantem incassum imitari conaretur, invidia quodammodo diruptus traditur.

224. Mopsus.

Mopsus, Apollinis et Mantus filius, et Calchas dicuntur in Gryneo Apollini consecrato nemore de peritia divinandi inter se certamen habuisse. Et quum de pomorum arboris cujusdam contenderent numero, stetit gloria Mopso. Cujus rei dolore Calchas interiit.

225. Apicius.

Apicius quidam voracissimus fuit, qui de condituris multa scripsit. Postquam ergo omne patrimonium dilapidavit, quum egere coepisset, non ferens pudorem, veneno periit.

226. Opimius.

Quidam vir Opimius admodum extitit avarus, ut quum multis divitiis abundaret, ipse festis diebus Vejentanum pessimum vinum liberet, privatis autem diebus vappam, quod est Vejentano deterius. Hic forte prae nimia sollicitudine incidit in letargum morbum. Tunc ejus laetus heres coepit circa loculos currere et claves quaerere, sperans, illum cito moriturum. Accedens medicus fidelis, cognita morbi causa,

et pecunia tota ante se numerata, dixit aegro: *nisi tua custodias, nihil distat, fame an morbo pereas.* Ille evigilans, *quis tollit?* ait, et salvatus est.

227. Columbae Dodonaeae.

Dodona civitas est Epiri, juxta quam est silva, quae etiam Dodona dicitur, abundans glandibus, quibus primi pasti dicuntur homines. Juppiter hic dabat responsa per columbas aereas.

228. Lacus Lucrinus.

In Bajano sinu contra civitatem Campaniae Bajas duo sunt lacus, Avernus et Lucrinus, qui olim propter copiam piscium Romanis praestabant vectigalia. Sed quum plerumque mare irrumpens pisces inde excluderet, et redemtores damna paterentur, supplicaverunt senatui. Et profectus Julius Caesar ductis brachiis exclusit partem maris, quam infestam compererat esse, liquitque breve spatium per Avernum, quo piscium copia intrare posset. Quod opus *Julium* dictum est.

229. Venus et Diomedes.

Quum essent Graeci in obsidione Trojae, contigit, ut fieret pugna inter Diomedem et Aeneam; quumque diu dimicassent, Diomedes Aeneam percussit ingenti saxo et prostravit. Quod videns Venus, mater ejus, nube ipsum protexit. Ille vero irrumpens in nubem, Venerem vulneravit. Unde ipsa post Trojae destructuram eum cum suis sociis in mari fatigavit, et socios vertit in aves.

230. Oedipus.

Lajus, rex Thebarum, habuit uxorem, nomine Iocastam, cui praecepit, ut omnes filios ex se genitos necaret. Nam audierat, a liberis suis se occidendum. Illa pariens, puerum plantis perforatum in silvam deferri jussit. In eadem silva Polybus, rex Phocidis, venatione erat occupatus, et vagitum pueri audiens, eum afferri jubens, tamquam suum nutrivit, Oedipumque vocavit. Cui dum improperatum fuisset, se genus suum ignorare, ivit ad templum, ut quaereret. Dumque iret, obviavit illi pater decrepita aetate. Quem ut vidit, ignorans esse patrem, occidit, et regno ceterisque bonis usus est. Inde procedens venit ad montem, ubi erat Sphinx monstrum, omnibus praetereuntibus hoc aenigma proponens: *quid primo quatuor, deinde tribus, deinde duobus, deinde*

tribus, deinde quatuor graditur pedibus? ea conditione, ut qui solveret, ipsi pennas incideret; qui non, capite truncaretur. Quod Oedipus solvens, monstrum occidit. Inde rediens Thebas, Iocastam matrem suam inscius duxit uxorem, et genuit ex ea Polynicem et Eteoclem, et duas filias Antigonam et Ismenem. Hic itaque quodam die se calcians, mater vidit cicatrices factas, et agnoscens ingemuit miserabiliter. Ille dolore exagitatus sibimet oculos eruit, et in domo subterranea vitam finivit. Filii autem pro regno certantes, Eteocles quia prior, primo anno regnavit; Polynices vero exulans ad Adrastum veniens, filiam ejus Argiam uxorem duxit. Sed quum finito anno Eteocles nollet reddere regnum Polynici, ipse cum socero suo et sex aliis ducibus venit Thebas, pugnaturus pro regno. Multis ergo utrimque occisis, fratres tandem mutuis vulneribus se occiderunt. Adrastus vero unus de septem ducibus solus rediit in patriam suam, paucis comitantibus.

MYTHOGRAPHUS TERTIUS.

De diis gentium et illorum allegoriis.

Prooemium.

Fuit in Aegypto vir ditissimus, nomine Syrophanes. Hic habuit filium unigenitum, quem immodice diligebat. Contigit filium mori. Ejus simulacrum pater prae nimio dilectionis affectu in aedibus suis constituit; dumque tristitiae quaesivit remedium, seminarium potius doloris invenit. Denique simulacrum illud εἴδωλον dictum est, quod nos Latine *speciem doloris* dicimus. Jamque universa domini familia in domini adulationem coronas simulacro plectebant, flores offerebant, odoramenta succendebant. Rei etiam ad simulacrum confugientes, veniam a domino adepti sunt, veneratique sunt illud magis timoris affectu quam amoris; unde et dictum est: *Primus in orbe deos fecit timor*. Exhinc inveteratus error humanus in idolorum cultu ubique gentium coepit diffundi. Nec tamen universos eadem involvit inscitia, nec eosdem ritus cuncti recipiendos censuerunt. Nam philosophi, quorum in plerisque vel veritatis viam vel rationis assertionem tradidit auctoritas, unum dicunt deum esse, caeli et terrae rerumque omnium procul dubio creatorem. Hic tamen ab iisdem pro multiplici dispositione, qua diversis modis regitur mundus, variis item vocabulis appellatur. Dicitur enim Vitumnus, quod *vitam* praestet; Sentinus, quod *sensum*. Vocatur Jovis sive Juppiter in aethere, Juno in aëre, Diana in terra; multaque sunt alia ejusdem dei tamquam plurimorum vocabula. Plerumque et unus idemque non solum diversis nominibus, sed et vario sexu dicitur juxta illos versus Valerii Serrani:

Juppiter omnipotens, rerum regumque repertor,
Progenitor, genitrixque deum, deus unus et idem.

Unde est et illa Jovis oratio:

Caelicolae, mea membra, dii, quos nostra potestas
Officiis diversa facit.

In magnis ergo, ut ait Remigius, dispositionibus quasi masculino effertur genere; in minoribus vero femininum quodammodo nomen accipit. Sive ab *agendo* juxta Servium, Stoicorum dogma tradentem, mas dicitur; femina vero, quum *patiendi* poëtae ei dant naturam. Unde est: *Conjugis in gremium laetae descendit.* Ab *actibus* autem juxta eundem vocatur, ut Juppiter *juvans pater;* Mercurius, quia *mercibus* praeest; Liber a *libertate* data. Et Varro dicit, quia quum unus idemque sit homo, a corpore tamen homo, ab anima sapiens dicitur; ita ergo et deus, quum unus idemque sit, multis tamen pro dispensationis suae diversitate censetur vocabulis.

Nunc autem deinceps inexplicitos aliquot antiquitatis revolvamus errores, iisque si non lucem infundere possumus, aliquas tamen ignorantiae nebulas majorum flagello auctoritatum aliquatenus dimoveamus.

1. Saturnus.

1. Primum deorum Saturnum ponunt. Hunc maestum, senem, canum, caput glauco amictu coopertum habentem, filiorum suorum voratorem, falcemque ferentem, draconem etiam flammivomum, qui caudae suae ultima devorat, in dextra tenentem, inducunt. De his diversi nonnulla eadem, aliqua tamen diversa sentiunt.

2. Historia quidem habet, Saturnum patrem et Jovem filium regna in Creta obtinuisse. Inter quos bello orto, quum praevaluisset Juppiter, fugatus Saturnus Italiam petiit, ibique a Jano, qui tunc regnabat, receptus, quum eum usum vinearum et falcis docuisset, in partem est admissus imperii, sibique oppidum fecit. Hic itaque in agricultura magnum impendens exercitium, et per annonae praerogationem ad se populos attrahens, a *saturando* Saturnus meruit appellari.

3. Hunc ergo *maestum* ubique describunt poëtae, utpote bello victum, et a regno violenter extrusum. Mathematici tamen rem subtilius contemplantes, ideo eum maestum dicunt, quia stella Saturno deputata ortu suo tristitiam semper denuntiat. Illa enim in capricorno posita, pluvias gravissimas, sed praecipue in Italia, commovet. Unde est: *Seu tyrannus Hesperiae capricornus undae.* In scorpio vero grandines, item in alio signo fulmina, in alio ventos, in aliis alia nocua apportat. Addunt etiam, ideo maestum esse, quia sidus ejus tardissimum sit. Quum enim ceterorum planetarum alius per mensem, ut luna, alii per annum, ut Mercurius, Venus, Sol; alius per biennium, ut Mars;

alius per duodennium, ut Juppiter, circulos suos pertranseant, Saturnus XXX annos in circuli sui peragratione consumit.

4. Senem eum depingunt, quia sicut senex est a calore juventutis destitutus et frigiditate laborat (minuitur enim in iis sanguis, unde et tremunt); ita et hujus stella frigidissima existimatur. Nec mirum, quum a sole, a quo omnis calor procedit, sit remotissima, quum sit aquis supercaelestibus vicina, et quum in signis remotissimis, quae a temporis sui affectu frigida censentur, aquario videlicet et capricorno, domicilia sua habeat; in quibus, etiamsi cum sole positus fuerit, gravissimam tamen nobis frigoris uredinem creat. Sunt tamen qui asserant, eum non ex sua umbra, sed ab effectu frigidum nuncupari, quod sua videlicet constellatione contraria homines enecet. Mortui vero frigidi sunt. Quod si verum est, non improprie senex fingitur, quum senum sit, morti semper esse vicinos. Frigidus tamen a nonnullis eo tantum, quod nocens sit, dictus est. Quod autem *frigidus* pro *nocens* ponatur, innuit Servius. In Virgilio exemplum habes, ubi ait:

Frigidus, o pueri fugite hinc! latet anguis in herba.

Senex denique ob hoc quoque non incongrue dictus videtur, quod sicut frigiditate et humore phlegmatico ex natura abundant senes, ita et a signis, capricorno et aquario, quibus praeest Saturnus, frigus nobis et pluvias, mensibus videlicet Januario et Februario, provenire sentimus annis singulis. Propterea quoque eundem canum pingunt, quod pruinas et nives ibidem creare non dubitetur. Caput tectum habet, ut tamquam senex et frigens contra frigus se munire et nos itidem admonere putetur. Glauco amictu ideo, quod aquosae vel frigidae est naturae stella ejus.

5. Ut autem ad aliorum transeamus enodationem, Saturnum etiam philosophi in figura temporis accipiunt; unde et Graece eum *Κρόνον*, id est *tempus*, appellant. Hinc et nonnulli caput ejus ob hoc tectum asserunt, quod ignotum sit temporis principium. Ideo a filio pulsum esse, quia sequens tempus, quod quodammodo ex praecedente gignitur, succedendo praeteritum pellat. Sed et *Tex* a Graecis dicitur, quia apud eos τ′ trecenta, ε quinque, ξ′ LX significat; et hic, ut probant computistae, dierum totius anni est numerus. Tex etiam *comedens* sive *consumens* interpretatur; unde et filios suos dicitur devorasse. Quod ideo fingitur, quia tempus, quaecumque gignit, genita consumit. Omnia namque orta occidunt, et aucta senescunt.

6. Falcem fert, sive quod fructus, quos tempus producit, falce metuntur, sive quod, ut supra diximus, primus

Latinis Saturnus usum tradidit falcis; sive quod ad imitationem curvaminis falcium etiam tempora omnia in se recurrunt. Qua et ipsa de causa draconem flammivomum in dextra tenere perhibetur. Draco enim ille annum designat, qui bene caudae suae ultima devorat, quia annus et in se per sua vestigia redit, et annuam fecunditatem atque proventum omnium devorat frugum. Hinc et draco ille flammivomus dicitur, id est devorans omnia, sicut flamma cuncta consumit. Sunt praeterea qui dicant, Saturnum in progressu nihil nocere; quum vero retrogradus eat, esse nocuum, ideoque eum falcem habere, quod et ipsa in propulsu nihil valet, retro acta vero, quicquid ei occurrerit, secat. Propterea etiam velato capite dicit eum esse Fulgentius, quod fructus, quos tempora proferunt, foliorum teguntur umbraculo.

7. Habent quoque fabulae, vel hunc patris sui Caeli virilia abscidisse, et abscissa in mare jecisse, et ex ipsorum cruore spumaque maris Venerem natam esse; vel ipsum a filio castratum fuisse, et de ipsius itidem virilibus, in mare missis, Venerem provenisse. De hac tamen diversitate nomisi idem sentimus; testiculique utriuslibet abscissi fructus naturales, quos tempora producunt, teste Fulgentio, designant, qui videlicet et a seminariis prioribus sunt geniti, et ipsi ad novos de se creandos, si suo modo propagentur, apti nascuntur. Hos fructus messos et in ventris lacunam tamquam in mare demersos Venerem, id est libidinem, creare necesse est. Unde comicus: *Sine Cerere et Baccho friget Venus.* Physici tamen hoc ideo fictum asserunt, quod nisi humor de caelo ad terram descenderet, nihil penitus crearetur. Ut enim in sequentibus audies, Venerem *terrae pulchritudinem* physici volunt. Alii vero, quod de virilium cruore et maris spuma nata sit Venus, hanc autumant rationem. Omnes, inquiunt, vires usu venereo debilitantur. Unde fingitur Venus nata per damnum. De mari autem ideo, quod tradit physica, sudorem salsum esse, quem semper elicit coitus. Unde et myrtus ei consecrata est, quod litoribus gaudet. Addunt etiam, ideo eam potissime de spuma ortam, quod libidinis voluptas velut spuma cito deletur, et citissime praeteriens, nihil nisi poenitudinis stimulum in conscientia derelinquit.

8. Ut autem ad inceptum revertamur, Saturnus secundum fabulam quum sit senex, posse fingitur fieri puer. Quod commentum ab hac re ortum fertur, quia tempus singulis annis senescere hieme, et vere revivescere videtur. Fingitur etiam modo faciem habere draconis propter frigoris nimietatem, nunc rictus leoninos propter nimium caloris aestum, nunc etiam cum aprinis dentibus cristas propter fre-

quentem elementorum intemperantiam; quae per temporum varietates provenire manifestum est; adde etiam, quia Saturni sidus secundum mathematicos, ut diximus, contrarium est, et adversam habet constellationem, et ab iis deus malitiosus vocatur. Denique, ne de praedictis pedem in arctum figas, dicit eum Servius ob hoc tantum filios comedisse, quod ipse est deus temporum, quae in se revolvuntur in aeternum. Ideo etiam Saturnum dicit eum Tullius nominatum, quod *annis saturetur*; ideo a Jove vinctum, ne immoderatos cursus habeat, atque ut stellarum, per quas disponitur tempus, vinculis alligetur.

9. Porro Saturnum Pollucis filium refert Fulgentius, sive a *pollendo*, sive a *pollucibilitate*, quod vulgarius dicimus humanitatem. Eo enim adhuc regnante, aureum fuisse saeculum dicunt. Utque paululum vagari videamur, Saturnum facta conjuratione per filium suum a regno, ut diximus, depulsum asserunt, Jovemque, quae tempore Saturni viguit pacem, perturbasse, et ita aureum saeculum, quod ab aureis moribus, quos eatenus habuerant, dictum est, in argenteum convertisse. Jovis namque tempore multos jam in terrenis subditis sapientes constat fuisse. Unde etiam debellato Saturno atque fugato, alii tyranni Jovem ipsum paterna hereditate privare agressi sunt, Quos quia machinis bellicis superavit, Gigantes fingitur fulminasse.

10. Nam de iis, quos Varro commemorat, vel parum ad praesens negotium attinere, vel ea ipsa memoriae commendari vix digna existimavi. Ait namque, quosdam tempore diluvii ad montes confugisse; qui postea ab his, qui de aliis montibus veniebant, bello lacessiti, facile ex locis superioribus eos vincebant. Unde factum est, ut *dii* superiores, inferiores vero *terrigenae* dicerentur. Hi etiam sive pro serpentina calliditate, quam habebant, sive quia de locis humilibus ad superiora reptabant, pro pedibus dicti sunt habuisse serpentes. Quod vero eo tempore saxis homines et truncis nasci dicti sunt, ab antiqua hominum habitatione sic dictum est. Ante factas enim domos aut in cavis arboribus, aut in speluncis manebant. Qui quum inde egrederentur, aut suam educerent sobolem, inde dicti sunt procreari. Praeterea, ut refert Lactantius*), dum deerat usus casarum, ipsi in morem pecorum vagabantur; filios autem suos aut arborum caveis, aut montium specubus contegebant. Quos transeuntes arborum vel saxorum fetus existimabant.

11. Inde est, quod dicuntur Arcades astris lunaque priores; quia ipsi namque, in densitate nemorum nati et nutriti, quum tandem in plana exirent, nec lunam nec stel-

*) vel Placidus (ad j. horat.) in fabb. nott. I, pag. 789; vel Firmianus

las prius viderant, nec prius eas extitisse crediderant. Quum tamen Arcades de antiquitate cum Phrygibus certarent, singulos parvulos cum singulis nutricibus, quibus linguas ademerant, clauserunt, ut experirentur, utrum vox nata esset, an disceretur; et si esset innata, quaenam esset, Phrygum an Arcadum. Producti vero pueri *βεκός* locuti esse dicuntur, qua significatione Phrygum lingua *panis* intelligitur. Sic ergo cognitum est, Arcades non esse primigenas. Quod autem Arcades nobiles dicti sunt, aliunde tractum est. Refert enim Thucydides libro primo, hunc morem Graecis fuisse, ut coacti in alienas ire terras, quas fertiles esse cognoverant, easdem veteribus incolis vastarent. Sed Arcades soli ob sterilitatem agrorum commoti non sunt, et ideo, inquit, nobiles existimantur.

2. Cybele.

1. Uxor Saturno mater deorum decernitur. Hanc Graeci Rheam, vel Berecynthiam, vel Cybelem; Latini vero Opem appellant. Ops igitur, ut innuere videtur Servius, idem Latine, quod Graece Rhea sonat. Hoc autem nomen ex eo, ut ait Fulgentius, sortita est, quod esurientibus frugum largitione opitulata est. Berecynthiam vero juxta eundem dici voluerunt quasi *montium dominam*. Ideo matrem deorum, quod dii per superbiam dicti sunt; et eos in Olympo habitare quasi excelsos ac superbos. Daemones dictos, quod multos subigere, et soli super populos esse studuerunt. Nam *δῆμος populus*, *εἷς unus* interpretatur. Ideo et apud Romanos, inquit, indigetes quasi *nullis indigentes* appellantur. Remigius tamen alias ponit daemonum interpretationes. Daemones enim, inquit, dicti sunt a *δημοῦχος*, id est a *principatu populi*; vel daemones, inquit, dicti quasi diamones, id est *omnia scientes*, utpote nuntii dei, quos Latini *medioximos* vocitarunt, id est *in medio positos*. Medioxemus enim dicitur quasi *medius proximus*; inter deum namque hominemque discurrunt. Sunt enim numina aliqua tantum caelestia, aliqua tantum terrestria, aliqua media, quos deos Apulejus medioximos vocat. Hi autem sunt, ut ait Servius, qui ex hominibus dii facti sunt, de cujusmodi numine Virgilium dixisse volunt: *Communemque vocate deum*, Herculem videlicet de homine immortalem factum. Sed de his alibi.

2. Berecynthiam etiam Graeci, ut in Fulgentii dogmate diutius versemur, quasi *verni κύνθος* dixerunt; *κύνθος* enim lingua Attica *flos* nuncupatur. Unde et *ὑάκυνθος* dicitur quasi *ὑὰς κύνθος* id est *solus flos*, videlicet omnibus perfectior. Accipitur autem Berecynthia in modum potentiae;

unde et Cybebe dicitur, id est *gloriae firmitas*. Unde et Homerus ait: *Cui gloriam Juppiter donaverat*. Ideo quoque cum turrita corona pingitur, quod omnis potentiae elevatio in capite sit. Ideo multiplici veste fulget et leonibus currum trahentibus utitur, quia omnis potentia, et ornata est, et ipsi etiam virtuti donatur. Sceptrum fert, quod regno vicina sit omnis potestas. Mater deorum dicitur, quod apud antiquos dii, sive daemones, sive indigetes a *divitiis* sunt dicti. Divitiarum autem mater est potentia. Haec Atin puerum formosissimum amasse dicitur, quem nimio zelo succensa castravit. Ergo potentia gloriosa semper maximarum familiarium suarum et amore torretur et livore torquetur, citoque abscidit, quod diligit, dum tamen amputat illud, quod odit. Omnis enim nunc usque potentia nescit circa suos diuturnum servare affectum. Ideo et Atin dici voluerunt quasi *Ethon*; ἔθος enim Graece *consuetudo* dicitur. Ergo quantuscumque sit amor in potentibus, stabilis esse non novit.

3. De eadem vero Ope quaedam Remigius evidentiora proponit. Ait enim: Saturni conjux Ops grandaeva dicitur et corpulenta mater, quod ipsa est terra omnium procreatrix; corpulenta ideo quod elementum terrae crassius et corpulentius est ceteris. Vestem habet discolorem, gemmis et metallis ornatam. Haec enim in visceribus terrarum vel arenis colliguntur; sed et superficies terrae herbarum et florum varietate vestitur. Haec et Cybele quasi *Cubele* dicta est. Terra enim nihil est solidius in elementis. Cubum namque *solidum* dicunt; unde et solidos numeros *cubos* vocamus. Sive, ut idem vult, a Graeco dicitur Cybele, quod Latine sonat *rotatio capitis*, quia in ejus sacris sacerdotes ipsius Gallos exercuisse commemorant. Idem de ea paene, sed paulo plus sentit Servius. Ait enim: Alma parens deorum; dicitur tellus *alma* ab eo, quod nos *alat*. Abusive tamen et aliis, inquit, numinibus hoc epitheton damus. Terram autem constat matrem esse deorum. Unde et simulacrum illius cum clave pingitur. Nam terra tempore verno aperitur, clauditur hiemali. Haec leonibus fertur, ut evidenter ostendatur, maternam pietatem totum superare. Omnis enim feritas maternae subjacet affectioni et ei subjugata est. Curru vehi dicitur, quod terra impendeat. Ideo sustinetur rotis, quia mundus rotatur et revolubilis est. Ideo Corybantes, qui cum strictis pinguntur gladiis, ejus fuerunt ministri, ut significetur, omnes pro terra sua debere pugnare. Quod turritam gestat coronam, ostendit, superpositas terrae esse civitates, quas insignitas turribus constat.

4. De eo autem, quod Atin amaverit, tantillum tradit Remigius. Atis, inquit, *flos* interpretatur, in cujus figura

exercuisse semet Cod. M.

sol accipitur. Ipse enim et flos et princeps stellarum et causa omnium florum est. Quem amavit Berecynthia, id est terra. Terra enim, constricta frigore hiemis, relaxari et refoveri solis calore desiderat. Iohannes tamen Scotus Atin puerum *impetum* sive *proximum* dicit interpretari. Dantur Opi tympana, quod terra duobus caeli hemisphaeriis circumvallatur. Cymbala quoque in ejus sunt tutela, quod et ipsa hemicyclis caeli, quibus cingitur terra, similia sunt. Vestam ei deam ignis adhaerere fingit Martianus, quia in visceribus terrae ignis invenitur. Videmus enim de silicibus ignem excudi.

5. Quia vero de Vesta casus ortus est, de ea aliquantulum sermo procedat. Hanc Jovis esse nutricem et suo eum gremio sustentasse, in eodem Martiano legimus. Quod ob hoc fictum ait Remigius, quia fertur a philosophis terreno igni, qui per Vestam, caelestem, qui per Jovem intelligitur, ignem nutriri. Ut autem dea ignis esse credatur, argumento esse potest, quod in ejus templo ignis custoditur inextinctus. Ovidius etiam in libro Fastorum ab antiquis eam focum innuit nominatam. Sed et in introitu templi ignem olim fuisse, eoque loco cunctos (quippe interius sacrarium inire vetitos) sacris operam impendisse, et hinc ipsum locum a Vesta, id est foco, vestibulum esse dictum putat. Addit quoque, nullam Vestae, sicut nec igni, qui semper in motu est, ab antiquis attributam effigiem; sed et ideo, quod et ignis numen esse meruerit, et ignem in templo Juppiter habuerit, eam potissimam religionis deam dicimus habitam. Nam et sine igne nullum, ut legitur, erat sacrificium, nec sine eo ulla colebatur religio. Unde et ipsa, ut Janus, in omnibus sacrificiis invocabatur. Hinc et futim veteres ejus ministerio reor addixisse. Est autem *futis* vas quoddam, ut ait Servius, lato ore, fundo angusto, quo in sacris Vestae sacerdotes utebantur. Aqua enim ad ejus sacra hausta humi non deponebatur. Quod si fieret, piaculum erat. Ideo excogitatum vas est, quod stare non posset, sed positum statim, quicquid continuisset, effunderet; et ipsum, ut existimo, significans: sicut a manu non remittebatur, ita a religione nullo tempore esse cessandum.

6. Eandem tamen Vestam Ovidius sicut ignem, ita et terram relinquit intelligi; unde et templum ei et tholum templi ad similitudinem terrae rotunda dicit attribui, idque etiam per nominis etymologiam evidenter probare conatur, terram nuncupari asserens Vestam, quod sola quasi vi sua stet, quum cetera elementa sine intermissione omnia moveri manifestum sit. Hac etiam de causa Vestam et Cybelem eandem fuisse non pauci contendunt. Secundum Tullium tamen Vestae nomen a Graecis est. Ea enim, inquit, est, quae

ab illis Ἑστία dicitur; vis autem ejus ad aras et focos pertinet. Verum denique nomen numinis Vestae, quod ubi Romae praeerat, sciri sacrorum lege prohibebatur. Quod, ut legitur, ausus quidam tribunus plebis enuntiare, in crucem levatus est. Unde hac Virgilium periphrasi usum dicimus: *Vestaque mater, quae Tuscum Tiberim et Romana palatia servas.* Palem quoque, quam apud Virgilium deam dicimus pabuli, cui quoque sacra XI Majarum die, quae Palilia dicta sunt, solvebantur, alii matrem terrae, alii Vestam volunt. Hanc Virgilius genere feminino appellat, alii, inter quos Varro, masculino.

Nonnulli Saturnum *sacrum sensum*, id est divinam providentiam omnia procreantem, sive satorem omnium interpretantur. Inter ejus quatuor filios primum Jovem, secundam Junonem, tertium Neptunum, quartum Plutonem sive Ditem assignant. Ipsum etiam Pollucis filium, quasi *polyfilium* id est multos filios habentem, quatuor videlicet elementa gignentem, dicunt. Jovem namque physici *aetherem*, id est ignem; Junonem vero aërem, Neptunum aquam, Plutonem terram intelligi voluerunt. Sed de Jove tractatum exordiamur.

3. Juppiter.

1. Jovem et Junonem, id est ignem et aërem quoniam paria tenuitate elementa esse videntur, germanos esse dixerunt. Quia vero Juno, hoc est aër, igni subjecta est, jure superposito mariti nomen datum est. Hos autem ambos a *juvando* dixerunt. Nulla enim res sic fovet omnia, quemadmodum calor. Nec sine aëre ullum animal vivere potest. Praeterea Graece Juppiter Ζεὺς dicitur, quod Latine *calor* sive *vita* interpretatur, quod videlicet hoc elementum caleat; et quod igni vitali, ut Heraclitus vult, omnia sint animata. Juppiter ergo quasi *juvans pater* nuncupatur; ipseque est, qui lingua Oscorum a luce, quem hominibus praestare putatur, *Luccejus*, a Latinis vero Diespiter, id est *diei pater* appellatur.

2. Hunc hominum atque deorum aeternam vocat Virgilius potestatem. Unde unam rem secundum physicos, alteram secundum mathematicos Probus assignat. Nam divùm, inquit, potestas est Juppiter, quia ipse est aether, qui elementorum possidet principatum; hominum ideo, quia bona Jovialis stellae irradiatio honores hominibus tribuit; aeterna vero propter aliorum numinum discretionem. Nam legimus et Apollinem divinam potestatem deposuisse, et Herculem Liberumque patrem non semper deos fuisse. Legimus et

poëtice fictum, quod iratum Jovem Juno mortalibus placat, eumque a sua sententia revocat. Nam Jovis sive Juppiter ipse est *aether*, Juno vero *aër*. Quum ergo terra, marcentibus hieme seminibus, solitum poscat a Jove, id est ex aethereo igne, fomentum, non aliter tamen hoc fieri potest, nisi intercedente et quasi mediante Junone, id est aëre, qui calorem aetherei ignis suscipiens, terrae solitam affert fecunditatem.

3. Jovem etiam fatum deorum appellat Martianus. Res enim divinas, id est superiores, per se ipsum; humanas vero, id est inferiores, per fata dicitur ordinare. Cujus rei hanc reddimus causam, quod talis tantaeque naturae est aether, qui inferioribus non indigeat, et quo indigeant inferiora. Unde et inferiora variis elementorum adminiculis, quae per fata intelliguntur, subsistunt; superiora vero solius naturae suae stabilitate ad se conservanda contenta sunt. Namque quod Jovem poëtae benignum vocant, ad stellam ejus, quae salutaris et temperatissima est, alludunt. Illa enim inter Martem posita et Saturnum, ab utroque temperiem mutuari putatur; a Marte videlicet calorem, a Saturno vero humorem contrahens. Hinc Virgilius: *Adspice nos; hoc tantum.* Quos enim Jovialis stellae afflaverint radii, procul dubio vivent. Idem alibi: *Oculos Rutulorum rejicit arvis*; hoc est, respiciendo partem illam fecit feliciorem. Sic etiam de numine infesto per contrarium legitur:

Diva solo fixos oculos aversa tenebat.

Hinc et iratos deos, aversos dicimus; ut et ibidem juxta Servium. *Neque enim se*, inquit, *convertere poterat simulacrum.* Et alibi:

Talia dicentem jamdudum aversa tuetur.

Quomodo enim aversam nisi iratam intelligas? Nec videatur esse contrarium, quod in quarto Aeneidos, Jove oculos ad moenia Carthaginis torquente, ut inde pellat Aeneam, omnia conturbantur. Aeneam enim et Didonem a turpi liberat fama. Unde sequitur:

— *et oblitos famae melioris amantes.*

Quod autem fulmina et tonitrua mittat, ob hoc fictum videtur, quia haec physica ratione a superioribus venire manifestum est. Haec autem a sinistra parte venientia, prospera nuntiant, quia quae sinistra nobis videntur intuentibus caelum, illic dextera sunt; non quod sinistra bona sunt, sed quod dextera caeli nobis sinistra sunt. Sinistrum enim de rebus terrenis adversitatem, de caelestibus prospera denuntiare legitur.

4. Quod vero aquilam ejus deputant tutelae, quam refert fabula Jovi contra Gigantes dimicanti fulmina ministrasse,

et hanc dant physici rationem, quod aquila per naturam nimii est caloris, adeo ut et ova, quibus supersedet, possit coquere, nisi gagaten, lapidem frigidissimum, admoveat. Unde Lucanus: *Foeta tepefacta sub alite saxa.* Addunt etiam, adeo acutum esse aquilae intuitum, ut pro fulgentissimis solis radiis numquam deflectat obtuitum. Matres etiam, ut ajunt, pullos suos contra solis ortum obvertunt, ut si in ipsos solis radios lumina figere sustinuerint, in vitam reserventur, si non, a nido dejiciantur. Unde Lucanus in IX dicit:

Utque Jovis volucris calido quum protulit ovo etc.

Elemento igitur calidissimo et limpidissimo, videlicet aethere, illud ales consectatur, quod et calore abundat et perspicacitate. Quod vero aquilae Romanorum fuerint signa, inde ortum volunt, quia sicut avibus omnibus aquila praeesse censetur, sic Romani populorum omnium et desiderabant et obtinere putabantur principatum. Qua de re tamen alii aliud censuerunt. Juppiter enim, ut Anacreon, antiquissimus auctor, scribit, rex extitit Cretae. Qui dum adversus Titanas, id est Titani filios, qui frater Saturni fuerat, bellum suscepisset, et sacrificium Caelo fecisset, in victoriae auspicium aquilae sibi adesse prosperum vidit volatum. Cujus quum vicisset augurio, in signis bellicis aquilam sibi fecit auream; et quia auspicium illud victoria consecuta est, fictum est, quod ei aquila dimicanti fulmina ministrasset. Unde et a felici augurio natum est, ut aquilae militum signum comitentur.

5. Porro de Titanibus, ne de iis quod poëticum est nescias, ferunt eos fabulae ab irata contra deos Terra ad ejus ultionem procreatos. Unde et *Titanes ἀπὸ τῆς τίσεως*, id est ab *ultione* dici meruerunt. De his autem solus Sol abstinuisse narratur ab injuria numinum. Unde et caelum meruit, et pristinum adhuc nomen tenet; Titan enim appellatur. Ganymedem etiam Juppiter, Troili Trojanorum regis filium, his signis praeeuntibus, inter aliam praedam bellicam rapuit. Unde se in aquilam ad eum rapiendum dicitur transmutasse. Sane Ganymedes in caelum juxta fabulam translatus, ad ministerium poculorum adhibitus dicitur. Est enim Ganymedes signum, quod Aquarium dicimus, quod constat esse pluviosum. Europam quoque in specie taurina, id est in navi picturam tauri habente, et Isidem in vaccina, id est in navi hujusce picturae, similiter asportavit. Denique, ut hoc certius credas, navigium Isidis Aegyptus colit. Danaë quoque, Acrisii filia, ad castitatem tuendam aerea, ut ajunt, turre inclusa, auro quidem, non aureo imbre ab eodem Jove corrupta est. Unde eleganter Horatius: *Converso in pretium deo.*

6. Habet fabula, Jovem in cygnum conversum cum Leda concubuisse, eamque ex illo conceptu ovum peperisse, unde tres nati sunt, Castor et Pollux et Helena. Hoc commentum sic exponit Fulgentius. Juppiter, inquit, in modum potentiae ponitur; Leda vero quasi λοιδὴ dicta est, quod *invidia* aut *injuria* interpretatur. Omnis itaque potentia ad injuriam alicui inferendam declinans, ei admixta speciem suae generositatis mutat; ideoque Juppiter ad Ledam veniens, transformasse se fingitur. Ideo vero in cygnum, quia ferunt physiologi hanc avem conviciis plenam esse, adeo ut ipsa clamante reliquae aves, quae praesto fuerunt, taceant. Sic quoque quotiens nobilis vir et potens ad injuriam alienis importandam festinat, a statu modestiae descendens, convicia proferre non erubescit. Sed quod ex hac re concipitur, ovum est, id est testa humoris grossi turbidi et viscosi plena. In effectu enim injuriae turpitudo tantum et immunditia est. Ex hoc autem ovo generantur tres, Helena, Castor, Pollux. Helena utpote seminarium scandali et discordiae. Ea enim Graecos et Trojanos in bellum concitavit. Ex injuria namque illata quis discordiam et seditionem provenire non videt? Sed et Pollux, qui *perditio*, et Castor, qui *malum extremum* interpretatur, ab eodem ovo orti sunt. Injuriam enim, quam alii quispiam intulerit, et *ultionis timor*, qui per Pollucem, et *poenitentia sempiterna*, quae per Castorem designatur, saepissime consequuntur.

7. Ut igitur breviter praemissa epilogemus, quilibet potens, ut Juppiter, a personae suae dignitate in mores beluinos degenerat, quum injuriam alicui machinatur. Ex injuriae vero illatione statim ovum, id est turpitudo infamiae et immunditia, et polluta in ipsa conscientia oriuntur. Ex quarum rerum fomite mali quidam pullulant filii, videlicet aliorum malivolentia et detractio, ut Helena; timor ultionis, ut Pollux; perennisque poenitentia, ut Castor. Sane alia fabula habet, Helenam et Pollucem de Jove natos immortales extitisse, Castoremque Tyndari filium mortalem fuisse. Cujus mortem suo interitu fraterna pietas redemit, et suam ei divinitatem Jovis concessu dimidiavit. Traditur namque, quod se Pollux occidi permiserit qua parte mortalis fuerit, ut Castor immortalitatem mereretur, sicque suam cum eo deitatem partitus sit. Quod ideo fingitur, quia eorum stellae ita se habent, ut dum oritur altera, adhuc altera lateat; itemque post prioris occasum, posterior adhuc aliquantisper appareat. Quod enim altera occidente, altera oriatur; et altera oriente, altera occidat, ut a plerisque dici solet, verum nulla ratione esse potest, quum ipsorum stellae et contiguae sint, et idem signum faciant, quod Geminos appellamus.

8. Porro Helenam (ut consilium certe veri non relinquamus inquirendi) immortalem fuisse indicat tempus. Nam constat, ejus fratres cum Argonautis fuisse. Argonautarum filii cum Thebanis dimicaverunt. Item illorum filii contra Trojanos bella gesserunt. Ergo si immortalis Helena non fuisset, tot sine dubio saeculis durare non potuisset. Hanc autem legimus prius a Theseo raptam, et in Aegypto commendatam Proteo. Qua ratione quidam inducti, non ob ejus raptum, sed aliis quibusdam de causis apud Trojam pugnatum dicunt, quibus tamen Servius non consentit. Quum enim juxta eum Hercules, Ilio expugnato occisoque Laomedonte, eo quod eum post amissum Hylan peragratamque Mysiam a portu arceret, filiam Laomedontis Hesionam Telamoni, quod is primus murum ascendit, dedisset (nam de liberata, inquit, Hesiona fabulosum figmentum est), profectique cum Priamo legati, quem et ipsum ab Hercule captum, sed a vicinis redemtum, sicque ab eo regno restitutum refert, eam minime reperire potuissent, illis se eam jure bellorum habere dicentibus, commotus Priamus in Graeciam Paridem cum exercitu misit, qui inde aliquid tale abduceret, regis videlicet vel uxorem vel filiam. Paris igitur primum hospitio susceptus, adulterium commisit. Deinde quum eum Helena sollicitata sequi noluisset, egressus civitatem Spartae obsedit. Qua eversa, Helenam rapuit. Unde et illa recipi meruit a marito. Sic igitur foedus, quod antea inter Graecos et Troes constitutum et diu constat esse servatum, tandem ruptum, et in bella ventum est. Juxta altiorem denique scientiam vel opinionem stella Helenae deputata nociva tempestatumque procreatrix est, fratrum vero propitiae. Unde Helena non incongrue causa fuisse mali videtur. Inde est:

——————— *quum jam damnata sororis*
Igne Therapnarum fugerunt carbasa fratres.

9. Ut autem ad Jovem revertamur, eum philosophi quidam in figuram hujus mundi accipiunt; unde et *Jovis*, ut ajunt, id est *universalis vis* dictus est. Et hinc mundo aeternitatem attribuunt, non quod semper idem sese habeat, quod est vere aeternitas, sed quod semper durando et cursus suos redintegrando, ad quandam se aeternitatis formulam constringere videatur. Frequentius tamen Jovem pro aethere accipimus. Unde etiam triumphantes, qui Jovis habent insignia, sceptrum videlicet et palmatam (unde Juvenalis: *In tunica Jovis* etc.), faciem quoque de rubrica illiniunt instar coloris aetherei. Hic et Ammon in Libya, id est *arenarius* ab arenis Libycis vocatur. Nam ἄμμος Graece *arena* dicitur. Ubi et ejus simulacrum cum capite arientino factum est, eo quod satis involuta ibidem dantur responsa. Sed et

in nemore Epirotico per columbas futura docuisse dicitur, quia lingua Thessala πελειάδες et columbae et vaticinatrices vocantur. Dicitur in Creta nutritus, quia, ut ait Salustius, primos Cretenses religionem constat invenisse.

4. Juno.

1. Uxorem Jovi, id est aetheri, Junonem, id est aërem, ut diximus, statuere. Haec elementa physici utraque mares, aquam vero et terram feminas appellant. Haec enim incumbunt, illa subjacent; haec agunt, illa patiuntur. Unde et his nomina masculina, illis feminina data confirmant. Hanc tamen considerationem poëtae negligentes, alterum marem, alteram feminam praedicant. Ideo autem juxta Tullium aërem effeminatum, quod eo nihil est mollius; et quia ut viro uxorem, ita aetheri aërem subesse, et ab eo calorem, quo inferiora foveat, veluti semen in matricem suscipere vident. Eorum igitur conjugium fingunt, quia etiam haec duo elementa prae aliis, ut diximus, sunt tenuia minusque faeculentiae habentia, velut iisdem parentibus orta, hoc fratrem, illud vero, ut sexum in conjugio attributum servent, non fratrem sed sororem dicunt. Porro Junonem ideo Neptuni fingunt alumnum, quia secundum physicam spissus aër ex marino humore conficitur. Ideo autem eam quotiens aliquid actura est, alieno inducunt utentem auxilio, utpote Aeoli, vel Iridis, vel Nympharum, quia natura est aëris, ut per se quidem nihil faciat. Ut enim aliquid operetur, aliena semper utitur conjunctione, ut ventorum, qui nubes creant et pluvias.

2. Huic et Iridem, id est arcum caeli, ministram assignant. Est autem Iris nubes aquosa, solis radio penetrata, de qua Virgilius:

Mille trahens varios adverso sole colores.

Unde et e regione solis semper apparet. Haec Thaumantis secundum fabulam fingitur filia; unde et Thaumantias dicitur. Secundum veritatem vero a miraculo et stupore colorum hoc nomen sortita est. θαυμαστὸς enim Graece *mirabilis* dicitur. Varietatis autem ejus juxta physicos haec ratio est, quod aqua tenuis, aër lucidus et nubes caligans irradiata varios creent colores necesse est. Haec quia in aëre apparet et aëri inest, Junoni fingitur deservire. Habet etiam fabula, Junonem quum omnes pellices suas persecuta sit, Majam tamen dilexisse; quod ideo fingitur, quia quum Sol, mense Majo in Tauro positus, per Plejades, qui in genu Tauri sunt, quarum una Maja est, iter faciat, tunc aëris caliditas vernalibus pluviis temperatur, et de temperie sua quasi laetari videtur.

3. Haec etiam conjugiis et partubus praeesse dicitur; unde et nomina ei complura attribuunt. Dicitur enim Lucina, quod nascentes in *lucem* producat. Unde et portarum dicitur dea, quod nascentibus portam praebeat luminis. Dicitur Fluonia a *fluoribus* seminum, quod feminas liberet in partu; Februalis vel Februa, quod eas post partum secundis egredientibus *purget*; *februo* enim Graece, Latine *purgo*. Hinc et Februus dicitur Pluto, quia praeest purgationibus animarum. Unde et mensis, in quo animarum expiationes apud antiquos celebrabantur, Februarius est appellatus. Dicitur et Juno *introduca*, quod nubentes puellas *introducat*. Dicitur *domoduca*, quod ad *domos* maritorum eas *adducat*. *Unxia* etiam dicitur ab *ungendo*, quod variis unguentis ungebantur nubentes, vel quod postes domorum ungebant ingredientes; unde uxores quasi *unxores* dictas volunt. *Cinctia* quoque a *cingendo* per antiphrasin appellatur, quod ipsa cingulum castitatis resolvat. *Soticena* quoque dicitur, quod ipsa marem et feminam *sociat*; vel *Saticena* a *satione*. Juno enim mulieres in labore coëundi dicitur liberare, quod et earum bellum appellatur. Unde Virgilius:

At non in Venerem segnes nocturnaque bella.

Idem et alibi de equo seniore:

——— *si quando ad proelia ventum est,*
Incassum furit.

Dicunt et Junonem *Populoniam*, quod *populos* multiplicet; *Curitim* etiam, id est *regalem*, vel *fortem*, vel *potentem*, vel juxta Servium, a *curru*, quod bellantes curribus utantur, quibus et illa praeesse dicitur.

4. Sane quia de nubentibus agitur, limen eas Varro ideo ait solitas non tangere, ne a sacrilegio inchoarent, si depositurae virginitatem, rem Vestae, id est numini castissimo consecratam, calcarent. Unde est:

Translataque vetat limen contingere planta.

Singula enim domus diis sacrata sunt, ut Vestae limen, culina penatibus, maceries, quae ambit domum, Herceo Jovi. Dicunt autem iis faces praelatas, quod antea nubentes nonnisi per noctem ducebantur a sponsis. Nucum, quae in nuptiis spargebantur, hanc assignant rationem, ut Jovis omine matrimonium celebretur, ut nupta matrona sit sicut Juno. Nam nuces in tutela sunt Jovis. Unde et juglandes quasi *Jovis glandes* dictae sunt. Nam illud vulgare est, ideo spargi nuces, ut rapientibus eas pueris fiat strepitus, ne puellae vox virginitatem deponentis possit audiri. Sed et laneis vittis, simul ad limen mariti venissent, postes, antequam ingrederentur, ornabant. Unde Virgilius. *Velleribus niveis.*

Fingitur etiam, quod praecedat Juno Venerem in nuptiis, quia ante est Junonis officium in matrimonio, post in coitu usus venereus.

5. Haec, ut ait Fulgentius, ideo in Aeneide Aeolum, regem ventorum petit, ut Trojanis naufragium importet, eique Deïopeae conjugium spondet, quia naufragium illud in modum ponitur periculosae nativitatis, in qua et maternum est pariendi dispendium, et infantum nascendi periculum. Quod ut evidenter intelligas, a Junone quidem est partus, sed ad naufragium generatur. Nam Aeolum immittit. Aeolus autem quasi *Αἰωνελὸς saeculi interitus* interpretatur. In hac enim necessitate universaliter humanum genus involvitur. Denique et Aeolo Deïopeam promittit; *δῆμος* enim Graece *publicum*, *ὠπὴ* vero *oculus* vel *visio* dicitur. Ergo nascentibus in mundo saeculare est nascendi periculum; cujus tamen nativitatis perfectioni publica a dea partus promittitur visio. Junonem nihilominus divitiarum quoque asserunt dominam; unde et cum sceptro eam depingunt, quod divitiae regnis sint proximae. Qui enim divitiis abundat, facilius ad regnum aspirat. Ideo eam capite velato ponunt, quod omnes divitiae plerumque sunt absconditae. Deam etiam partus volunt eam, quia divitiae quasi praegnantes sunt. Nam divitiis novae semper divitiae generantur. Sed et ipsae plerumque abortiunt, simulque sors et lucra depereunt. Pavonem in sua habet tutela, quia divitum vita ornatuum semper appetens est. Et sicut pavo stellatum caudae curvamen concavans anteriora ornat, posteriora vero turpiter nudat, ita divitiae et gloria saecularis momentaliter quidem ornant, postremo vero quos ornaverant nudos relinquunt. Unde quidam, *reliqua*, ait, *considera*. Et Salomon: *In obitu hominis nudatio operum ejus.*

6. Ideo autem Irim huic adjungunt, quia sicut illa ornatus varios pingens, momentaliter refugit, ita et fortuna, quamvis ad praesens ornata, tamen est fugitiva. Sane Irim quasi *ἔρις*, id est *certamen* nonnulli dictam volunt, ideoque eam Junoni dant famulam, quod ex divitiarum veneno persaepe certamina et seditiones oriuntur. Hinc est, quod Iris ad discordiam commovendam, Mercurius vero ad concordiam frequentius mittitur. Junonem etiam plerique regnorum deam volunt. Unde et hanc fabulam confingunt. Ixion Junonis conjugium petiit; illa nubem in speciem suam ornavit, cum qua Ixion coiens Centauros genuit. Juno igitur, ut diximus, dea regnorum est; Ixion dignitas interpretatur. In hac vero vita quaelibet dignitas, id est quantaelibet dignitatis persona regnum affectans, nubem tantum meretur, id est horariam regni similitudinem. Illud enim regnum est,

quod perenniter duraturum est; non illud, quod transitorium est. Legitur autem et in historia, Ixionem primum in Graecia regni gloriam affectasse; qui sibi centum equites primus omnium conquisivit. Unde et Centauri dicti sunt, quasi *centum armati*. Is igitur parvo tempore celeriter regnum adeptus, dehinc regno expulsus est. Inde etiam ad rotam damnatus dicitur, quod rotae vertigo quae superiora sunt statim dejicit. Qua in re ostenditur, quod qui per arma et violentiam regnum affectant, subito elevantur et subito deprimuntur, sicut rota, quae stabile non habet cacumen.

7. De poëtica tamen Centaurorum adinventione sic Servius ait. Quum, inquit, quidam Thessalus rex bubus oestro agitatis satellites suos ad eos revocandos ire jussisset, et hi ad cursum tantum non sufficerent, equos ascenderunt, et eorum velocitate boves secuti, eos stimulis ad tecta revocarunt. Sed hi quum aut irent velociter, aut quum eorum equi circa fluvium Peneum capitibus inclinatis potarent, locum fabulae dederunt, ut Centauri, id est semihomines et semiequi putarentur. Centauri autem a Graeco κενταύροις dicti sunt. Alii vero Centaurorum fabulam confictam esse asserunt ad exprimendam humanae vitae velocitatem, quia equum constat esse velocissimum. Sane de his, ut ajunt Stoici et Academici, et ceteris, quae contra naturam dicuntur fieri, intelligendum est, non quod fiant, sed quod plerumque fieri videantur. Qua de re aptum Hieronymus exemplum in libro de Vitis Patrum narrat, ubi de miraculis Macarii agit. Cujusdam enim, inquit, patrisfamilias virgo filia per phantasias magicas in equinum animal versa hominibus videbatur, ut vera equa esse non puella putaretur. Hanc quum parentes ad sanctum Macarium duxissent, et ille, *quid vellent* percontaretur, dixerunt: Equa haec, quam vident oculi tui, puella virgo et filia nostra fuit; sed homines pessimi magicis artibus in animal hoc, quod vides, verterunt. Rogamus ergo, ut ores ad dominum, ut commutet eam in hoc, quod fuit. At ille ait: Ego hanc quam ostenditis puellam video nihil in se pecudis habentem. Hoc autem, quod dicitis, non est in ejus corpore, sed in oculis intuentium. Phantasiae enim daemonum sunt istae, non veritas rerum. Quumque eam cum parentibus suis in cellulam suam introduxisset, et dominum orasset, oleoque eam in nomine dómini perunxisset, omni fallacia visus expulsa, virginem omnibus, ut sibi videbatur, effecit. Idcirco etiam magica ars omnis a Romanis, ut Plinius Secundus in Naturali Historia docet, exclusa est.

8. Sed a diverticulo ad id, quod coepimus, revertamur. De eo, quod Junonem aërem dicimus, illud ejus cum Jove

de voluptate certamen fingimus. Habet enim fabula, Tiresiam serpentes duos coëuntes vidisse. Quos quum virga percussisset, in feminam mutatus est. Tum vero post temporis seriem, septimo videlicet anno, eosdem vidit concumbentes, similiterque iis percussis, in formam pristinam est restitutus. Ob hoc quum de amoris qualitate Juno et Juppiter certamen habuissent, eum judicem elegerunt. Ille virum tres unicas amoris habere, novem vero feminam dixit. Qua re Juno irata lumen ei ademit. Juppiter vero, ut ei quod amiserat, aliquatenus restitueret, futurorum ei scientiam dedit. Tiresias itaque *aestiva perennitas* interpretatur; unde et in figura temporis ponitur. Tempus igitur mensibus hiemalibus dum, terris frigore constrictis, germina nulla producit, masculinam quodammodo obtinet formam. Vere autem ingresso, animalia jam lasciviam exercentia et coëuntia videns, percutit ea virga, id est fervoris aestu; tuncque in sexum femininum, id est, in aestivam transit fecunditatem. Ideo vero in modum feminae aestatem posuere, quod in eo tempore germina omnia prodeuntia sic suis tamquam a matris utero emergant folliculis. Porro duo sunt conceptionum naturalium tempora, ver videlicet et autumnus. In autumno igitur dum iterum coëunt animalia, et seruntur germina, percutit ea iterum Tiresias, id est *tempus* jam ad hiemem vergens, *virga*, id est *frigoris uredine*, sicque tandem in pristinam redit imaginem. Autumnus enim adeo cuncta adstringit, ut etiam herbae jam marceant, suci arborum exsiccentur, folia cadant, sicque tempus ad frigus hiemale declinans, in masculinam revertitur sterilitatem. Nec incongrue septimo anno sexum mutasse dicitur. Septimo enim mense solem vices temporum variare manifestum est. Denique duobus diis, igne atque aëre, de voluptate, id est de procreationis natura certantibus, Tiresias arbiter quaeritur, justumque, utpote rem expertus, profert judicium In fructificandis enim germinibus tripla ab aëre quam ab igne materia provenit. Aëris enim humiditas germina fovet in glebis, et producit in foliis, et multiplicat in folliculis; calor vero ignis maturare tantum novit in granis. Sed mox Tiresias caecatur a Junone, illa videlicet causa, quod hiemis tempus nubilo aëris caligante nigrescat. Juppiter tamen, singulis diebus quantuluscumque hiemalem asperitatem leniens, seminum satorum spondet saltem et quasi jam praedicit proventum. Unde et futurorum fingitur ei dedisse scientiam.

9. Nam ob hanc rem etiam Janus bifrons pingitur, quod et praeteria respiciat et futura praevideat; quem tamen alii totius anni dominum volunt, quem in quatuor tempora constat esse divisum, ideoque eundem quadrifrontem pingunt. Anni autem eum esse dominum res illa probat, quod ab eo

prima pars anni, id est *Januarius* nominatur. A nonnullis diei dicitur deus, bifronsque propter ortum et occasum pingitur. Unde Horatius:

Matutine pater, seu Jane libentius audis.

Eidem etiam omne consecratur initium, diciturque Janus, quod anni *januam* pandat. Unde et anni initium ab eo non absurde nuncupatur. Sane templi ejus aperiendi vel claudendi ratio juxta Servium varia est. Alii enim, inquit, Romulo contra Sabinos pugnante, quum in eo esset ut vincerentur, calidam ferunt aquam ex eodem loco erupisse, quae fugavit exercitum Sabinorum. Hinc ergo tractum morem, ut pugnaturi aperirent templum, quod in eo loco fuerat constitutum, quasi ad speciem pristini auxilii. Alii dicunt, Tatium et Romulum, facto foedere, templum hoc aedificasse. Unde et Janum duas habere facies, ut videlicet ostendat duorum regum cognitionem. Est et alia quae melioris videtur causa, quod ad bellum ituri de pace cogitare et reversionem optare debent.

10. Quia vero Aeoli superius fecimus mentionem, refert eum Varro IX insularum regem fuisse, ex quarum nebulis et Vulcaniae insulae fumo praedicens futura ventorum flabra, ab imperitis creditus est in sua potestate ventos tenere. Sunt autem ipsae insulae post fretum Siciliae, quae ab ipso Aeolo, Hippotae videlicet filio, *Aeoliae* appellantur, licet et propria habeant vocabula. De una earum ait Virgilius: *Aeoliam Liparen.* Aliarum nomina apud Martianum reperimus, qui tamen VII tantum insulas Aeolias tractat, easdemque a nostris *Vulcanias* dici asserit; in quarum etiam una, quae Strongyle dicitur, Aeolum et ipse regnasse memorat, et e flamma in proximo prorumpente vel ejus fumo, qui ventus flaturus esset, intellexisse; quod hodieque, inquit, ejus loci incolas certum est praesentire. Physica autem ratione in antro Aeolus sedere fingitur, quia naturale est, ut loca concava plena sint ventis. Regnum ei Juno fingitur dedisse, quia motus aëris, id est Junonis, ventos creat, quibus praeest Aeolus. Sed et motu aquae secundum quosdam venti creantur. Unde Nympham ei in Aeneide ideo secundum Servium spondet Juno, quia quum ventorum rex sit, merito ei jungitur origo ventorum. Non autem sine ratione Juno in sua potestate Nymphas tenere dicitur, quia ipsa est aër, de quo nubes creantur. Unde est: *Atque in nubem cogitur aër.* Ex nubibus aquae demittuntur, quas Nymphas esse non dubium est. Sane notant Virgilium critici, quod Aeolo marito promittit uxorem; quod tamen regia competenter excusat licentia. Unde Salustius: *Denas alii, alii plures habent; sed reges eo amplius.* Quod autem

eum Virgilius non ventis moderari, sed animos eorum mollire et iras dicit temperare, per transitum ostendit, vitia naturae nulla ratione mutari, sed mitigari aliquatenus posse. Praeterea quis queat ventos, id est rem inanem vi tenere? Unde et ipse regni sui exprimens impotentiam, *quodcumque*, inquit, *hoc regni est*. Misenus tubicen Aeoli filius dictus est, quia constat omnem sonum ex vento creari.

3. Neptunus.

1. Tertiam Saturni sobolem Neptunum, id est aquarum elementum, dicunt; quem a *natando* Neptunum, sicut a *portu* Portumnum, litteris paulum immutatis, secundum Tullium nuncupant. Hunc Graeci *Ποσειδῶνα* appellant, quod Latine *faciens imaginem* interpretatur, ea videlicet ratione, quod aqua imagines formet in se spectantium, quod nulli alii de quatuor elementis accidit. Dicitur et *ἐνοσίχθων*, hoc est *terram movens*. Aquae videlicet concussione fiunt terrae motus, ut contendunt opiniones. Tridentem fert, quod aquae triplici fungantur virtute. Sunt enim liquidae, fecundae, potabiles. Huic Amphitritidem in conjugium deputamus; *ἀμφὶ* enim *circum*, *τρίτον*, ut in Fulgentio super Aeneide legitur, quasi *τετριμμένον*, Latine *contritum* dicitur; quod videlicet aqua tribus elementis conclusa et quasi *circumtrita* sit, caelo, ut in aquis supercaelestibus; aëre, in nubibus; terra, in fontibus et puteis, vel quod ipsa terram, ut ostendit Macrobius, ambiat et circumterat. Unde Tritones ei deservire dicuntur; quod aquae terras *terunt*. Quod autem Doris uxor Tritonis dicta est, ab historia sumtum est. Dorus enim rex extitit Graeciae, qui in mari dicitur cum exercitu suo perisse. Quare a poëtis, adulationi et figmento ubique deservientibus, ipse dea marina et exercitus ejus filiae ipsius, id est Nymphae marinae dicti sunt. Phorcus quoque, ut Varro refert, rex fuit Corsicae et Sardiniae. Qui quum ab Atlante rege navali certamine cum magna exercitus parte fuisset obrutus, in marinum itidem deum socii conversum esse finxerunt.

2. Sane poëtas superstitiones multas adinvenisse, Plato ipse in libro, qui *φιλόσοφος* inscribitur, testimonio est. Narrat enim, quod priscorum genus hominum, silvicaedi et pastores, rationes et potentias ad usum vivendi hominibus a divina gratia datas pro diis colebant, ut agriculturam, vindemiationem, et id genus plurima. Deinde poëtae lucri causa et favoris easdem scientias membratim effigiaverunt, propriisque nominibus eas signaverunt, scientiam colendi agros Cererem, colendi vineas Bacchum nuncupantes; turpes

etiam actus hominum, ut luxuriam et venerem inter deos venerantes. Sic quoque religionis superstitio exorta est. Hoc autem vel ab aniculis, ultra consuetudinem humanae vitae superstitibus, teste Servio, vocabulum sumtum est. Earum enim jam decrepitarum et per nimiam aetatem delirarum primas de hujusmodi numinibus inventiones fuisse credimus. Vel secundum Lucretium a rebus superstantibus, id est caelestibus et divinis, quarum rerum inanis timor et superfluus, superstitio appellatur.

3. Refert etiam Tullius, quod suscepit vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in caelum fama ac voluntate tollerent. Hinc, inquit, Hercules, hinc Castor et Pollux, hinc Aesculapius deïficationem meruerunt. Postea tamen apud Athenienses et Romanos cautum est, ne quis novas introduceret religiones. Unde et Socrates damnatus est, et Judaei vel Chaldaei ab urbe depulsi. Hinc Virgilius eleganter in VIII:

———— *Non haec sollemnia nobis*
Vana superstitio veterumve ignara deorum
Imposuit. ————

Duo namque dicit: neque enim vel ideo, ait, Herculem colimus, quia omnem religionem veram putamus, vel quia deos ignoramus antiquos. Quod Nymphas Neptuno dedicant, ipsa nominis etymologia causa est. Nymphae enim quasi *lymphae*, id est *aquae* dictae sunt. Nympharum vero hanc dat Servius differentiam. Najades, inquit, deae dicuntur fontium; naïs enim *aqua* dicitur; Oreades montium; ὄρος enim *mons* interpretatur; Dryades silvarum deae; δρῦς namque *quercus* sonat. Unde et Amadryades, id est *amantes quercus*, quae videlicet, ut ait Aristoteles, cum arboribus nascuntur et pereunt. Maris vero deae Nereïdes a Nereo, deo marino, dictae. Ventis quoque Neptunus praeesse dicitur, quod secundum physicos motu aquae ventus creatur.

4. Habetur in fabula, quod quum Neptunus et Minerva de Athenarum nomine contenderent, placuit diis, ut ejus nomine civitas diceretur, qui melius munus mortalibus obtulisset Tunc Neptunus percusso litore equum, animal bello aptum, produxit; Minerva jacta hasta olivam creavit; quae res melior comprobata est, ut pacis insigne. Quare dea suum nomen urbi dedit; Ἀθηνᾶ enim et Minerva eadem est, et utrumque nomen *immortalitas* interpretatur. Equum autem a Neptuno progenitum alii Scinthium, alii Chironem, alii Arionem volunt. Sunt ergo Athenae, ut ego accepi, prope litus maris sitae. Unde et regio adjacens ab ἀκτή, quod litus interpretatur, *Acte* vel *Attica*, ipsique Athenienses *Attici* nuncupantur. Esse autem et terram illam olivis

puto feracissimam. Conditis igitur Athenis, auctorem earum Cecropem, urbis has duas considerantem commoditates, quod videlicet mari viciniam et olivetorum haberet abundantiam, diu dubium credo extitisse, ab utra re civitati nomen imponeret. Unde numina fingimus concertasse. Tandem vero olivarum fructum marinis usibus praeferens, ab earum dea urbem videtur intitulasse. Quare autem olivae Palladi deputentur, in sequentibus audies. Ideo autem equum dicitur invenisse Neptunus, quod mare mobile sit et velox, unde et oceanus dicitur ab *ὠκὺς* Graeco, quod *velox* interpretatur. Propterea etiam, ut ait Servius, Castor et Pollux, quod eorum stellae velocissimae sunt, equos in tutela habere dicuntur.

5. Neptunum etiam Harpyias dicunt generasse. Ipse enim omnium fere prodigiorum fingitur pater. Nec mirum, quum secundum Thaletem Milesium ex humore omnia procreentur. Unde est: *Oceanumque patrem rerum.* Sic et peregrinos, quorumque non novimus patriam et parentelam, Neptuni filios dicimus. Harpyiae autem canes Jovis appellantur, quia et ipsae Furiae esse dicuntur. Unde etiam epulas dicuntur abripere, quod est Furiarum. Hinc et avari finguntur Furias pati, quia abstinent partis. Fabulam enim de Harpyiis sic exponit Fulgentius. Harpyiarum, inquit, prima Aëllo, secunda Ocypete, tertia dicitur Celaeno. Sunt enim tres tantum. *Ἁρπυια* igitur *rapina* interpretatur. Ideo virgines finguntur, quod omnis rapina sterilis et arida sit. Ideo plumis circumdatae, quia raptores quicquid invaserint celant. Ideo volatiles, quod omnis raptor post rapinam ad fugiendum sit celerrimus. Aëllo autem *alienum tollens*, Ocypete *citius auferens*, Celaeno *nigrum* interpretatur. In rapinis enim exercendis primum est alienum concupiscere, secundum concupita invadere, tertium quod invaseris celare. Hae igitur ad Phineum puniendum missae finguntur. Est autem haec fabula. Phineus rex natos suos, ab noverca de incesto accusatos, luminibus privavit; ob quam rem ipsum quoque Juppiter caecavit, et insuper ad eum cruciandum Harpyias misit, quae cibos ejus partim rapuerunt, partim stercoribus foedaverunt. Post tamen a Zete et Calai, Boreae filiis, aufugatae sunt.

6. Phineus igitur, a *fenerando* dictus, in modum avaritiae ponitur. Nati ejus divitiae, multo labore conquisitae, et sollerti sollicitudine velut paterna nutricatione servatae et adauctae dici videntur. Hae dum in bonos usus apte expenduntur, et ipsae fulgore suo clarere et possessores suos claros facere non dubitantur. Quum vero a prava tenacitate, quae idoneae dispensationis noverca est, ad sinistram partem custodiendae magis quam expendendae reponuntur, nec

ipsae, quippe in thesaurum reconditae, apparere vel fulgere possunt, nec dominos suos largitatis gloria splendidos reddunt. Hinc esse videtur, quod ex novercae delatione et filiis et patri caecitas dicitur immissa. Sed et ideo, ut dicit Fulgentius, Phineus caecus fingitur, quod omnis avarus sua non videt, nec usquam respicit habita, dum semper eget habendis. Ideo Harpyiae cibos ejus rapiunt, quod tenacitas rapax aliquid eum de suo gustare non permittit. At vero quod ejus prandia stercore foedant, innuit feneratorum vitam, in omnibus, ut probat Horatius, sordidam. Sed eas a conspectu ejus Zetes et Calais fugant, quia Graece *ζητῶν καλὸν inquirens bonum* dicimus. Hi ideo volatici perhibentur, quod omnis inquisitio boni terrenis numquam rebus miscetur. Ideo Aquilonis filii, quod boni inquisitio spiritualis est, non carnalis. Ergo veniente bonitate, omnis rapina fugatur.

7. Habet etiam fabula, Neptunum cum Apolline muros Trojae fabricatum esse. Sed constat Laomedontem supradictis diis certam vovisse pecuniam ad sacra facienda, quam, imminentibus hostibus, ad murorum fabricam transtulit. Unde dii et fecisse muros et offensi esse dicuntur. Hujus etiam filius Messapus dictus est, quia per mare ad Italiam venit. Qui etiam invulnerabilis dictus est, quia nusquam bello periit. Quod vero fluviorum dicitur rex, nemo miratur, quum et ipsius aquae sint, et in regnum ejus, id est mare, decurrant. Qui ideo cum cornibus pinguntur, sive quod mugitum boum imitantur murmure aquarum, sive quod plerumque in cornuum similitudinem curvatas cernimus ripas, sive propter impetum aquarum.

6. Pluto.

1. Quartum Saturni filium Plutonem volunt. Hunc inferorum regem, terrarum videlicet praesulem ponunt. Eum Statius in Thebaide et satorem rerum vocat et finitorem, quod de terra, cui praeest Pluto, corpora omnia procreentur, et in eandem resolvantur. *Πλοῦτος* autem *divitiae* interpretatur. Unde et aliter Dis, id est *dives* dicitur, quod videlicet vel in solis terris divitiae esse credantur, vel quod in mundo nihil inferno sit ditius. Qui quum omnia recipiat, numquam tamen saturatur. Inde est, quod idem deus Vedius, id est *malus deus*, et Vejovis, id est *malus* Jovis, sed et Orcus appellatur. *Ὄρκῳ* namque Graece *juro* dicitur; quasi enim jurat et affirmat, nullam se animarum sine supplicio et examine dimissurum. Secundum Tullium vero ideo Pluto dives dicitur, quod in terras recidant et de terris oriantur universa. Tenebris aeternalibus ideo deputatur,

quod sola terrae materia cunctis sit elementis obscurior. Idcirco, inquam; nam si philosophicas attendas rationes, Lucretius ex majori parte, et alii integre docent, inferorum regna nec esse quidem posse. Quid vero de inferno veritas habeat, an videlicet sit, et si est, quid, vel qualis, vel denique ubi sit, a veris theologis requiratur. Nobis sufficit, si poëtarum figmenta ex aliqua parte minus obscura reddamus.

2. Ergo ut poëtica tractemus, et philosophica tradamus, terram hanc, in qua vivimus, inferos esse antiquorum maximi voluerunt. Est enim omnium infima circulorum, planetarum videlicet VII, Saturni, Jovis, Martis, Solis, Veneris, Mercurii et Lunae, et duorum magnorum. Hinc est, quod dicitur: *Et novies Styx interfusa cohaeret.* Nam IX circulis cingitur terra. Ergo omnia, quae de inferis finguntur, etiam in terris esse comprobabimus. Primum qui infernalia descripsere, quatuor in inferno fluvios, Lethaeum, Cocyton, Phlegethontem, Acherontem, et quintam paludem Stygem dixere. Interpretatur autem Lethe *oblivio*, Cocytos *luctus*, Phlegethon *ardens*, Acheron *sine gaudio* vel *salute*; ἀ enim *sine*, χαῖρε *gaudium* vel *salve* dicitur. Unde et χυρία χαῖρε, id est *domina salve* in hymnis jubilamus. Styx *tristitia* interpretatur. Volunt autem Acherontem de imo nasci Tartaro; hujus aestuaria Stygem creare; de Styge nasci Cocyton. Cujus rei haec est etymologia, quia qui caret gaudio, facile in tristitiam cadit; tristitia autem luctui vicina est; hunc autem in terris animos humanos conturbare quis nesciat? Sane Acheronta constat locum esse in Italia, haud longe a Bajis, montibus undique septum, adeo ut numquam solem nisi in meridie possit aspicere. Loca etiam, quae in vicino sunt, calidis et sulphuratis aquis scatent. Sine gaudio autem dicitur locus ille, quod necromantia et sciomantia ibi exerceri consueverant, quae sine hominis occisione non fiebant. Nam et Aeneas illic occiso Miseno, et Ulixes occiso Elpenore sacra ista complevit. Cocytos quoque locus est Acheronti vicinus, qui etiam ob eandem causam dicitur luctuosus.

3. Stygem refert Seneca in eo volumine, quo de sacris Aegyptiorum tractat, circa extremam Aegypti partem esse paludem limosam, papyris refertam transituque difficilem. Juxta hanc membra Osiridis, mariti Isidis, a fratre Typhone occisi, post longam inquisitionem ab Aegyptiis reperta, tandem sunt tumulata. Haec palus, quod transeuntibus tristitiam gignit, Styx meruit appellari. Lectum est etiam, quod populi vicini cadavera suorum ad alteram regionem per paludem illam navibus deferunt. Si quis vero forte in fluvio pereat, post centum annos ultima ei persolvuntur. Hinc Virgilius:

Centum errant annos, volitantque haec litora circum.

Quod vero de Styge legitur:

Dî cujus jurare timent et fallere numen —

secundum fabulas ideo est, quod dicitur Victoria, Stygis filia, in bello Gigantum Jovi favisse; pro cujus rei remuneratione Juppiter ei tribuit, ut per ejus matrem dii jurantes fallere non audeant, hac poena constituta, ut si quis ejus nomen fefellisset, uno anno et IX diebus ambrosiae nactare prohiberetur. Ros autem tantillum est. Styx maerorem significat. Dicta est enim a *στυγέω*, id est a *tristitia*. Dii enim laeti sunt semper; unde et immortales sane, qui maerorem non sentiunt, per rem naturae suae contrariam jurant; ideo juramentum per execrationem habent. Nam jusjurandum proprie, diis alicunde testibus invocatis, prospera optare, execratio vero adversa deposcere est. Quod autem Victoriae mater Styx, id est *tristitia* dicta sit, ob hoc fictum videtur, quod in certaminibus diligentiore magisque, ut ita dicam, anxia sollicitudine adhibita, vincendi ratio praesentior est, quia ab re nec hoc alienum est.

Dum non laeta fuit, defensa est Ilios armis;
Militibus gravidum laeta recepit equum.

Dicitur tamen eadem Styx deorum et nutrix et hospita, quia dii de terris per purgationem, quam Styx apud quosdam theologos significat, caeleste consortium meruerunt.

4. Phlegethon a *φλόξ*, id est *flamma* dictus est. Est enim totus igneus ambiens infernum, ardores irarum et cupiditatum, quibus humani accenduntur animi, figurate significans. Hunc tamen qui altius sapuisse videntur, hujus inferioris aëris naturam turbidam et corpulentam figurare perhibent, quae videlicet concreta est igne de superioribus tracto, et aqua de inferioribus hausta, ex quibus aër densescit et incrassatur, in quo peccatrices animae purgari putantur. Eundem Phlegethontem nonnulli, qui a caelo infernum incipere autumant, Martis circulum dicunt, sicut et campos Elysios, quos apud inferos fabula constituit, circulum Jovis esse contendunt. Alii tamen, ut ait Servius, in insulis fortunatis Elysios esse credunt; *λύσις* autem *resolutio* dicitur, quod videlicet illic animae, maculis carnis resolutae, beatitudine perfrui putantur.

5. Porro de poenis infernalibus competentes reddit Lucretius rationes; et quae de inferis finguntur, omnia in vita nostra esse confirmat. Dicit namque, Tityum, vulturibus jecur laniandum dantem, amorem esse, hoc est libidinem, quae ita secundum physicos in jecore, sicut risus in splene, iracundia in felle est. Unde et jecur exesum a vulture in poenam renasci dicitur. Etenim re semel peracta, libidini

non satis fit, sed semper recrudescit. Inde Horatius *incontinentis*, ait, *Tityi jecur*. Hic et pro incesto, quod videlicet Latonam de stupro interpellavit, apud inferos damnatus dicitur. Idem Lucretius per eos, super quos jam casurus imminet lapis, ut de Phlegya legitur, superstitiosos dat intelligi, qui inaniter semper verentur, et de diis et superioribus male opinantur. Nam religiosi sunt, qui per reverentiam timent. Unde et hic templum Apollinis subvertendo poenam illam fingitur meruisse. Per eos, qui saxum volvunt, ut Sisyphus, ambitum vult et repulsam significari, quia semper repulsi repetitores ambire non desinunt. Unde et Sisyphus per latrocinium poenam illam incurrisse non incongrue dici videtur. Latrones enim, licet saepe periclitentur, ab iniquitate tamen non desistunt. Per eos, qui in rota, ut Ixion, rotantur, negotiatores ostendit, qui semper tempestatibus turbinibusque volvuntur. Unde et Ixion, qui ejusmodi poenam meruit, regno, ut diximus, prius ditatus, deinde expulsus, et pro gloria priori ignominiam passus est.

6. De his tamen Macrobius aliquanto dissentit. Ait enim juxta quosdam philosophos, vulturem jecur immortale tondentem pravae conscientiae sese jugiter damnantis significare tormenta lege hac, qua se judice nemo nocens absolvitur, nec de se suam potest vitare sententiam. Ait, illos radiis rotarum pendere districtos, qui nihil consilio praevidentes, nihil ratione moderantes, nihil virtutibus explicantes, se et actus suos omnes fortunae permittunt, casibusque fortuitis semper rotantur. Saxum dicit ingens volvere ineffacibus laboriosisque conatibus vitam terentes. Dicit etiam atrum silicem semper lapsurum et cadenti similem illorum capitibus imminere, qui semper dignitates et arduas affectant potestates numquam sine timore victuri; qui cogentes subjectum vulgus odisse se dum metuunt, semper sibi videntur exitium, quod merentur, excipere. Nam de Acheronte, Cocyto et Styge cum Lucretio satis idem sentit.

7. Lethaeum vero fluvium, qui *oblivio*, ut diximus, interpretatur, nihil aliud dici innuit, quam errorem animae, obliviscentis majestatem prioris vitae, quam secundum philosophos antequam in corpus truderetur, potita est, et tamen in corpore vitam esse putantis. Alii tamen magnae auctoritatis et memoriae viri, qui de Lethaeo fluvio, utrum de illis IX circulis inferos circumeuntibus esset, disputaverunt, et ab illis eam segregaverunt, Lethaeum imaginem senectutis esse volunt. Nam animae, inquiunt, nostrae vigent et alacres sunt et plenae memoria a pueritia usque ad virentem senectutem. Postea vero in nimia senectute omnis memoria labitur; qua lapsa, mors intervenit. Ergo fluvius Lethaeus

oblivio senilis est, morti semper vicina. Quod autem Lethaeo gustato finguntur animae ad corpora velle reverti, ad altiorem spectat philosophorum traditionem. Quam quia rudibus arduam novi, huic tractatui minus idoneam judicavi.

8. Verumtamen ut de indefinitis et inextricabilibus paucissima et levissima eruamus, ne omnino in his, in quibus maxime laboratum est, incompetentis silentii arguamur; juxta philosophorum, sive magis, ut quidam dicunt, frivolorum opiniones, animae ab initio mundi creatae et in stellis comparibus positae sunt, ut rationabilem ibi motum firmamenti contemplarentur, et cum spe et desiderio summae beatitudinis incorporarentur, ut secundum motum firmamenti corpora rationabiliter regerent; ibi autem morantes, ab omni, ut ajunt, corporea contagione liberae, caelum possiderent, perfectamque omnium et praeteritorum et praesentium futurorumque obtinerent cognitionem. Quae vero appetentiam corporis, et hujus quam in terra vitam vocamus, ab illa specula altissima et perpetua luce despiciens, desiderio latenti cogitaverit, pondere ipso terrenae cogitationis paulatim in inferiora delabitur. Nec subito quidem a perfecta incorporalitate luteum corpus induitur, sed sensim per tacita detrimenta, et longiorem simplicis et absolutissimae puritatis recessum in quaedam corporis incrementa turgescit. In singulis enim sphaeris, quae caelo subjectae sunt, quadam aetherea obvolutione vestitur, ut per eas gradatim societati hujus indumenti testei concilietur; quantoque ubique corporea circumductione induitur, tanto ibidem pristinae scientiae, quam potita est, subtilitatem, virtutumque, quas eatenus solas exercuerat, perfectionem obrui patitur. Trahit enim secum, ut autumant, torporem a Saturno, a Marte iracundiam, a Venere libidinem, a Mercurio lucri cupiditatem, a Jove regni desiderium. Quae res, ut ajunt, perturbationem ipsi faciunt, ne suo vigore et viribus propriis uti possit. Hac etiam ratione perhibent mathematici, quod singulorum numinum potestatibus connexi simus.

9. Reliqua, quae de his sanxit antiquitas minus ad hanc rem pertinere visa sunt; de quibus tamen aliquid suo loco perstringetur inferius. A planetis vero per inferiora descendens, variis tumultibus pulsatur grandinum et nivium, pluviarum et ventorum; tandemque tenebris corporis obvoluta, adeo rigida corporis mole gravatur, ut omnium, quae ante noverat, obliviscatur, nihilque jam prioris status recordetur; quod etiam in stultitia puerorum patet, qui carbone lucente decepti laeduntur. Obvolutionibus autem illis utrum incorporentur an non, diversi diversa sentiunt. Qui enim animam illis incorporari negant, asserunt, quod per hoc

ejus claritas tantum obfuscetur, sicut imago de fumo. Qui vero asserunt, illis animam uniri, et jam incorporari, ex eo argumentum trahunt, quod teste Macrobio animae a corpore tandem redeuntes, easdem obvolutiones illuc reducunt, unde eas sumserant; illisque ibidem relictis, pristinos vigores, quos ibi amiserant, ad integrum resumunt. Quodsi illis, inquiunt, incorporatae non essent, nec ad corpora eas deferrent, nec in reditu illuc reportarent. Quibus si occurrerit, quod anima sic incorporata animal, etiam priusquam verum corpus suscipiat, efficitur; hoc respondent non esse necessarium, quum anima digito conjuncta non statim animal efficiat, quum etiam ad animalis constitutionem praeter corpus et animam multa pertineant, ut sensualitas et alia, quae physici tradunt. Inclusae vero corpori tria, inquiunt, quibus in gradum pristinum restitui mereatur, a natura accommodantur; ira videlicet, quae malum repellat; concupiscentia, quae bonum appetat; ratio, quae inter utrumque discernat. Duoque praeterea ex industria adhibenda decernuntur: doctrina prior, qua quae oblivioni tradidit, in memoriam reducat (inde quod apud nos *lectio*, apud Graecos repetita cognitio vocatur); virtusque posterior, qua quod recte voluerit, ad effectum perducat.

10. Quia autem de anima coepimus, de ea aliquantulum producatur oratio. Tradunt animam nonnulli esse quandam divinae essentiae paritatem vel portionem. De quatuor enim elementis, ut ajunt, et divino spiritu omnia procreantur, qui per quatuor infusus elementa, gignit universa. Ergo si de elementis et deo nascuntur omnia, unam originem habent, et par quodammodo est omnium natura. Sed videamus, inquiunt, quid in nobis ab ipso deo, quid ab elementis esse putetur. Quantum igitur datur intelligi, ab elementis corpus, a deo, inquiunt, animam possidemus. Quod hinc comprobant, quod in corpore terra, humor, anhelitus, calor; quae omnia, sicut et elementa, sensibus corporeis percipiuntur; animus vero, sicut et deus, nullis subjacet sensibus. Praeterea illa, sicut et corpus, rationis expertia sunt; contra animus, sicut et deus, consilium habet. Deinde elementa perire putantur, quod est eorum proprium, sicut et corporis; contra deum non perire manifestum est; unde etiam infertur, quod nec animus perit, qui inde originem ducit. Sed occurrit illud: Si animi immortales sunt, et unum habent principium, qua ratione plus in his quam in illis vigent? Dicunt itaque, hanc non ab animis, sed a corporibus dissimilitudinem provenire, quae prout fuerunt vivacia vel torpentia, ita et animos faciunt; quod in uno eodemque animali corpore probari potest. In corpore enim sano expe-

dita est vivacitas mentis, in aegro pigrior; in satis invalido etiam ratione carens, ut in phreneticis cernimus; adeo quum ad corpus venerit anima, non natura sua utitur, sed ejus qualitate commutatur. Inde Afros versipelles, Graecos leves, Gallos pigrioris videmus ingenii, quod et natura climatum quadam ex parte facit; sicut Ptolemaeus deprehendit, translatum ad aliud clima hominem naturam mutare ex parte dicens; ex toto enim non potest, quia in principio sortem corporis sui accepit. Ergo anima pro qualitate est corporis.

11. Sed occurrit: Quare res melior in potestate est deterioris? Atque divinus animus corpori mortali omnino praeesse, non corpus mortale naturam animi debuit corrumpere. Hoc, inquiunt, ideo fit, quia plus est quod continet, quam quod continetur. Ut enim leo, si includitur in foveam, impeditus vim suam non perdit, sed exercere non potest; ita animus in corporis vitia non transit, sed ex ejus conjunctione impeditur, nec suam exercet vim. Occurrit namque et illud: Omne quod corrumpitur, aeternum non est; sed animus corrumpitur; irascitur enim et insanit, desiderat et timet; caret itaque aeternitate, cui ista contraria sunt; nam passio aeternitatem resolvit. Huic conclusioni ratio refragatur, quia animus per se, inquiunt, nihil patitur, sed ex corporis laborat conjunctione. Aliud enim est, per suam corrumpi naturam, aliud, per contrarium rei alterius. Videmus enim tale aliquid in lucerna, quae per se clara est, et locum, in quo est, sine dubio illuminat. Quae si quando ratracta fuerit et inclusa, locum quidem illuminare desinit, splendorem autem proprium non amittit. Remoto namque impedimento, apparet. Nec fulgor ejus, quamvis impeditus, ideo etiam est corruptus. Ita ergo animus, inquiunt, quamdiu est in corpore, simul ejus patitur contagionem. At quum corpus deposuerit, antiquum recipit vigorem, et natura utitur propria.

12. Occurrit: Si ergo propriam recipit naturam, quare poenas apud inferos patitur? Ideo, ajunt, quod licet corpore deposito, non tamen ad nitorem suum revertitur; nec potest. Uti si margaritam candidam, in lutum missam, polluas, statimque eam inde auferas, non idcirco sordibus caret, sed ablutionem requirit. Sic et animam, adhuc corporis contagione inquinatam, etiamsi corpus deponat, purgari tamen necesse est; quae purgata incipit clarior esse. Unde Virgilius:

Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem ———

Inde est, quod aliae animae lunarem circulum, aliae solarem pro modo perfectionis tenere dicuntur. Hinc et Palinurus

et Dido, qui necdum ad loca pervenerant purgationis, multa circumdati umbra apud inferos sunt inventi. Nam de Palinuro legimus:

——— *vix multa maestum cognovit in umbra.*

Et de Didone: *Agnovitque per umbram obscuram.* Occurrit: Si ergo purgantur et suam naturam recipiunt, cur ad corpora reverti volunt? Palingenesia namque, id est *multiplex generatio*, et *μετεμψύχωσις*, id est *transitio animae*, a plerisque philosophorum traditae sunt. Potant, inquiunt, oblivionem; quod et ipsum ambiguum est, an videlicet praeteritarum obliviscantur poenarum, an quod futuri sint ignarae. Desiderant autem in corpora reverti. Illam autem oblivionem prioris illarum perfectae sapientiae accipimus annullationem, quam in descensu suo et incorporatione universae patiuntur. Sciendum tamen secundum eosdem, non omnes animas ad corpora reverti. Aliae enim propter vitam malam redeunt, aliae propter fati necessitatem; aliae vero propter vitae merita per apotheosin aeternum deorum consortium adeptae sunt.

13. Sane quia animam supra diximus immortalem, quaeritur inter majores, an generata sit, an ingenita; utrumque enim Platonis videtur innuere auctoritas. Generatam esse in primo Timaei, ubi ait: *praestantissima a praestantissimo facta est.* Item in secundo: *universi generis sementem factam.* Non generatam vero in Phaedone, ubi ait: *anima neque nata est, et aeterna est.* Hanc controversiam sic solvunt. Ingenitam, inquiunt, dixit eam ideo quod lege rerum generatarum non utatur, ut videlicet vel naturaliter vel actualiter dissolvatur. Omnia enim generata, praeter mundum et divina, actualiter dissolvuntur; mundus vero et divina naturaliter. Nam licet numquam dissolvantur natura, tamen si conditor vellet, dissolutionem paterentur. Quicquid enim compositum est, illi naturale est dissolvi. Ideo igitur ingenerata dicta est. Generatam vero ideo innuit, quod secundum multos etiam ipsa praejacentem materiam *ὕλην* habuit; quod licet Plato nusquam testetur, nusquam tamen contradicit.

14. Dicebant tamen nonnulli, unam tantum esse animam, id est mundanam, solam omnia vegetantem, et unicuique pro sua habilitate vires conferentem; stellis videlicet, quas divinam formam, id est rotundam, habentes invenimus, et hominibus, qui soli inter caduca sphaerico capite divinam formam imitantur, rationem et sensualitatem; licet prae nimia contemplatione divina anima sensualitatem non multum exerceat; ceteris vero animantibus sensum et vegetationem, arboribus et herbis tantum vegetationem. Et sicut unus

vultus in pluribus speculis, vel in uno speculo vultus plures apparent; ita animam in rebus diversis eandem esse, et ubique vires habere, licet in diversis pro corporum habilitate diversum habeat exercitium. Secundum quam sententiam nullus moritur, videlicet ut separationem animae patiatur, quia eam dicunt numquam a quatuor elementis separari, in quae omnia corpora resolvuntur. Sed tunc dicitur mori aliquis, quum in illo anima priorum relinquit virium exercitium. Anima enim quum in omnibus, ut diximus, corporibus parem, quantum ad se, habeat potestatem, in aliquibus tamen, mole corporis impediente, eam exercere non potest. Dicebant alii, mundanam eandem animam pariter cum humana anima in homine esse, et de ea vermes in homine vivificari; sicque eundem hominem duas animas habere asserebant.

15. Nonnulli etiam sunt, qui humanas animas, ab exordio mundi factas, et in compares stellas tamquam in vehicula locatas dicunt, donec quotidie incorporandi studio descendant. Nam ab Abelica virtute se argumentum habere arbitrantur, quod dicitur: *Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*; id est animae, ut ajunt, quae corporibus natis de sanguine Abel erant incorporandae. Ideo enim, inquiunt, clamabant, quia perfectam beatitudinem in corporibus mereri volebant. Majoris enim auctoritatis dicebant animam, quae bonis meritis afficitur in vita, quam quae non incorporatur. Sed superfluum nihil facit deus; unde et haec sententia frivola judicanda est. Hi vero qui, ut supra diximus, animam esse partem divinae essentiae dicebant, ab illo loco trahunt, ubi dicitur: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae.* Haec autem, ajunt, particula non rediit amplius, ut cum deo uniretur; unde et peccare potest. Hi ergo de deo agunt tamquam localis et divisibilis sit. Asserunt de angelicis substantiis alii, alii de traduce semine animas nasci; ut sicut scissum est corpus filii de substantia patris, ita putetur et anima provenire; trahuntque argumentum a consimilitudine morum. Est autem indubitatae fidei, nec hinc nec inde animas nasci vel creari, nec aliunde adduci, sed simul cum ipso corpore nasci. Et est tempus quoddam determinatum post conceptionem seminis, quod in corpus humanum redigitur, quo nascitur anima cum corpore.

16. Animae autem duae sunt vires, una superior, altera inferior. Animae superior vis caelestibus adhaeret et incorruptibilibus, et illa concupiscit, vocaturque rationalitas, spiritus, domina, mens, animus. Inferior est, quae voluptatibus corporis consentit, vocaturque sensualitas, animalitas, famula, mens. Estque superioris, ut inferiorem regat. Sed

aliquando ex neglegentia superioris praevalet inferior, et seducit superiorem. Est etiam in hac figura Adam et Eva. Si enim Adam superior se ratione rexisset, non illum Eva inferior seduxisset. Hinc est, quod philosophi rationem magis et opinionem, quam veritatem exequentes, detrimenta animae hoc modo et poëtice inquirunt et se deprehendere putant. Si anima aeterna est, ajunt, et summi spiritus pars (omnes enim in anima deo similes facti sumus), qua ratione in corpore non totum videt, nec tantae est vivacitatis, ut omnia possit agnoscere? Quia, inquiunt, quum coepit in corpus descendere, potat stultitiam et oblivionem. Unde non potest post naturae suae oblivionem numinis sui vim adimplere. Quae autem illa sit oblivio, superius expressimus. Ut igitur in poëticis iterum philosophicisque versemur, anima de caelo descendens obliviscitur secundum poëtas praeteritorum, secundum philosophos futurorum. Unde Virgilius medium tenuit, dicendo: *Oblivia potant.*

17. Sane de reditu animarum ingens apud philosophos expositio est; quomodo videlicet, vel quare, postquam corpore exutae fuerint, tam sontium, secundum nonnullos eorum, quam innocentium animae ad astra referantur, ut aut pro vitae pretio optima mercede aeternae lucis donentur, aut pro male commissis ab ipsis stellis projiciantur vel consumantur, non ita ut pereant, sed ut affligantur. Unde idem Virgilius hic quoque non absurdus;

Scilicet huc reddi, deinde huc resoluta referri
Omnia; nec morti esse locum, sed viva volare
Sideris in numerum, atque alto succedere caelo.

Et Lucanus:

Innocuos vita patientes aetheris imi
Fecit, et aeternos animas collegit in orbes.

Nec mirum, quum in originem suam redire omnia manifestum sit. Nihil enim, quod perire funditus possit, quum sit secundum philosophos τὸ πᾶν, id est *omne*, in quod redeunt universa. Res autem, quae mors vocatur, ut ait Servius, non est mors, sed solutio, quippe quae nihil perire facit. Unde mire a plerisque interitus dicta est, quasi res interveniens et mixtarum rerum connexionem resolvens, quaque nec ipsis corporibus contingat interire, quum non pereant, sed in elementa solvantur.

18. De purgatione vero animarum mire sentiunt, ut Virgilius testatur, dicens:

——— *Aliae panduntur inanes*
Suspensae ad ventos; aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Ibi enim et poëticam servat, et a philosophia non recedit.

Nam triplex est secundum philosophos animarum purgatio. Aut enim in terra purgantur, quod videlicet corporalibus blandimentis deditae, variis fuerant sordibus oppressae, id est in corpora terrena transeunt; et hae igni dicuntur purgari; ignis enim, quo omnia exuruntur, de terra est; nam caelestis nihil perurit; aut in aqua, id est in corpora transeunt marina, si paulo melius vixerint; aut certe in aëra transeundo, id est aëria corpora suscipiendo, si satis bene vixerint. Quod ergo in Statio etiam legimus, ubi de auguriis tractat. Inde etiam in sacris omnibus tres istae compurgationes sunt. Nam aut taeda purgantur vel sulphure, aut in aqua abluuntur, aut in aëre ventilantur; quod in sacris Liberi patris fieri consuevit. Unde est; — *tibique*

Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.

Nam et hoc genus erat purgationis. In ipsis etiam purgationibus bonum Virgilius secutus est ordinem meritorum, ut primum aëriam, inde aquae, post ignis diceret purgationem. Ajunt etiam, eas animas, quae male vixerint, statim ad incorporationem redire; quae melius, tardius; quae optime, cum numinibus diutissimo tempore esse. Quod autem addit Virgilius: *Quisque suos patimur manes*, sive supplicia varia relinquit intelligi, quae sunt apud manes (ut si quis dicat: *judicium patimur*, id est ea quae in judicio continentur), sive aliud quid juxta Servium verius est. Nam quum, inquit, nascimur, duos Genios sortimur; unus est, qui ad bona hortatur, alter, qui depravat ad mala. Nec incongrue dicuntur Genii, quia quum quis hominum genitus fuerit, ei statim observatores deputantur; quibus assistentibus, post mortem aut asserimur in vitam meliorem, aut condemnamur in deteriorem; per quos aut vagationem, id est ascensionem ad superna, aut reditum mereamur in corpora. Ergo manes Genios dicit, quos cum vita sortimur.

19. Apud Plotinum philosophum tamen et alios non paucos diu quaesitum est, utrum per se mentis nostrae acies, an potius alicujus numinis impulsu ad cupiditates et consilia moveatur. Et primi, qui mentes humanas sponte sua moveri dixerunt, deprehenderunt tamen, ad omnia honesta Genio et numine quodam familiari nos impelli, quod nobis nascentibus datur; prava vero nostra mente cupere nos et desiderare. Nec enim, inquiunt, fieri potest, ut prava numinum voluntate cupiamus, quibus nihil malum placere constat. Unde alibi Virgilius:

— *Dine hunc ardorem mentibus addunt,*
Euryale? an sua cuique deus fit dira cupido?

ac si diceret: O Euryale, diine nostris mentibus cupiditates ingerunt et desideria? an deus fit ipsa mentis cupiditas?

Genium praeterea deum esse naturalem dicit Remigius, qui omnium rerum praeest generationibus. Genio autem indulgere dicimus, quotiens voluptati operam damus. Unde e contrario habemus in Terentio: *Sive defraudans Genium.* Sed nec aliquem esse sine Genio locum voluere priores. Unde in V Aeneidos de angue ab Anchisae tumulo erumpente legitur: *Incertus Geniumne loci.* Nam quod additum est: *famulumne parentis*, ab antiqua duci consuetudine videtur. Fuit enim mos majorum, ut quotiens reges moriebantur, cum his dilecti equi vel servi et una de uxoribus carior incenderentur; inter quas de hoc ipso magna erat contentio. Famulum ergo servum cum Anchise sepultum accipere possumus. Sive per apotheosin eum poëta deum ostendit effectum; unde et famulum ei dat quasi ministrum. Singula enim numina, ut ajunt, superiora inferiores potestates ministras habent, ut Venus Adonem, mater deûm Atin, Minerva Erichthonium, Diana Virbium, Bacchus Marsyam. Aut certe a Pythagorae assertione excogitatum est, qui primus de medulla, quae in spina hominis est, anguem creari deprehendit. Quod et Ovidius in XV metamorphoseon inter Pythagorae dicta commemorat. Anguinam autem Genio plerumque dari speciem novimus. Ut Persius: *Pinge duos angues.* Angues enim in penetralibus tectorum repertos minus periti, ut innuit Servius, togatorum daemones esse putabant, quos Latini, inquit, Genios vocant.

20. Quod autem per novem circulos infernum distribuit Virgilius, dicens, primum tenere animas infantum, secundum esse eorum, qui per simplicitatem sibi adesse nequiverunt, tertium, qui vitantes aerumnas se necaverunt, quartum eorum, qui amarunt, quintum virorum fortium, sextum nocentium, qui a judicibus puniuntur, septimum, in quo animae purgantur, octavum animarum jam purgatarum, ut redeant, nonum campum Elysium, a quo animae non revertuntur; vel totum fabulosum est, vel, ut ait Servius, subtilissime adinventum. Qui enim, inquit, altius de mundi ratione quaesiverunt, intra hos novem mundi circulos inclusas dicunt esse virtutes, id est potestates minori perfectione praeditas; daemones videlicet, in quibus et iracundia sit et cupiditas, de quibus tristitia nascitur, id est Styx. Ab his igitur et intra haec claustra puniri manifestum est omnes animas, quae puniuntur. Unde dicunt, novem esse circulos Stygis, qui inferos cingunt, id est terram; daemones scilicet et ipsorum habitacula. Alias enim dicunt esse purgationes extra hos circulos, potestates bona tantum administrantes, nec vim ullam alicui inferentes. Nam illa Fulgentii de his circulis commenta subtilia quidem, sed tradi indigna judicavi, quippe

quae moralitatem pravam concilient, physicas vero opiniones minime sapiant. Quod vero introitum inferorum cuilibet noctes atque dies patere, exitum vero difficilem esse legimus, aut poëtice dictum est, aut ab illorum opinione descendit, qui omnes animas descendere quidem et incorporari posse, bene viventium vero animas superiores circulos, id est ad originem suam facile redire; quod Pompejo attribuit Lucanus. Male viventium autem diutius in his pro mutatione diversa commorari corporibus, et sic apud inferos semper esse contendunt. Solos enim saepe redire posse innuit Virgilius, quos diligit Juppiter, hoc est, quos in ortu benignus siderum aspectus irradiat. Unde Juvenalis:

——————— *distat enim quae*
Sidera te excipiant modo primos incipiente
Edere vagitus ———————

quos prudentia sublevat, id est, *quos ardens evexit ad sidera virtus;* et religiosos, quos a diis genitos dicit. Consequens enim est, ut deorum soboles religionibus vacet.

21. De Tantalo, qui apud inferos punitur, habet fabula, quod Corinthiorum rex fuerit, amicus numinibus. Quae quum frequenter susciperet, et quodam tempore defuissent epulae, filium suum Pelopem occisum diis epulandum apposuit. Tunc abstinentibus cunctis Ceres humerum ejus glutivit. At quum eum ad superos dii per Mercurium revocare vellent, eburneus ei humerus est restitutus. Ideo autem Ceres dicitur comedisse, quia ipsa est terra, quae corpora resolvit. Per Mercurium vero ideo fingitur revocatus, quia et ipse est secundum quosdam deus prudentiae, per quam philosophi palingenesiam, id est *iteratam generationem,* vel *μετεμψύχωσιν,* id est *transitionem animae* deprehenderunt. *Πάλιν* namque *iterum,* *γένεσις generatio*; item *μετὰ trans, ψυχὴ anima* interpretatur. Tantalus autem hac lege apud inferos damnatus dicitur, ut in Eridano, inferorum fluvio, stans, neque undis praesentibus, nec vicinis pomariis perfruatur. Per hunc igitur avaritia designatur. Unde et Tantalus dicitur, quod interpretatur *visionem volens.* Avarus itaque, fruendi usu destitutus, rerum suarum pascitur visione. Sane Eridanum, in quo stare fingitur, in caelo Aratus esse dicit, haud longe a signo, quod Cetum dicitur. Sed et in terris est, in Venetia scilicet, quae Italiae pars est, Padusque vocatur. Hunc alii ad inferos tendere, alii apud inferos nasci et e terris exire volunt. Quae ideo finguntur, quia de Apennini parte oritur, quae spectat inferum mare Tyrrhenum scilicet, quod ab occidente cingit Italiam, et tenditur usque ad superum, Adriaticum scilicet, quod est ab oriente.

22. Cerberum tricipitem, quem Plutonis subjiciunt pedibus, qui etiam *carnes vorans* interpretatur, odium quod triplici diversitate in terris exercetur intelligunt. Est enim odium aliud naturale, ut hominum et serpentum; aliud causale, ut quod ex illata injuria commovetur; aliud casuale, ut quum pro uno verbo saepe incurritur odium nisi componatur. Nonnulli Cerberum terram tripartitam, id est Asiam, Africam, Europam accipiunt. Quae terra sorbens corpora, animas mittit ad Tartara. Quae de eo alii sentiant, dicemus inferius. Notandum autem, singulos trium fratrum similia ex parte habere insignia. Habet enim Juppiter trifidum fulmen, Neptunus tridentem, Pluto trium capitum canem. Nec immerito. Tria namque haec numina, licet divisa teneant imperia, totius tamen regni communem habere putantur potestatem, sicut et ipsa quae possident elementa, physica inter se quadam ratione junguntur. Unde supervacue notatur, quod in primo Aeneidos de alienis conqueritur Neptunus elementis, dicens:

Jam caelum terrasque meo sine numine venti
Miscere ——

23. Tres item Furiae Plutoni deserviunt, id est in terris exercentur. Harum secundum Fulgentium prima Alecto, *impausabilis*, secunda Tisiphone quasi *τούτων φωνή, istarum vox*, tertia Megaera quasi *μεγάγη ἔρις, magna contentio* interpretatur. Primum enim, inquit, est non pausando furiam concipere, secundum in vocem erumpere, tertium jurgium protelare. Alii tamen Megaeram secundam, Tisiphonen tertiam volunt, quam etiam vel similiter vocem istarum, vel ultionem mortis interpretantur, asserentes itidem, primum esse post quietis perturbationem iram ardentem incurrere; secundum post irae commotionem multam proferre contentionem; tertium post jurgia et iram malivolentiam tantum et detractionem exercere, vel ultionem et poenam consequenter irrogare. Tria etiam Fata, quae per antiphrasin, quod nulli *parcant*, Parcas appellamus, eidem Plutoni destinamus. Harum, secundum Servium, una loquitur, altera scribit, tertia fila deducit. Secundum Homerum una colum bajulat, trahit altera, tertia rumpit. Has, licet exceptrices et librariae Jovis sint, quod summi scilicet dei dispositiones ad effectum ducunt, Plutoni tamen ob hoc ministras damus, quia earum in terris maxime officia videntur. Interpretatur autem Clotho *evocatio*, Lachesis *sors*, Atropos *sine ordine*; per quae nomina tota humanae vitae innuitur dispositio. Evocantur enim primo homines ex non esse in esse, sive de matris utero in lucem; deinde sors, qualiter cuique vivendum sit, succedit; postremo mors vitae finem importat; quae ideo sine

ordine dicitur, quod nullam observans dignitatem, nulli parcens aetati, indifferenter omnia ad se trahit.

24. De geminis somniorum portis, altera verorum, altera falsorum, quas apud inferos constituimus, philosophia haec habet. Per portam, inquit, corneam oculi significantur, qui et cornei sunt coloris et ceteris membris duriores; quippe qui nec frigus sentiunt, sicut Cicero in libro de Deorum Natura testatur. Per eburneam vero portam os significatur cum dentibus. Scimus autem, quod quae loquimur, falsa esse possunt, ea vero quae videmus, maxime vera sunt. Idcirco Aeneas, qui poëtice et in infernum intromissus est, et inde emissus, per eburneam portam egressus est. Est et aliud, quod inde sumitur. Somnium novimus cum cornu pingi; et qui de somniis scripsere, ea quae secundum fortunam et per possibilitatem videntur, effectum saepissime habere dicunt. Et haec, ajunt, visa sunt cornu; unde verorum cornea fingitur porta somniorum. Ea vero, quae sunt supra fortunam et nimium ornatum variamque habent jactantiam, falsa esse confirmant. Unde eburnea quasi ornatior porta falsis datur. Porphyrius tamen earum descriptionem portarum, ut ait Macrobius, ab Homero traditam latius et aliter exequitur. Latet enim, inquit, omne verum; sed tamen anima quum ab officiis corporis somno ejus paululum libera est, interdum aspicit, interdum intendit aciem, nec tamen pervidet; et quum aspicit, non tamen libero et directo lumine videt, sed interjecto velamine, quod nexus naturae caligantis obduxit. Et hoc in natura Virgilius esse asserit, dicens:

Aspice; namque omnem, quae nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi, et humida circum
Caligat, nubem eripiam ——

Hoc velamen quum in quiete usque ad verum aciem animae introspicientis admittit, de cornu creditur, cujus ista natura est, ut tenuatum visui fiat pervium. Quum autem a vero hebetat ac repellit intuitum, ebur putatur, cujus corpus ita densum est natura, ut ad quamvis extremitatem tenuitatis erasum, nullo visu ad interiora tendente, penetretur. Nubem autem illam Servius nebulam de terris ortam, quae nostris obsit obtutibus, relinquit intelligi. Unde, inquit, aquila, quia supra nebulam est, plus videt. Somnia vana sub foliis refert haerere Virgilius, quia qui de somniis tractarunt, quo tempore folia de arboribus cadunt, vana esse somnia dixerunt.

25. Somnia et Soporem, Bellum et Timorem, Luctum et Egestatem, ceteraque similia, aditum dicunt obtinere inferorum; quod haec aut morti vicina videntur, aut post mortem creantur, aut in morte sunt. Et merito apud inferos ista esse finguntur, quia in quem ista cadunt, sit mortalis necesse

est. Unde deos immortales dicimus, quia ista non sentiunt. Sed Centauros et Scyllas, Gorgonas et Harpyias, aliaque prodigiosa, ideo juxta Servium stabulari dicuntur in foribus, quia quae contra naturam creantur, statim pereunt. Porro nonnulli inferos sub terra esse voluerunt, a cosmographis et geographis argumentum se habere existimantes, qui terram sphaericant, et aqua et aëre sustentari dicunt. Quod si est, potest navibus ad antipodas perveniri, qui, quantum ad nos spectat, inferi sunt, sicut nos illis. Hinc et Aeneae in inferno dictum putant: *Pelagine venis erroribus actus?* Tiberianus etiam inducit epistolam vento allatam, quae habet: *Superi inferis salutem.* Qua occasione tractat reciprocum hoc. Nam prudentiores animas quasi per *μετεμψύχωσιν* ad alterius climatis corpora transire, nec in eo orbe versari, in quo prius fuere, tradiderunt. Unde Lucanus. *Regit idem spiritus artus orbe alio.* Sane *μετεμψύχωσις* juxta Platonem et Aristotelem sexum nunc servat, nunc mutat. Unde et Caeneus post mortem in sexum rediisse dicitur. Fuit autem Caeneus virgo, quae a Neptuno turpi praemio meruit sexus mutationem. Fuit etiam invulnerabilis, qui pugnando pro Lapithis contra Centauros crebris ictibus fustium paulatim in terra fixus est. Veri simillimum igitur mihi videtur, Caeneum juvenem magnanimum extitisse, qui quum in tenera aetate nihil inter compatriotas viriliter egisset, mari peregre delatus, multo sibi labore ac virtute nomen maximum comparavit. Virtus autem quantalibet numero cedit.

26. Plutoni nigrae pecudes immolantur, quia victimae numinibus aut per similitudinem, aut per contrarium decernuntur. Per similitudinem, ut nigrum ipsi pecus; per contrarietatem, ut porca, quae frugibus obest, Cereri; ut Aesculapio capra, quia est deus salutis, quum capra numquam sine febre sit; ut Priapo asinus, quod turpitudinem ejus cum Nympha quadam coëuntis ruditu indicavit. Fuit autem Priapus, ut refert Servius, de Lampsaco, civitate Hellesponti, qui ob virilis membri magnitudinem a civibus ejectus est. Postea tamen in numero deorum receptus meruit esse numen hortorum. De hoc Horatius:

——————— Nam fures dextra coërcet —
Obcoenoque ruber porrectus ab inguine palus —
Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa —

Hortis autem merito praeesse dicitur propter eorum fecunditatem. Nam quum aliae terrae semel in anno aliquid creant, aliqui horti numquam sine fructu sunt. Sed et matronarum deus extitit, quarum, ut ajunt, factione inter deos relatus est. Sciendum autem, quod quum numinibus ceteris varie

pro qualitate regionum sacrificetur, ut Veneri Paphiae tantum de thure; unde est:

——— *Haud equidem tali me dignor honore,*

Genitrici vero, id est Romanae, etiam de victimis, Libero ubique caper immolatur. Quod vero lacte et sanguine ad tumulum animas eliciebant, haec causa est. Lacte corpus nutritur; post animae conjunctionem et anima sine sanguine numquam est; quo effuso recedit, Legimus praeterea, insepultorum animas vagas esse; reddita autem legitima sepultura, eas ad quietem sepulcri redire. Quas Stoici, id est divisi medium secuti, tamdiu durare dicunt, quamdiu durat et corpus. Unde Aegyptii periti in sapientia condita diutius reservant corpora, ut anima multo tempore perduret et corpori sit obnoxia, nec cito ad alios transeat. Romani vero contra faciebant, comburentes cadavera, ut anima statim in generalitatem, id est in naturam suam rediret.

27. Ideo autem Stoicos medium sequi diximus, quia Plato perpetuam dicit animam, et ad diversa corpora facere transitum statim pro meritis prioris vitae. Pythagoras vero non translationem, sed palingenesiam esse dicit, hoc est redire quidem, sed post tempus. Praeterea a Stoicis animam aeque cum corpore durare asserentibus, alii dissenserunt, dicentes, animas cum corporibus non perire, sed corporibus quidem delectari, et cum ipsis, quamdiu inde superest aliquid, immorari; ideoque cadavera aromatibus condiri, quatenus multo tempore durantia, animae suam non subtrahunt delectationem. Neque enim verum est, animam deserere corpus, quum potius corpus animam deserat. Hinc et Simonides poëta et Statius itidem in octavo Thebaidos:

——— *Odi artus, fragilemque hunc corporis usum*
Desertorem animi.

De eo autem, quod mortui et calida aqua abluebantur et per intervalla conclamabatur, Plinius in Naturali Historia rationem reddit, dicens, spiritum vitalem plerumque solere exclusum putari, et homines fallere. Denique refert, quendam superpositum pyrae adhibitis ignibus erectum esse, nec potuisse liberari. Unde et servabantur cadavera septem diebus et calida abluebantur aqua, et post ultimam conclamationem comburebantur. Unde traxit Terentius: *Desine, jam conclamatum est.* Mos etiam erat, ut si quis procul a domo sua extingueretur, ad domum suam referretur (unde Virgilius: *Sedibus hunc refer ante suis*), et itidem ibi septem diebus servaretur, octavo incenderetur, nono denique sepeliretur. Unde Horatius:

Novendiales dissipare pulveres.

Inde etiam ludi, qui in honorem mortui celebrabantur, no-

vendiales dicuntur. Sciendum quoque, quod in domo sua sepeliebantur. Unde et haec consuetudo primum orta est, ut dii penates in domibus colerentur.

28. Cupressus vero funeribus adhibita est juxta Lactantium, quia incestatas familias Romani hac notabant; vel quod sterilis arbor mortuis accommodata judicata est; vel quod in tutela fuerit inferorum; vel magis juxta Servium, quia caesa non repullulat, sicut nec mortuus reviviscit; vel quod propter eam funesta ostenditur domus. Unde et atra, quod atratos significet lares, vocatur; sicut laetos festae indicant frondes lauri, olivae et similium. Nam Romani moris fuerat, ramum cupressi ante domum funestam poni, ne quis pontifex per ignorantiam pollueretur ingressus. Polluti enim funere, sacrificare vetabantur. Quod si contigisset, ut uno eodemque tempore funestaretur quis, et operam sacrificiis dare cogeretur, laborabat, ut ante sacra compleret, quam funus agnovisset. Unde quum pontifex quidam, ut in Livio habemus, Capitolium esset dedicaturus, et ab inimicis ei filius nuntiaretur extinctus, ne pollutus dedicare posset, respondit: *cadaver sit;* nec voluit funus agnoscere, donec templa dedicasset. Hinc Aeneae, morte Palinuri funestato, non quod eum mortuum vidisset, sed quia funus ejus agnoverat, et inde doluerat, unde et:

— *casusque animum concussus amici*,

(ipsa enim impiant, quae agnoscimus et de quibus dolemus), flumina ad se expiandum priusquam ad sacra accedat, in sexto Aeneidos monstrantur. Secundum eundem etiam ritum in undecimo inducitur ante sacris operam impendere, et sic ad sociorum sepulturam reverti. Varro tamen dicit, pyras cupresso circumdari propter gravem ustorum cadaverum odorem, ne offendatur populi circumstantis corona, quae tamdiu stabat respondens fletibus praeficae, id est principis planctuum, quamdiu consumto cadavere et collectis ossibus novissimum verbum, id est *ilicet*, quod *ire licet* significat, diceretur. Nam *vale* dicebatur post tumuli quoque peracta solemnia. Porro praeficae dictae sunt principes planctus, non doloris. Nam funeras quasi *funereas* appellabant, ad quas funus pertinebat, ut matrem, sororem, amitam, materteram. Unde mater Euryali: *Nec te tua funera mater* —

29. Vale vero mortuis dici asserunt, non quod valere aut salvi esse possint, sed quia ab his discedimus, numquam eos visuri. Hinc ortum est, ut et maledicti significationem vale obtineat, ut Terentius: *Valeant, qui inter nos discidium volunt;* hoc est, ita a nobis discedant et pereant, ut ad nostrum numquam revertantur aspectum. Sic Virgilius: *Vivite silvae.* Nam quod alibi *vivite felices* ait, bene

optantis, non maledicentis est. Sunt autem haec maledicta per contrarium inventa, ut sit quasi salva veneratio. Ergo quum mortuo vale dicitur, non etymologia, sed consuetudo consideranda est, quia nulli vale dicimus, nisi a quo separamur. Apud varias etiam gentes diversa fuerunt genera sepulturae. Alibi enim obruebantur, alibi exurebantur, alibi primas remittebantur ad patrias, alibi etiam per diem, alibi per noctem. Namque Heraclitus, qui omnia vult ex igne constare, dicit, debere corpora in ignem resolvi. Thales Milesius, qui omnia ex humore creari confirmat, corpora ut in humorem resolvantur, obruenda contendit. Sane apud antiquiores mos erat in sepulcris virorum fortium captivos necare; quod et apud Homerum in Patrocli exequiis completum legimus, et Virgilius in Pallantis funere commemorat. Id autem ubi nimis crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulcra dimicare, qui a bustis *bustuarii* dicti sunt. Nec mirum, inferis, id est inferorum sacris, qui utique noxii sunt, crudelia exhiberi. Nam et Varronis opinio est, ideo mulieres in funere ora lacerare, ut inferis ostenso sanguine satis fiat. Inde et eos manes per antiphrasin a poëtis dictos esse legimus; manum enim bonum est. Unde juxta Servium: *Mane; quid enim*, inquit, *melius?* Sed et immanis inde dictum est.

30. Atqui de manibus quid, vel quomodo, vel unde, vel ubi, vel sicubi sint, variae habitae sunt opiniones, et oppositissimae reperiuntur traditiones; quas quia omnes incertitudinis sensi plenissimas, nullam pro certa asserendam censens, ad vulgariora recurro. Ac primum quia de funeribus egimus, ne nominum, quorum abusu confundimur ignoraveris proprietatem, funus juxta Servium proprie est jam ardens cadaver; quod dum portatur, exequias dicimus; crematum, reliquias; conditum jam, sepultum. Plutoni, sicut aliis numinibus, capite veluto sacrificabatur. Quod ideo in omnibus sacris observatum est, ne se inter religionem aliquid vagis offerret obtutibus, exceptis tamen Saturnalibus, ne numinis imitatio videretur. Hinc in tertio Aeneidos Helenus:

Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum
Hostilis facies occurrat et omnia turbet.

Interrumpi enim sacra, piaculum erat. Unde Virgilius in octavo: *Audax quos rumpere Pallas sacra vetat.* Denique quum ludi Circenses Apollini celebrarentur, et quod Hannibal urbi circa Collinam portam ingrueret quum nuntiaretur, omnes raptis armis occurrerunt. Reversi postea quum piaculum formidarent, senem quendam in Circo saltantem invenerunt. Qui quum interrogatus, *se non interrupisse saltationem* respondisset, hoc proverbium dictum est;

bustum (non obsol. burro = uro

Salva res est saltante sene. Sed nec differri sacra anniversaria licebat, quia nec iterari ex lege poterant. Unde idem in eodem: *Annua, quae differre nefas.* Nam sacra calendaria si qua fuissent ratione dilata, licenter repetebantur, nec piaculum eorum intermissione committebatur. Porro in ratione sacrorum par est et animae et corporis causa. Nam plerumque quae circa animam fieri nequeunt, circa corpus exhibentur, ut solvere vel ligare; quo possit anima, quod per se non potest, ex cognatione sentire. Inde est:

Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta.

In sacrificio enim aliquid religatum esse nefas erat. Sic Helenus apud Virgilium vaticinaturus vincula corporis cuncta resolvit, ne qua parte animo religato ad numen accedat. Hoc autem in ipsis tantum sacris servatum est. Nam ante sacrificia ligari licuisse victimas Juvenalis ostendit, dicens:

Sed procul extensum petulans quatit hostia funem.

Sciendum etiam, in sacris simulata pro veris haberi. Unde quum de animalibus, quae difficile inveniuntur, est sacrificandum, de pane vel cera fiunt, et pro veris accipiuntur. Inde est:

Sparserat et latices simulatos fontis Averni.

Nam et in templo Isidis aqua sparsa de Nilo esse dicebatur.

31. Atqui in ritibus sacrorum multa habebatur diversitas et mire superstitiosa curiositas. Diis inferis sacrificantes aqua aspergebantur, ut:

Spargens rore levi et ramo felicis olivae —

superis abluebantur, uti: *Donec me flumine vivo abluero.* Diis superis tantum libabant, ut:

Aulai in medio libabant pocula Baccho.

Inferis vero libantes etiam vasa in ignem mittebant, ut: *Fuso crateres olivo*; quod et Statius in Archemori sepultura commemorat. In inferorum veneratione numerum parem, qui posterioris juxta arithmeticos dignitatis est, servabant, ut: *Ecce duas tibi, Daphni;* in superorum imparem, ut: *Numero deus impare gaudet.* Sed et diis aliis facto scrobiculo, aliis super terram, caelestibus vero extructis focis sacrificabant; unde et altaria proprie nominata sunt. Sunt tamen superorum et arae et altaria; inferorum tantum arae. Dicta est autem ara a precibus, quas Graeci ἀρὰς vocant. In sacris etiam supernis vina fundebant, ut: *Media inter cornua fundit;* in inferis invergebant, ut: *Frontique invergit vina sacerdos.* Est autem *fundere* supina manu libare; *invergere* vero conversa in sinistram partem manu ita fundere, ut patera convertatur. Haec vero non sacrificia

erant, sed ad victimarum pertinebant explorationem. Si enim non stuperent, aptae videbantur.

32. Vittis etiam victimae coronabantur, et salsa fruge, id est sale et farre mixtis (quae mola salsa vocabatur) frons victimae et foci aspergebantur et cultri. Fiebat autem de horna fruge et horno sale; ut Horatius: *Horna fruge* etc. Obliquum etiam cultrum a fronte victimae usque ad caudam ante immolationem ducere consueverant. Unde est: *Tempora ferro summa notant pecudum.* Atque erant hae quoque probationes, utrum deo dedicatum animal sacrificio aptum esset, si videlicet omnia patienter ferret, ut:

Et statuam ante aras aurata fronte juvencum;

id est auro ornata, sicut nonnumquam fiebat. Et alibi:

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.

Quotiens enim victima reluctabatur, se improbari ostendebat; ut Lucanus: *Discussa fugit ab ara taurus.* Setas etiam, de capite hostiae ante immolationem vulsas, aris prima libamina imponebant; sicque jam victima immolationi praesignabatur; unde est: *Signata capita.* Sacrificabant autem, quum animales darent hostias, aut de integris victimis, ut:

Et solida imponit taurorum viscera flammis,

id est holocaustum, quod de tractis extis aris superimponebatur, quae nonnumquam abluta et elixa etiam ipsa reddebantur; unde et ibidem dictum est: *Fundens ardentibus extis;* aut de parte corporis, ut: *Extaque salsos projiciam in fluctus;* aut de sanguine tantum in aras fuso, ut: *Sanguinis et sacri pateras.* Moris etiam sacerdotalis erat, ut plerumque aliis cultros subter tenentibus, alii victimas super impingerent, ut sic interirent. Unde est: *Supponunt alii cultros*, id est jugulant hostias. Fuit autem hoc verbum sacrorum, in quibus mali ominis verba vitabant. Hinc et *macte*, quod magis aucte significat, dicebatur. Quotiens autem aut thus addebatur, aut vinum super animal fundebatur, dicebatur: *Macta est hostia vino et thure*, id est cumulata et magis aucta. Qua de re hoc traxit poëta:

Macte puer virtute nova, sic itur ad astra;

id est affectata gloria magis adaucte. Et alibi:

Macte animi, tantis dignus qui crederis armis.

Reddere etiam verbum legimus sacerdotale fuisse, ut:

Lancibus et pandis spirantia reddimus exta.

Reddi enim dicebantur exta, quae probata et elixa arae superponebantur. Cavebatur autem, ne oves immolandae caudam haberent maculatam, nec linguam nigram, nec aurem fissam. Unde lectas ubique bidentes in sacris legimus appellatas; in sacra enim non admittebantur, nisi quibus nihil deesset. Sic et de bobus dictum est: *Nunc grege de intacto* etc.

Sunt autem bidentes juxta Servium quasi *biennes* dictae, quia nec minores aut majores licebat immolare. Sunt etiam in ovibus quibusdam duo dentes eminentiores inter octo, qui nonnisi circa bimatum apparent; et hae solae sacrificiis aptae putabantur. Proprium autem epitheton ovibus dabant lectis, porcis eximiis, bobus intactis, id est indomitis, juga nulla passis.

33. Ad haec juxta ritum sacrorum, quum priora sacrificia displicuissent, quod plerumque ex prodigiis statim sequentibus judicabatur, sacra diligentius repetebantur. Unde post Harpyiarum molestationem apud Virgilium legitur: *Arisque reponimus ignem.* In renovatione vero sacrorum simulacra moveri solebant. Unde Horatius: *Non ego te, candide Bassareu, invitum quatiam*; et Virgilius: *Commotis excita sacris Thyas.* Atque sciendum, quod ei sacrabatur numini locus, cujus sacrum in medio collocabatur. Alia enim si apposita sunt, ad ornatum tantum pertinebant. Unde idem alibi Virgilius:

In medio mihi Caesar erit templumque tenebit;

id est, ei templum consecrabo. Nam quod ait *in medio*, ejus fore templum significat. Quod adjunxit *templumque tenebit*, verbo pontificali usus est. Qui enim templum dicabat, postem tenens, dare se dicebat numini, quod ab illo necesse foret jam teneri, et ab humano jure discedere. Sed et Romani legimus moris fuisse, ut bella gesturi de parte praedae aliquid numinibus pollicerentur; adeo ut Romae unum templum fuerit Jovis Praedatoris, non quod praedae praesit, sed quia ei ex praeda aliquid dabatur. Unde hoc traxit Virgilius:

Irruimus ferro, divosque ipsumque vocamus
In partem praedamque Jovem.

De pugna quoque venientes nonnumquam victores cum multitudine populi obvia ad numina minora ibant, et ibi, quia hostes fugaverant, cum gratiarum actione et gaudiorum exhibitione oves immolabant. Unde et ovans dictum est; nam ovatio proprie erat minor triumphus. Ovationem enim qui meruerat, et uno equo utebatur, et a plebejis vel equitibus Romanis ad templum deductus, de ovibus sacrificabat. Qui autem triumphabat, albis equis quatuor utebatur, et senatu praeeunte in Capitolio tauros mactabat.

34. Pro qualitate etiam numinum orantes interdum ima, interdum summa respiciebant. Nam potestates, ut diximus, aliae caelestes sunt, aliae terrestres, aliae permixtae. Hinc est, quod Apollinem deprecantes (qui, ut diximus, etiam inferorum deus est; unde et adyta ei dantur) humo assternebantur; ut: *Summissi petimus terram.* Iovem

vero venerantes stabant, oculosque ac manus ad superna erigebant. Inde est:

At pater Anchises oculos ad sidera laetus
Extulit, et caelo palmas cum voce tetendit.

Ore favete inter supplicationes dicebatur, quod hic sermo et sacrificiis et ludis aptus visus est. In sacrificiis enim taciturnitas, in ludis necessarius favor est. Favet autem quis ore etiam per taciturnitatem. Hinc traxit Horatius: *Favete linguis.* Sane infula, qua sacerdotes in sacris ornatos legimus, fascia erat in modum diadematis, a qua vittae ab utraque parte dependebant; quae plerumque fuit tortilis de albo et cocco. Apex vero, quo itidem usi memorantur, proprie dicta est in summo sacerdotis pileo virga lanata, hoc est, in cujus extremitate modica lana erat; quod primum constat apud Albam Ascanium statuisse. Ferebatur autem vel ad ostendendum sacerdotii eminentiam, sicut mortuis nobilibus columnae ad significandum eorum culmen superponuntur; vel quia, quum apud Laurolavinium sacrificarent, et exta iis frequenter aves de vicinis venientes lucis abriperent, eminentia virgarum eas absterrere voluerunt. Exinde etiam consuetudo permansit, ut qui apud Laurolavinium sacrificarent, ingentes haberent virgas, non breves, ut in urbe. Hujusmodi tamen pilea quum per aestus nonnumquam ferre gravarentur, filo tantum capita, ne nudis penitus, quod nefas fuerat, capitibus incederent, religare solebant. Unde et a *filo*, quo utebantur, flamines quasi *filamines* dicti sunt. Verum festis diebus, filo deposito, pilea accipere necesse erat. Atque de his hactenus.

35. Quae singulis numinibus victimae et quare decretae sint, ut paulo ante breviter in parte tetigimus, qui ad plenum nosse expetit, pontificum libros otiosus transcurrat. Neque enim vel unimode omnes dii culti, vel eadem omnibus oblata sunt. Singulis enim numinibus certa sunt dona, quae offeruntur. Unde est: *Strueremque suis altaria donis,* id est congruis. Nam et Jovi juxta Romanas caerimonias de tauro sacrificari non licebat; adeo ut, quum Aeneas taurum apud Thraciam Jovi mactasset, monstrum statim de cruentis viminibus legatur subsecutum. Unde juvencus ei immolabatur; taurus vero numquam, nisi aliquando in triumpho. Quod tamen ideo admissum est, quia tunc non tantum Jovi, sed et aliis diis, qui in bello opem ferunt, sacrificabatur. In victimis enim requirebatur, ut certis numinibus certae aetatis animalia mactarentur. Porro ut in religionibus saltetur, haec ratio est, quod nullam majores partem nostri voluerunt esse, quae non sentiret religionem.

Nam cantus ad animum, saltatio ad mobilitatem corporis pertinet. Hinc de Didone legitur:

Aut ante ora deûm pinguis spatiatur ad aras.

Matronae enim et ipsae sacrificaturae circa aras faculas tenentes ferebantur; quod cum quodam gestu fiebat. Unde traxit Salustius: *Saltare elegantius, quam necesse est probae.*

7. Proserpina.

1. Plutoni nuptam Cereris filiam Proserpinam volunt. Ceres ergo *gaudium* interpretatur. Hanc ideo frumenti deam confingunt, quia ubi plenitudo sit fructuum, ibi abundent gaudia necesse est. Proserpinam vero quasi segetem voluerunt, id est per terram radicibus *proserpentem.* Sed et Hecate a Graecis dicitur; ἑκατὸν enim *centum* interpretatur. Hoc nomen sortita est, quod centuplicatum seges proferat fructum. Hanc a Plutone raptam, id est in terra satam, cum lampadibus Ceres inquirere dicitur; unde et lampadarum dies Cereri dedicantur, illa videlicet ratione, quod tempore messis cum lampadibus, id est solis fervore, fructus ad metendum cum gaudio requirantur. Remigius Proserpinam a *proserpendo* vocatam dicit et ideo puellam, quod singulis annis semina nascantur et renoventur. Idem vim herbarum et omnium seminum, quae de terra surgunt, Proserpinam accipit. Denique Cererem quasi *Creerem* a *creando* et *crescendo* nuncupatam dicit, eamque terram, quae omnia creat, sicut et Servius, esse confirmat. Tullius tamen Cererem quasi *Gererem* a *gerendo*, quod fructus *gerat*, prima littera casu immutata, dictam asserit. Flava dicitur propter aristarum maturitatem. Haec dum filiam quaerit, Jove admonente per cibum papaveris dicitur orbitatis oblita. Et revera papaver soporem gignit; quo dum fruimur, licet aestiva annonae aliquando penuria afflicti, maturitatis tamen cunctationem minus graviter ferimus. Alma ab *alendo* dignissime nuncupatur. Suntque ejus propriae caerimoniae, sicut et Liberi orgia. Leges fertur invenisse, quia ante inventum a Cerere, ut ait Servius, frumentum passim homines sine lege vagabantur; quae feritas interrupta est invento usu frumentorum, postquam ex agrorum divisione nata sunt jura. Triptolemum dicitur adamasse, quod is primus in Graecia, sicut in Aegypto Osiris, aratrum et magnam agriculturae partem adinvenit.

2. Juxta Aetnam rapta ejus dicitur filia, quod, ut testatur Lucanus, Sicilia frugum est feracissima. Sane Ceres a Jove meruit, ut Proserpina sex esset mensibus in caelo cum matre, sex apud inferos cum marito; quod fictum

dicimus sive quia post sationem tantundem temporis quasi latent gramina priusquam fructus producant, sive quia, ut dicit Servius, ipsa est eadem quae et Luna, quae toto anno VI mensibus crescit, VI deficit, ut per singulos menses diebus quindenis crescens apud superos, decrescens apud inferos esse videatur; sive, ut ait Fulgentius, ideo apud inferos et superos aequis spatiis Proserpinam, id est Lunam, collocant, quod die lateat, nocte luceat, sicque annum cum sole quasi dimidiare putetur; sive ideo apud inferos est, quod secundum astrologos stellis omnibus humilior currat, et terris praesit, et humorem rebus administret, adeo ut ejus detrimenta et augmenta non solum in terra lapides, sed et animantium cerebra, et quod magis mirum est, etiam laetamina sentiant, quae in lunae crementis ejecta vermiculos hortis parturiunt. Ipsae etiam animalium arborumque medullae cochleaeque marinae et alia non pauca per luminis ejus accessum et recessum detrimenta et augmenta pati existimantur. Dianam quoque eandem in nemoribus volunt, quod arborum et herbarum sucis ex humiditate, quam secundum physicos ex se demittit, simili modo crementa inculcet. Nemoribus etiam praeesse dicitur, quod omnis venatio noctu maxime pascatur, die vero dormiat. Ideo autem Lunam dicit Tullius Dianam nuncupari, quia noctu quasi diem efficiat; ideo autem eam ad partus adhiberi, quod hi aut VII nonnumquam, aut vero plerumque novem lunae cursibus maturescant; qui cursus quia *mensa*, inquit, spatia conficiunt, *menses* nominantur.

3. Porro Endymionem pastorem ob hoc Luna amasse fingitur, quod hic primus cursum lunae deprehendit; unde et XXX annos cum illa dicitur dormisse, quos in hujus rei inquisitione consumsit. Sive ideo pastoris Endymionis amore fertur arsisse, quod nocturni roris humor, quem a luna creari ajunt, animandis herbarum sucis infusus, pastoralibus plurimum prosit successibus. Habet fabula, Actaeonem Dianam se lavantem vidisse, et ab ea in cervum conversum esse, et a canibus suis, eum non agnoscentibus, dilaceratum. Refert tamen Anaximenes in libro, quo de picturis antiquis disseruit, Actaeonem venationem plurimum dilexisse. Qui quum ad maturam pervenisset aetatem, consideratis venationum periculis, quasi nudam artis suae rationem videns, timidus factus est et quasi cor cervi habens. Unde Homerus: *Ebriose, oculos canis habens, et cor cervi.* Sed dum periculum venandi fugeret, affectum tamen canum non dimisit, quos inaniter pascendo omnem substantiam perdidit; ob quam rem a canibus dicitur devoratus. Perdicem quoque primo Dianae, deinde incesto matris suae

amore dicunt intabuisse. Eundemque ajunt usum serrae repperisse. Fuit autem et hic venator, qui item gravem venatui laborem minimumque fructum inesse comperiens, aliosque venatores, utpote Actaeonem, Adonem et Hippolytum ad tristem videns exitum devenisse, priori itidem vitae renuntiavit, et agriculturae operam impendens in ea jugi labore usque ad maciem perductus est. Unde et matrem, id est terram, omnium genetricem, dicitur amavisse. Haec etiam Polycarpe dicta est, quod *multi fructus* interpretatur. Terra enim fructus creat universos. Quia vero cunctis venatoribus de pristinae artis opprobrio detrahebat, serram, id est *maliloquium*, fingitur invenisse.

4. Dianam etiam a *δίκτυς*, quod *rete* interpretatur, Dictynnam nuncupamus, eidemque cum sagittis arcus damus, quia venatores, quibus praeest, his utuntur. Quod vero a luna humiditatem rebus provenire diximus, Remigii videtur auctoritate firmari. Globus enim, inquit, lunae veluti speculum ex rore constare dicitur. Unde et humoribus praeest et susceptum solis splendorem revibrare, id est reddere potest. Dicitur et Luna sistrum habere propter primum mundanae harmoniae tonum, qui a terra usque ad lunam est. Est autem sistrum genus tubae vel organi, quo utuntur tantum Aegyptii, quod in simulacro Isidis pingitur. Est autem Isis, ut ait Servius, Genius Aegypti, qui per sistri motum, quod in dextra gerit, Nili accessus et recessus significat; per situlam vero, quam in sinistra tenet, omnium lacunarum fluentiam ostendit. Sane Isis lingua Aegyptiorum terra est, quam et Isin esse volunt. Alii tamen eam nave de Graecia advectam, in Aegypto regnasse perhibent, eandemque litteras Aegyptiacas primam adinvenisse. Ut autem ad superiora recurramus, per conjugium Plutonis et Proserpinae terrae et humoris ei innati nonnulli intelligunt connexionem. Per Plutonem enim terra, cui praeest, per Proserpinam humor terram fecundans significatur; quae, ut ajunt, bene Proserpina quasi *proserpendo nata* dicitur, quod humor per herbas vel arbores crescentes insensibiliter de terra surgat et iis incrementum conferat. Quod Ceres, quae dea est frugum, Proserpinam quaerere dicitur, fruges, ut perhibent, significat nimiae siccitatis tempore humorem desiderare. Quod Proserpinam poëtae Junonis nonnumquam venerantur nomine, a Stoicorum dogmate descendisse dicimus, qui, ut supra memoravimus, unum esse deum dixerunt, cui nomina variantur pro actibus et officiis. Unde superos deos et inferos iisdem quoque vocabulis appellamus, ut: *Junoni infernae dictus sacer*, id est Proserpinae. Et alibi: *Sacrum Jovi Stygio*, id est Plutoni.

8. Apollo.

1. Primum Jovis filium Apollinem volunt. Hunc diversis nominibus nuncupant et sub variis significationibus frequentissime ponunt. Dicitur Apollo, id est *perdens* sive *exterminans*, quod suo calore omnes herbarum et arborum humores pellere videatur. Dicitur Pythius vel a Pythone serpente, quem secundum fabulam mox natus interfecit, sive a Graeco verbo πύθω, quod *interrogo* interpretatur (ipsum enim interrogabant et consulebant), sive φύτιος, id est *fidem afferens*. Unde et Pythonem sagittis fingitur occidisse, quod omnis falsa credulitas, per tenebras orta, radiorum ejus fulgore destruatur; πειθὼ namque *credulitas* interpretatur. Sol secundum Tullium dicitur, vel quia *solus* ex omnibus sideribus tantus est, vel quia, quum est exortus, stellis omnibus obscuratis, *solus* apparet. Dicitur Lycius a Lycio fano apud Delon maximo; unde Virgilius: *Nunc — Lyciae — sortes;* sive a λύκῳ, id est *lupo*. Sicut enim lupus pecora dilacerat, sic fervore suo omnem sol exsiccat humorem. Hinc et Pan, qui ovium dicitur deus, quod lupos ab ovili arceat, Lycaeus appellatur. Cujus quia casu fecimus mentionem, brevem nec inutilem de eo subjiciamus digressionem.

2. Pan igitur, ut dicit Varro, qui deorum tractat potestates et naturas, deus est naturae, et interpretatur *omne*. Habet enim cornua ad radiorum solis et lunae similitudinem. Rubet ejus facies ad aetheris imitationem. In pectore nebridem habet stellatam ad stellarum imaginem. Pars ejus inferior hispida est propter arbores, virgulta, feras. Caprinos habet pedes propter terrae soliditatem. Fistulam gerit VII calamorum propter harmoniam caeli; καλαύροπα, id est *pedum*, propter annum, qui in se recurrit. Ab hoc constat diversum esse Silvanum, quem tamen publica caerimoniarum opinio pecorum habet et agrorum esse deum. Prudentiores enim eum dicunt esse ὕλην, quam *silvam* interpretatur, id est elementorum, ut vult Servius, faeceem, unde cuncta procreantur, quam ὕλην Latini materiam appellaverunt. De his hactenus.

3. Dicitur Apollo Delius, id est *declaratio*, quod sol omnia illuminat, sive a Delo insula, in qua fingitur natus. De cujus nativitate fabulam, quia apud alios est obscura, censui apponendam, et ut tota res evidentior fiat, ab altiori inchoandam. Ceus itaque Gigas filias duas pulcherrimas, habuit, Asterien et Latonam. Post vitiatam vero Latonam quum ejus etiam sororem Asterien vitiare vellet Juppiter, illa optavit a diis, ut in avem converteretur, versa-

que in coturnicem est; et quum vellet mare transfretare, quod est coturnicum, afflata a Jove et in lapidem conversa, diu sub fluctibus latuit. Supplicante tamen Jovi Latona, levata superferri aquis coepit. Postea quum Juno gravidam, Pythone misso, Latonam persequeretur, terris omnibus expulsa, tandem aliquando ab applicante se litoribus sorore suscepta est, et illic Dianam primo, post Apollinem peperit; qui statim occiso Pythone ultus est matris injuriam. Sane nata Diana parturienti Apollinem matri dicitur praebuisse obstetricis officium. Unde quum Diana sit virgo, tamen a parturientibus invocatur. Haec namque est secundum non paucos Diana Juno Proserpina. Nata igitur numina terram sibi natalem errare non passa sunt, sed eam duabus insulis religaverunt. Veritas vero longe alia est. Nam haec insula quum terrae motu laboraret, qui fit sub terris labentibus ventis, oraculo Apollinis terrae motu caruit. Nam praecepit, ne illic mortuus sepeliretur, et jussit quaedam sacrificia fieri. Postea e Mycono Gyaroque, vicinis insulis, populi venerunt, qui eam tenerent. Quod autem Diana prius nata est, rationis est. Nam constat primum noctem fuisse, cujus instrumentum est luna, id est Diana; post diem, quem sol efficit, qui est Apollo. Ut autem Delos primo Ortygia diceretur, fictum dicitur a coturnice, quae Graece ὀρτυγομήτρα appellatur; Delos autem, quia diu latuit, et postea apparuit; nam δῆλον Graeci *manifestum* dicunt; vel quod verius putatur, quia quum ubique Apollinis responsa obscura sint, manifesta illic dantur oracula.

4. Apollinem etiam poëtae nonnumquam parentem dicunt, id est omnium creatorem, quod videlicet quicquid in terra vel in mari nascitur, operante solis colore procreatur. Eundem tamen, quum sit pater, imberbem pingunt, quod singulis diebus renascendo quasi junior videatur. Sed et Phoebus, id est *novus* vocatur, vel quod revera sol in ortu suo quotidie novus appareat, vel quod secundum Epicureos de atomis constare, et cum die nasci et cum die perire tradatur. Intonsus pingitur, quod aequales annis omnibus radios ministret. Dicitur et auricomus a splendore aureo; itemque sagittarius a radiorum jaculis, quibus omnem penetrat mundum. Hunc philosophi et poëtae nunc pro ipso sole, nunc pro augurii sive sapientiae sive medicorum deo, nunc pro divinatore aliquo, nunc pro ipso mundo, nunc pro quolibet sapiente viro, nunc pro humanae vocis modulatione ponere consuerunt. In hujus tutelam laurum ascribunt; unde et Daphnen, quae laurus interpretatur, Penei fluminis filiam, amasse dicitur. Unde autem laurus nisi de aquis fluvialibus nasci credatur? praesertim vero illius fluminis ripae

lauro abundare dicuntur. At vero Apollinis, qui auguriis videlicet praeest, ob hoc amica dicta est, quod, ut illi qui de somniorum interpretatione scripserunt, in libris suis promittunt, si laurum dormientibus ad caput posueris, vera somnia somniabunt.

5. Est etiam tripos, ut ait Remigius, species lauri, tres radices habens, in Claro insula juxta Apollinis templum abundans maxime; Apollini grata, quod non parva ei vis insit divinandi. Significat autem triplicem speciem divinationis, praesentium scilicet et praeteritorum et futurorum. Tripos tamen vocatur et mensa Apollinis, Pythii serpentis corio tecta; a quo *corio* etiam locus ipse circa tripodem, unde dabatur oraculum *cortina* dictus est; quem tamen alii vel quia *certa* illinc fusa sint responsa, cortinam quasi *certinam* nuncupatum volunt, vel a Graeca etymologia vocabulum traxisse, vel certe, quod juxta Servium verius est, quia illic cor vatis tenebatur. Nam caverna, inquit, in templo Apollinis fuit, ad quam, ut et Lucanus ostendit, Phoebas rapta vaticinabatur. Unde est:

Confugit ad tripodas, vatisque immersa cavernis,
Haesit, et insueto concepit pectore numen.

Quod autem tripos corio Pythonis tectus vel septus sit, super illud ejusdem Lucani dicimus: *Seu barbarica quum lampade Python arsit.* Divinationis vero Phoebus, ut ait Fulgentius, deus putatur, seu quod omnia obscura sol in lucem manifestat, seu quod in processu suo et occasu multarum rerum exhibeat significationem.

6. Quadrigam Phoebo attribuunt seu quia quadripartitis temporum varietatibus, veris videlicet et aestatis, autumni et hiemis, anni circulum peragat, seu quod quaternaria sui diversitate diei spatium emetiatur. Unde et condigna equis ejus nomina posuere. Erythraeus namque *rubens*, Aethon *splendens*, Lampos *lucens* vel *ardens*, Philogeus *amans terram* interpretatur. Vere enim singulis diebus mane rubet sol, quod sonat Erythraeus; in aestate sive quotidie hora tertia splendet, quod significat Aethon; autumno vero sive die media in centro jam positus immensa luce coruscat, quod docet Lampos; sero vero occidendo, sive tempore hiemali per signa inferiora transeundo, terrarum jam decli-via petit, quod significat Philogeus. Inde est et illud Martiani:

Quatuor alipedes dicunt te flectere habenis,
Quod solus domites quam dant elementa quadrigam;

id est annum, ut ait Remigius, quatuor temporibus constantem; quae tempora juxta physicos elementorum habere

proprietates non dubium est. Aestas enim igni, autumnus terrae, hiems aquae, ver aëri assimilatur.

7. Coronam quoque Phoebo XII lapidum, flammis fulgurantem annique itidem diversitates figurantem dant. Dicuntur a fronte esse gemmae tres, lychnis, astrites et ceraunus, quae ejus faciem a cognitione concupiscentium impenetrabilibus radiorum fulgoribus occuluit; quarum aliam de fronte Geminorum, de Cancri cerebro alteram, ex Leonis oculis tertiam dicunt assumtam. Aliae sex, smaragdus, scythis et iaspis, heliotropius, dendrites et hyacinthius ex utroque latere rutilare perhibentur, quas ei Ver et Autumnus dedisse feruntur. Posterior pars coronae crystallo et adamante et hydatide lapidibus dicitur alligata, quos Hiems genuisse memoratur. Horum lapidum naturae et typi juxta Remigium hujusmodi sunt. "Per coronam Apollinis annus intelligitur; per XII lapides XII menses et IV anni tempora, supputatis trinis; per tres gemmas a fronte positas, tria signa, quae sol aestivis diebus transcurrit, significantur. Nam frons anni aestas est, flagrantior videlicet et eminentior pars. Est autem lychnites lapis purpureus, quem fert India, lucernarum fulgore resplendens; unde et nomen sumsit; nam λύχνος Graece, *lucerna* dicitur. Tactus sub sole digitis paleas trahit. Fertur subitum restinguere incendium, ideoque Vulcano consecratus est. Comparatur vero Geminis propter purpureum colorem; quod dum sol mense Junio in signo Geminorum est, purpurei passim flores erumpunt. Astrites est gemma candida, habens intra se quasi stellam deambulantem; unde et ab *astro* nomen accepit. Hic lapis Cancro comparatur propter stellarum ejus altitudinem et claritatem".

8. "Ceraunus lapis est fulvus. Repperitur ubi crebra fulmina cadunt, et contra fulmina fertur opitulari, a quibus etiam nomen habet. Nam *fulmen* Graece κεραυνὸς dicitur. Unde et montes Epiri ob fulminum frequentiam ibi cadentium *Ceraunia* sunt nuncupati; quos etiam propter altitudinem et fulminum jactus *Acroceraunia* expressius dictos invenimus. Nam et ἄκρον *acutum* interpretatur, et ἄκρα *promontoria* vocantur. Hinc et Arcadiam *Nonacriam* a novem promontoriis dictam volunt, sicut Siciliam Trinacriam, quod, ut ait Martianus, tribus promontoriis *triangula* censeatur. Quippe Pachynus, ut ipse docet, meridiem, Pelorus occasum, Lilybaeus Africae fines spectat. Eandem tamen Siciliam *Triquetram* tamquam a *tribus* et *quaestu* dictam legimus, quod circa eadem tria promontoria crebra fieri consueverint naufragia, et tres ibidem fuerint portus; unde et frequentes Siculis quaestus proveniebant, et tria

Romanis in anno tributa mittebantur. Ceraunus igitur ob fulminum naturam in figura Leonis ponitur, quod ad modum fulminis omnia penetrantis ardor solis, praecipue quando in Leone est, mense Augusto, omnia viridia consumat et exurat. Hi tres lapides faciem solis occuluerunt, quia dum sol in praedictis moratur signis, ob nimiam ejus claritudinem intuitum in eum defigere non facile sit. De Geminorum vero fronte gemma lychnis propter illius mensis, id est Junii, pulchritudinem et jucunditatem dicitur assumta; quia videlicet et in anteriore parte hominis tota ejus pulchritudo consideretur, et in fronte non parva pulchritudinis pars notetur; de Cancri cerebro astrites propter eminentiam stellarum ejus et claritatem; ceraunus ab oculis Leonis propter feritatem ardoris; maxime enim feritas in oculis conspicitur leonum".

9. "Smaragdus, scythis et iaspis lapides sunt virides et signorum vernalis temporis, id est Piscium, Arietis et Tauri typum gerunt, quia dum illa sol permeat, terrae virere et flores jam producere incipiant. Dictus est autem smaragdus ab *amaritudine* ob nimiam viriditatem. Quaelibet enim nascentia dum viridia sunt, amara sunt. Est namque gemma viridissima ultra omnes herbas et frondes. Scythis a *Scythia*, in qua, ut ajunt, invenitur; iaspis ab *aspide*, in cujus cerebro inveniri fertur. Sunt autem iaspidis multa genera, inter quae etiam fulvum, quo dicuntur daemonia et omnia fugari phantasmata. Heliotropius, dendrites et hyacinthus signorum autumnalium vices exprimunt. Est enim heliotropius quoque lapis viridis, sanguineas habens venas. Missus in argenteam pelvim aqua plenam radios solis in sanguineum obscurumque vertit colorem. Hunc lapidem si quis cum herba ejusdem nominis, id est heliotropia (quam proverbia *sponsam solis* a fabula illa de Gyge Lydio confictam dicunt) commiscuerit, et congrua carmina dixerit, aliorum se visibus aufert. Optimus in India Libyaque invenitur. Est autem lapis splendidus, cum ortu solis et occasu colorem mutans; unde et vocabulum traxit. Nam ἥλιος *sol*, τρόπος *conversio* interpretatur, quia juxta solis vicissitudines coloris variationes patiatur. Sed et herba solem sequi dicitur, quia, ut ajunt, vespere claudatur, mane aperiatur, totoque die floris sui explicitam latitudinem in radios solis obvertat. Haec gemma in speciem ponitur Virginis ob solis claritudinem, in eo adhuc signo mense Septembri currentis".

10. "Dendritis lapis est *arboreus*, hoc est sucinum. Nam δένδρον *arbor*, ῥάβδος *virga* dicitur. Quae gemma Librae datur, quia circiter Octobrem, sole partes Librae tenente, maxime, ut legitur, arbores sudant. Hyacinthus

lapis est caeruleus mirabilis variaeque naturae, aliquando nebulosus, aliquando purus, ut fluctus; et est purpureae lucis, quamvis cum aëre mutari videatur, et friget in ore portatus. Tribuitur Scorpioni propter illius temporis, id est Novembris, colorem nebulosum. Crystallus est lapis ex aqua praedurátus, ideoque a glacie nomen sortitus. Nam κρύσταλλος Graece *glacies* dicitur. Assimilatur Sagittario, quia eo mense, quo sol in Sagittario est, id est Decembri, aqua in glaciem incipiat exasperari. Adamas lapis est insecabilis, in quantitate nucleo Avellanae aequalis, tantae soliditatis, ut nulla vi, excepto hircino sanguine, domari possit. Attribuitur Capricorno propter duritiam et austeritatem mensis Januarii, quo sol Capricornum tenet. Hydatis fulvus lapis est et rotundus, intra se habens alium lapidem, cujus crepitus sonorus est, licet tinnitum illum non de interno lapillo, sed de spiritus cujusdam interioris motu esse nonnulli sanxerint. Exsudat aqua, ita ut clausam in eo putes fontanam scaturiginem; unde et ab ὕδωρ, id est *aqua*, nomen dicitur meruisse. Comparatur Aquario propter nimias pluvias, quae mense Februario, sole Aquarium tenente, inundare solent. Per duodecim gemmas coronae duodecim quoque diei horas, quae per solis cursum distinguuntur, accipiunt. Unde est:

——————— *radiisque sacratum*
Bis senis perhibent caput aurea lumina ferre,
Quod totidem menses, totidem quod conficis horas.

Quod vero de lapidibus illis aliud vel mysticum theologi vel naturale senserint physici, in ipsorum scriptis investigetur. De hac corona in principio Thebaidos Statius:

Ipse tuis alte radiantem crinibus arcum
Imprimat ———————

11. Sane quia signa nominavimus, de nominibus et rationibus ipsorum juxta veterum sollertiam, quae stellis numeros et nomina fecit, non inutile videtur pauca perstringere. Ac primo sciendum, signa ipsa nihil aliud esse, quam certa caeli spatia ex stellarum positione et ordine, mira astrologorum sagacitate quibusdam quasi limitibus determinata. Postquam enim frequentibus diuturnisque vigiliis certam caeli regionem dinoverunt, quam sol ita annua peragratione transcurrit, ut ad septentrionalem numquam verticem ascendat, ad australem numquam cardinem descendat, ipsa latitudine duabus altrinsecus, ut videtur, lineis limitata, longitudinem etiam, id est illum caeli ambitum, in XII partes divisere. Quos, ut legitur, subsecuta posteritas, primo partes illas generaliter signa appellavit. Nec incongrue, quum per cognita ipsorum spatia stellarum, quae immobilem continent positionem, et solis ipsius processus et

variae omnium planetarum motiones significentur. Unde et circulus ipse Latine signifer, Graece vero ζωδιακὸς a ζωδίῳ, id est *signo*, nuncupatur. Nam quod a Graeco ζωή, id est *vita* vel *anima*, et ζωδιακὸς, id est *animalis*, ob animalium figuras in eo depictas dictus sit, poëtica illusione excogitatum videtur. Deinde ut expeditiorem sermonibus suis et doctrinis viam facerent, singulis figuris certa vocabula indiderunt; et nominum diversitate aliqua, ut ipsorum editionibus repperirent temporum rationem, attenderunt. Illud ergo signum, in quo sol mox factus juxta computistarum dogma locatus est, et quod singulis annis quinto decimo calendarum Aprilis die ingreditur, quem primum a principio mundi diem fuisse contendunt, primum signorum voluerunt, id Arietis vocabulo, ex ipsius animalis natura rationem trahentes, nuncuparunt, sive ut traditum invenitur, quia hoc animal praecipue cornibus valet, quemadmodum sol eo ab tempore ad resolvendam terram brumali rigore constrictam, radiorum vim exerere incipit; sive quia autumnali aequinoctio, quod quarto die post ingressum Arietis fit, per totam aestatem usque ad aliud aequinoctium, quod tertio calendarum Octobrium die fit, dextrum, id est superius hemisphaerium, quod coluro aequinoctiali signa tangente ab inferiori dividitur, lustrat, sicut illud toto hoc tempore dextro lateri fertur incubare. Nam reliqua anni medietate et sol similiter inferiorem, videlicet australem ambitum peragrat, et Aries super sinistrum latus incumbit. Juniores tamen se perspicacius sensisse rati, ideo, inquiunt, mense Martio solem in Ariete collocamus, quia sicut arietes in posterioribus infirmi, totam in anterioribus corporis fortitudinem habent, ita tempus praeteritae hiemis intemperie mortuum, tunc redeunte per solis accessionem temperie reformari et quasi erigi incipit in futurum.

12. Taurum secundo loco posuerunt, quia sole partes illas adeunte, primum apud quosdam post hibernum rigorem, boum labores exerceri incipiunt; sive quod tunc eorum opera, id est segetes, apud plerosque ad maturitatem tendunt, et apud nonnullos in ferventioribus terris etiam metuntur; sive juxta alios, quia taurus in anterioribus multo fortior est ariete. Aries enim, inquiunt, in sola fronte, taurus vero et in capite et in pectore et tota illa anteriori parte fortitudinem sortitus est. Sicque sole jam nobis propinquiore, major incipit increbrescere fervor. De Geminorum ratione quod protulit antiquitas, magis mihi fabulosum quam veri simile visum est; unde a junioribus censui minus dissentiendum. Pinguntur ergo Gemini porrectis brachiis se amplectentes, et quasi prima aetate pubescentes; sicut illo, inquiunt, tempore etiam seminaria radicibus inferius extensis

et implicitis amplectuntur terram; superius vero pubescunt in herbas.

13. Cancri significatio, in quo post Geminos erit sol, in propatulo est; quia sicut id genus animal versis vestigiis retro incedit, ita sol quum ad hoc venerit signum, ultra scandere non volens, inferiora repetit, solstitio in quarto ejus gradu, id est XII calendarum Juliarum die celebrato. Sequens signum Leonis dicunt ob illius mensis, id est Augusti, ferventissimum tempus, quia ceteris animalibus leo calore praestare dicitur; unde et importabilis irae est. Tunc etiam dies incipiunt, quos a Caniculae violentia tunc maxime, ut putant, vigente, caniculares dicunt, in quibus nec sanguinem minui, nec potionibus propter calorem temporis et motum, ut dicunt, sanguinis licet uti. Unde est: *Sub Cane et ante Canem molestae sunt purgationes.* Deinde sol signum intrat, quod Virgo dicitur, quae et spicam manu tenens pingitur. Sicut enim nullum fructum Virgo reddit, sic terra germinare jam desinit. Et apud multos seges, quae prius surgebat in herba, jam maturescit in spica. Libra, quae in trutinae effigiem deformata est, aequinoctialem mensis illius parilitatem, id est Septembris, quae III calendarum Octobrium die fit, designat. Post Scorpius sequitur, quem subtilissimo caudae aculeo pungere fabulantur, quod post autumnale aequinoctium frigoris molestias instare sentimus. Unde est:

Matutina parum cautos nunc frigora mordent.

Deinde Sagittarius solem recipit, quia hiems grandines et tempestates tamquam sagittas jam mittit. Praeterea Sagittarius in formam humanam anterius erigitur, posterius in pecualem submittitur, significans, solem tunc temporis a supremis ad inferiora detrusum. Quod in Capricorno mysticum requiritur, oculis etiam deprehendere perfacile est. Capram enim in pascendo ab imis semper alta petere quis nesciat? Sic et signum hoc solem nobis ab inferis partibus ad superiora remittit, transacto in IV vel III gradu, id est XII calendarum Januariarum die solstitio brumali, sicut in Cancro aestivali; unde et hoc signum et illud tropica, id est *conversiva* a Graeco τρόπος, id est *conversio*, dicuntur, quod in Cancro a superioribus ad inferiora, in Capricorno ab inferioribus ad superiora convertatur. Inde etiam haec duo signa philosophi portas solis appellaverunt, quia in utroque obviante solstitio ultra ejus prohibeatur accessus. Postrema zodiaci signa, Aquarius et Pisces, ob imbriferos menses sunt appellata.

14. Phoebi tutelae corvum deputant vel quod solus secundum Fulgentium contra rerum naturam in mediis fer-

voribus aestivis oviparos producit foetus, vel quod secundum alios haec avis auguriis aptissima est. Unde Statius, infelicitatem augurii intimans, *obscurum comitem tripodum*, id est corvum, abesse conqueritur. Quod autem eum Phoebus juxta Ovidium in secundo Fastorum hac affecerit ignominia, ut quamdiu ficus coquerentur et maturescerent, bibere non posset, ob hoc fictum legitur, quod illis diebus guttur pertusum habere perhibeatur. Secundum fabulam Sol cum Clymene Nympha coiens Phaëthonta dicitur genuisse, qui paternos currus affectans sibi atque mundo concremationis detrimenta conflavit. Semper ergo sol cum aqua coiens fructus aliquos gignat necesse est, qui eo quod terris exilientes appareant, phaëthontes quasi φαίνοντες appellantur; φαίνων enim *apparens* interpretatur. Qui quidem fructus ad maturitatem sui solis ardorem quaerunt; sed eo accepto, frequentibus et nimiis incendiis concremantur. Hujus sorores gemmeis guttis lucentibus, ut Ovidius in secundo Metamorphoseon refert, fraterna deplorant incendia, sucinaque diruptis jaciunt inaurata corticibus. Quae et Heliades, id est Solis filiae, nuncupantur. Herbarum igitur et florum procul dubio arbores sorores sunt, quae una eademque fervoris humorisque jugabilitate gignuntur. Arbores autem illae, quae sucinum sudant, dum maturas fruges sol torrens Junio Julioque mensibus incendiosior Cancrum atque Leonem attingit, tunc aestu valido fissis corticibus sucum suum liquoris in Eridano flumine aquis in electrum durandum emittunt. Sciendum vero, juxta Plinium in Naturali Historia tria esse electri genera, unum ex arboribus, quod sucinum dicitur; aliud, quod naturaliter invenitur; tertium, quod fit de tribus partibus auri et una argenti; quas partes, si resolvas massam, invenies. Electri autem natura probatur veneno, quo recepto, et stridorem emittit et varios ad similitudinem venenati reddit colores.

15. Medicorum Phoebus non immerito deus dicitur vel quod herbae, quibus physici utuntur, solis calore producuntur, vel quod praecipuae temporum mutationes, quas solis cursus disponit, humoribus aequalitates apportant vel inaequalitates, ex quibus salus aegritudinesque generantur. Unde etiam Ovidius in primo Metamorphoseon autumnos inaequales, id est morbidos vocat; quorum videlicet singulis annis graves experimur pestilentias. Nam ut autumnus morbis abundet, frigoris et caloris confine facit, quod licet etiam vernum tempus habeat, morbos tamen minus creat, quia tunc corpora praecedenti durata sunt frigore, quae autumnus corrumpit, laxiora inveniens aestatis calore. Hinc et omnes, ut ait Servius, qui secto matris utero procrean-

tur, Apollini consecrantur, utpote deo medicinae, per quem lucem sortiuntur. Hinc et Aesculapius, quia a Coronidis utero dicitur exsectus, ipsius fingitur filius. Interpretatur autem Aesculapius *dure faciens*. Caesarum etiam familia ideo sacra retinebat Apollinis, quia qui primus de eorum familia fuit, exsecto matris ventre est procreatus. Unde et a *caedendo* Caesar dictus est, licet variae hujus nominis dicantur etymologiae.

16. Dicitur Sol in oceanum mergi, et ibi fatigata reficere lumina, indeque mane lotus emergere. Revera autem ignis solis aqua nutritur; quod et poëticum figmentum ostendit, quod dicitur Juppiter cum ceteris diis ab Aethiopibus ad epulas invitatus. Aethiopes enim juxta oceanum habitant, cujus aqua VII planetarum ignes pascuntur. Habet fabula, Atreum et Thyestem germanos quum in dissensione sibi nocere non possent, in simulatam gratiam rediisse. Qua occasione Thyestes cum fratis uxore concubuit. Atreus vero filium ei epulandum apposuit. Quod Sol videns, ne polluereretur, aufugit. Veritatis autem juxta Servium tantillum est. Atreus apud Mycenas solis eclipsim primus invenit. Cui invidens frater ex urbe discessit tempore, quo ejus probata sunt dicta. Sane numina pro locis tam figuras varias, quam et nomina diversa sortiuntur. Nam Apollo apud Delphos humana effigie, apud Lyciam lupina fingitur, apud Delon vero formam habet draconinam. Constat etiam secundum Porphyrii librum, quem *Solem* appellavit, triplicem esse Apollinis potestatem, et eundem esse Solem apud superos, Liberum patrem in terris, Apollinem apud inferos; unde et adyta ei consecrantur. Est autem adytum interior vel subterior pars templi dicta per antiphrasin, quod a paucis, id est solis sacerdotibus adeatur. Inde etiam tria insignia circa ejus simulacrum videmus, lyram, quae nobis harmoniae caelestis imaginem monstrat, gryphen, qui eum etiam terrenum numen ostendit, sagittas, quibus infernus et noxius deus indicatur. Inde et Apollo a Graeco ἀπολεῖν, id est ab *exterminando* vel *perdendo*, ut diximus, dictus est. Hinc est, quod Homerus eum tam pestilentiae dicit quam salutis auctorem. Hinc et irato Apollini arcum et sagittas, placido vero citharam assignamus. Unde Horatius:

Condito mitis placidusque telo
Supplices audi pueros Apollo.

Dicitur autem et ideo lyram habere, quod per concordiam caloris et humoris omnia temperantur. Et mathematici asserunt, quotiens sol cum arcu apparuerit, pestilentiam subsecuturam.

17. Quod vero Apollo, divinitate ob occisos Cyclopas spoliatus, Admeti pecora paverit (unde et juxta Servium a Graco *νόμιοις*, id est a *pascuis*, *νόμιος* appellatur) physica ratione fictum videtur. Sol enim herbas et omnia pecorum alimenta producit. Potest tamen secundum eundem et a *τῷ νόμῳ* id est a *lege chordarum* hoc vocabulum meruisse. Quod autem dea Celeritas, id est agilitas, solis filia dicitur, sive inde fictum est, quod nihil corporale sole est celerius; sive quod ferunt mathematici solis constellatione afflatos pulchros et celeres fore. Lampadem fert Apollo, id est facem, cum qua Sol pingitur, et qua mundum illuminare putatur. Crinem in fonte Castalio lavare dicitur (revera autem locum etiam illum incoluerunt sapientes, secreta philosophiae et occultam sapientiam perscrutantes) hac similitudine, quia crines collum occultant. Pro humana quoque voce Apollo, ut diximus, nonnumquam accipitur. Unde et novem Musae ei ideo applicantur, quod secundum philosophos quae vocem humanam operantur, novem sunt; duo videlicet labia, quatuor dentes, plectrum linguae, gutturis cavitas, pulmonis anhelitus. Si enim ex his aliquid defuerit, vox perfecta non erit.

18. Fulgentius tamen novem Musas doctrinae atque scientiae modos appellat, et secundum vocabulorum interpretationes satis iis congruum ordinem assignat. Prima, inquit, Clio ponitur, quae *fama* interpretatur. Nullus enim, inquit, scientiam quaerit, nisi qui famae suae protelet dignitatem. Ideo igitur prima est Clio appellata, id est *cogitatio quaerendae scientiae.* Secundam Euterpen dicimus, quae *bene delectans* interpretatur; ut sit primum velle, secundum delectari in eo quod velis. Tertia Melpomene dicitur, id est *meditationem faciens;* ut sit primum velle, secundum desiderare quod velis, tertium instare meditando ad id quod velis. Quarta Thalia, id est *capacitas* vel *ponens germina* Quinta Polymnia, id est *multam memoriam faciens.* Post capacitatem enim necessaria est memoria. Sexta Erato, id est *inveniens simile.* Post capacitatem enim et memoriam discenti utilissimum est, ut et de suo aliquid simile inveniat. Septima Terpsichore, id est *delectans instructione.* Post inventionem enim discernere oportet et dijudicare quod inveneris. Urania octava, id est *caelestis.* Post dijudicationem enim quid dicas et quid despicias eligis. Eligere autem utile, caducumque despicere, caeleste ingenium est. Nona Calliope, id est *optimae vocis.* Ergo hic erit ordo: primum est, velle doctrinam; secundum, delectari in eo quod velis; tertium, ad id quod desideraveris et in quo delectatus fueris perseveranter instare; quartum, id capere ad quod instas;

quintum, memorari quod capis; sextum, de tuo aliquid simile ei quod memineris invenire; septimum, quod inveneris judicare; octavum, de eo quod judicas eligere; nonum, quod elegeris bene proferre. Alium quidem Musarum ordinem, aliamque scribit Remigius expositionem; sed, ut mihi visum est, minus evidentem et tantum ad lectionem Martiani pertinentem, ideoque praesenti operi non judicavi necessariam. His igitur, ut praediximus, velut quibusdam ad sapientiam gradibus Apollo, sapientiae deus, non immerito fingitur praesidere.

19. Secundum physicos tamen longe alia ratione Musis praeesse dicitur; quod videlicet sol in medio planetarum positus totam mundanae concinentiae magnitudinem temperare existimatur. De quo Tullius: "Dux, inquit, et princeps et moderator luminum reliquorum, mens mundi et temperatio". Habent enim theologicae rationes ipsum planetam septemque sphaeras subjectas jungi, et continuo proportiones musicas adinvicem servante motu, singulas sonos singulos et concinentiam maximam conficere universas. Addunt quoque physiologi, novem Musas nihil aliud intelligendas, quam VII sphaerarum musicos cantus, et unam illam, quae ex omnibus consonantibus conficitur, harmoniam. Unde et octavam Uraniam, id est *caelestem*, nonam vero Musam, ipsam videlicet octo vocum universitatem, Calliopen, id est *optimae vocis* dicunt. Secundum Remigium tamen hujus harmoniae ratio paulo aliter assignatur. Ex terra enim, quam alii immobilem et sine sono esse asserunt, innuere videtur nonum sonum provenire. Porro hujus harmoniae sol princeps est. Ipse enim in medio VII sphaerarum, ut diximus, constitutus, earum stationes, cursus et recursus, sed et elevationes et depressiones sua vi variare ab astrologis comprobatur. Inde etiam apud Graecos *Μουσαγέτης*, id est *Musarum princeps*, dictus est. Hinc et cygnus ei, quod canora avis est, juxta Remigium consecratus est. Secundum nonnullos tamen quum sint novem, ut ajunt, circuli mundani, summus, quem *ἄναστρον* dicunt, et ultimus, qui terrenus est, sono carent. Septem sunt reliqui, *septem discrimina vocum* conficientes, quorum harmoniam Orpheus, ut perhibent, primus deprehendit; unde et Apollinis Calliopesque filius meruit appellari.

20. Fuit autem Orpheus, ut pauxillulum expatiemur, vir maximus tam ingenii claritudine quam eloquentiae suavitate praefulgens. Sacerdos dictus est, quia et theologus fuit, et orgia primus instituit. Ipse etiam homines irrationabiliter viventes rhetorica dulcedine ex feris et immanibus mites reddidit et mansuetos, et ex vagis durisque composuit.

Unde et bestias quaslibet, volucres et fluvios, saxa et arbores dicitur movisse. Sic Amphion, Thebarum conditor, et ipse oratoria facultate eximius, cantu lapides, ut sponte coëuntes murum conficerent, fingitur illexisse; quod stupidis antea hominibus et juris ignaris dispersimque degentibus, ut convenirent, civiliter conviverent et ad publicam tuitionem moenia construerent, melliflua oratione persuaserit. Sane Orpheus *optima vox* interpretatur, de quo hanc fabulam confingunt. Orpheus Eurydicen Nympham amavit, eamque sono citharae mulcens, uxorem duxit. Quam dum Aristaeus pastor amans sequeretur, fugiens in serpentem incidit et mortua est. Propter hanc maritus ad inferos descendit, legemque accepit, ne eam conversus respiceret. Quam conversus aspiciens, iterum perdidit. Haec fabula artis musicae juxta Fulgentium designatio est. Orpheus enim *optima vox*, ut diximus, interpretatur; Euridice *profunda dijudicatio.* Hanc Orpheus, id est quivis musicae operam impendens, sibi conjungi optat et cithara illectam ducit uxorem; quia qui musicae studet, nisi secretiorem artis ipsius profunditatem comprehendit, musicus esse non potest, ideoque eam crebra et artificiosa vocis modulatione tandem assequitur. Haec vero scientiae altitudo quantum ab optimis amatur, sicut ab Aristaeo (ἄριστον enim Graece *optimum* dicitur), tantum communionem hominum renuit; sicque serpentis ictu moritur, quia nimiae subtilitatis suae intercepta secretis, velut ad inferos transmigrat. Sed post hanc artem exquirendam atque elevandam vox canora descendit, et ne eam respiciat, prohibetur, et dum videt, amittit. Nam et perfectissimus Pythagoras dum in musicae inquisitione laboraret, symphoniasque ponderum ac numerorum proportionibus coaptaret, effectus tamen rationem reddere non potuit.

21. Remigio tamen de hoc figmento aliter videtur. Ait enim, Eurydicen ideo Orphei dictam esse conjugem, quia facundiae comes debet esse discretio. Ipsa vero serpente laesa ad infernum descendit, quum terrenis inhiando commodis veneno iniquitatis ad sinistram partem inflectitur. Sed Orphei carminibus ad superos revocatur, quum luculenta oratione lucri stimulus ad aequitatem reformatur. Sed si respicit, retrahitur ad terrena, nec oranti Orpheo redditur. Nam quum terrenus animus saecularia nimis concupiscit, vix eum aliqua oratio ad statum rectitudinis erigit, quia a Proserpina, id est maxima vitiorum tenetur illecebra. Porro Servius Orpheum revera animam conjugis quibusdam carminibus reducere voluisse dicit; quod quia non potuit, a poëtis, inquit, fingitur receptam jam conjugem dira Plutonis lege perdidisse. Quod et Virgilium vult ostendisse dicendo:

Si potuit manes arcessere conjugis Orpheus. Arcessere enim, inquit, proprie evocantis est.

22. Sed ad Musas recurramus. Musas esse concentum mundi etiam rustici apud antiquos cognoverunt, qui eas Camenas quasi *Canenas* a *canendo* dixerunt. Quia etiam caelum theologi canere comprobarunt, sonosque musicos caelestium sacrificiis adhibuerunt, qui apud alios lyra vel cithara, apud nonnullos tibiis aliisve musicis exercebantur instrumentis. Sane *moys* Graece *aqua* dicitur; inde Musa quasi *aquatica*. Aër enim per arterias canentis egrediens, humore aspergitur, nec umquam per gutturis fistulam nisi humoris adjutorio canitur. Secundum Varronem etiam ipsae sunt Musae quae et Nymphae; nec, ut ait Servius, immerito. Nam aquae, inquit, sonus musicen officit, ut in hydrauliis, id est aquaticis organis, videmus. Idem etiam Varro tres tantum esse Musas commemorat, unam, quae ex aquae nascitur motu; alteram, quam aëris icti efficit sonus; tertiam, quae mera tantum voce consistit. Harum rerum caliginosas ego diversitates meo censens ingenio onorosas, aliis discutiendas, sanaque interpretatione elucidandas propono, ne vel magnorum auctoritatibus parvitas mea refragetur, vel apocryphas promens traditiones, intelligendo faciam ut nihil intelligam.

9. Mercurius.

1. Secundum Jovis filium Mercurium volunt, sermonis videlicet et eloquentiae deum. Hunc *medium currentem*, quod sermo inter duos seritur, vel *mercatorum κύριον*, id est *dominum*, vel secundum Fulgentium *merces curantem* interpretantur. Praeest enim mercatoribus, inter quos sermonis virtus et cautela maxime viget. Dicitur in Arcadia natus, quod haec regio praecipue, ut ait Remigius, eloquentiae studuit. Dicitur deorum nuptiis interesse, quod in nuptiis sermo plurimum valet. Ibi enim internuntia vel missatica, et id genus plurima discurrunt. Dicitur post Apollinem natus; prius enim apud sapientes consilium, quod per Apollinem, deum sapientiae, designatur, in qualibet re excogitatur; deinde sermone, qui per Mercurium intelligitur, quod provisum fuerit enuntiatur. Fingit eum Mærtianus Philologiam uxorem duxisse, eique VII artes liberales in dotem contulisse. Philologia igitur *studium* vel *amor rationis* interpretatur; ponitur autem in persona rationis, Mercurius vero in similitudine facundiae et sermonis. Quum ergo in sapiente haec duo convenerint, et acumen videlicet rationis et facundia sermonis, tunc quodammodo Mercurius et Philologia

sociantur; tunc quoque ad VII liberalium artium scientiam facillime pervenitur. Sane Phronesis, Philologiae mater, quae *prudentia* interpretatur, mortalis fingitur fuisse. Atque ideo ipsam Philologiam mortali matre progenitam, nisi ἀποθέωσιν, id est *deificationem* nancisceretur, necesse erat esse mortalem, tantique dei conjugio indignam. Quod juxta Remigium ideo fingitur, quia prudentia saecularis per se quidem mortalis et caduca est, nisi studiis verae sapientiae immortalitatem consequatur. Bene autem Phronesis Philologiae mater dicitur, quia prudentia rationem exornat et quodammodo sicut mater enutrit. H. M.

2. Ipse quoque Mercurius Jove patre (et) Maja matre progenitus, ex altera parte mortalis extitit. Sed (eum) Juno mox natum uberibus suis (applicavit), sicque divino lacte (perfudit), ut fieret immortalis. Sermo igitur et ad divina, id est ardua et subtilia, et ad humana, id est humilia et minus subtilitatis habentia, aptus est explicanda. Unde parentibus altero immortali, altera mortali dicitur procreatus. Dum igitur sermo in terrenis tantum et inferioribus versatur, merito mortalis perhibetur. Dum vero ad Junonis, quae est aër, ubera tollitur, id est dum ad caelestia et altioris philosophiae secreta discernenda ascendit, divinitatem quodammodo videtur meruisse. Per physicam etiam Junonis uberibus fingitur educatus, quia sermo voce ex aëre percusso formata quodammodo perficitur atque nutritur. Juxta deliramentum fabularum adhuc adolescentulus cum Venere fertur concubuisse, et Hermaphroditum, a suo et Veneris nomine nomen habentem, genuisse. Nam Graece Mercurius Ἑρμῆς, Venus vero Ἀφροδίτη, id est *spumea* nuncupatur; ἄφρος enim dicitur *spuma*. Quare autem Venus *spumea* dicatur, ubi de Saturno egimus, evidenter expressimus. Hermaphroditus igitur quasi Mercurii et Aphroditae dictus est filius. Hermaphroditos autem dicimus homines utriusque sexus, quos et Androgynos nuncupamus; ἀνὴρ enim *vir* Graece, γυνὴ *mulier* dicitur. Hermaphroditus autem significat quandam sermonis lascivitatem, quia plerumque, neglecta veritatis ratione, superfluus sermonis ornatus requiritur. Hinc est, quod Sophiam legimus Mercurio nubere noluisse. Licet enim sermo magnum sit rationalis creaturae ornamentum, sapientia tamen superfluum verborum ornatum respuit; non quod facundiae jungi refugiat, sed immoderatae verbositati misceri non consentit.

3. Fulgentius Mercurium negotiis praeesse dicit; ideo Mercurium dictum quasi *merces curantem*, quod negotiatores, quibus praest, mercibus semper invigilent; sive ab Ἑρμῆς Graeco, quod *disserere* interpretatur, eo quod ne-

gotiatori maxime linguarum dissertio sit necessaria. Ideo superorum et inferorum internuntium, quia terras peragrant, mare ascendunt et transfretant negotiantes. Deum esse furti et ipsum furem, quod mercatores perjuriis suis et fallaciis alios decipientes, minime a furibus distent. Unde et Argum, oculis ei falce cerutis, dicitur occidisse, quod astuti fures et falcatae versutiae dolis instructi negotiatores saepe etiam sapientissimos viros, sed saecularis calliditatis vacuos, decipiant et defraudent. Argus namque *vacuus* interpretatur. Gallus ejus deputatur custodiae, quod haec avis maxime horam surgendi mercatoribus, quibus praeest, denotare videatur. Virgam ideo secundum Remigium fert, quod sermo facundiae recto rationis tramite et promtissimo pronuntiatur. Ideo serpentibus innexam et caduceum dictam, quod rhetoris sermo inter venenosas adversariorum litigationes *medius currens*, omnem rixam cadere cogat, eosque sibi adinvicem reconciliet. Nam bellantes disertorum oratione sedantur. Unde secundum Livium legati *caduceatores* appellantur. Sicut enim per feciales bella indicebantur, ita pax per caduceatores componebatur. Quod enim ideo Mercurius virgam ferre putetur, quia sidus Mercurii non, sicut quidam planetae, per anfractus absidum incedat, quando cum sole est, sed directo feratur tramite, octo tamen partes latitudinis zodiaci tangens, ego quidem non probo. Ex quo enim planeta quilibet plus quam unam in latitudine zodiaci de XII lineis transit, recto tramite procedere non est putandus. Virgam illam memorem appellat Martianus, quia sermo quaelibet ad memoriam ducit. Ea etiam somnum dat et adimit, quia sermo ingeniosus lites alias, ut diximus, sopit, alias etiam nonnumquam excitat. Vitam quoque largitur et aufert, quod idem rhetorum sermo in causis hunc liberat, hunc condemnat.

4. Sed et galerum habere dicitur propter involutam verborum obscuritatem. Nec ab his quidem Remigii dissentit auctoritas, potentias Mercurii ad haec verba designantis. Themis, inquit, *obscuritas* vel *caligo* interpretatur; Erigone *contentio* vel *litigosa*. Hae plerumque Mercurii sunt comites, quia haec rhetori conveniunt. Sermo namque rhetorum aliquando obscurus est, aliquando clarus, nonnumquam lites et jurgia provocat. Per geminos serpentes, quibus ejus innectitur virga, venenosa et acuta rhetorum facundia designatur. Gemini autem ideo sunt, quod sermo rhetorum damnat et liberat. Per virgam vero ideo rhetoris sermo accipitur, quia, sicut virga, rectus esse et flexibilis in oratoribus debet justitiae et veritatis tenor. Cujus virgae caput est auratum, medium glaucum, picea finis, quia sermo rhetoris primo quidem pulcher videtur, deinde exasperatur, ad ulti-

mum vero damnat reum. Haec Remigius. Sed per virgam illam serpentibus ligatam non absurde accipere possumus continuam et insatiabilem negotiatorum, quibus praeest Mercurius, intentionem, eodem semper desiderio ad lucra festinantem, serpentinis calliditatibus plenam, noxiisque curarum venenis ipsos assidue cruciantem.

5. Quod vero talaria habeat Mercurius, et petasum, id est calciamentum alatum, a Graeco verbo *πέτω*, id est a *volando* dictum, sive ideo fictum est, quod sermone nihil est velocius, sive propter nimiam sideris ejus velocitatem. Ipsa vero talaria aurea juxta allegoriam, ut ait Remigius, competentius argentea dicerentur. Aurum enim in mysticis ad puritatem sensus, argentum vero ad eloquii refertur claritatem. Ob signum quoque velocitatis vertice alato depingitur; nec immerito. Quum enim aliae stellae tarde ad ortus suos recurrant, Mercurius, ut ait Servius, octavo decimo die in ortu suo invenitur. Inde etiam *στίλβων* appellatur, quod *celer* interpretatur. Aliquando etiam, ut ait Remigius, supra solem scandit, et paene usque ad Martis circulum pervenit; aliquando vero quum retrogradus est, ad inferiores circulos descendit et iterum paene usque ad confinium lunaris circuli defertur; ideoque fingitur, quod caelum et Tartarum frequenter recurrat. Istud mihi obscurum judicans, astrologis investigandum relinquo. Quod vero deorum dicitur minister, sive ab hac ipsa re ortum est, quod videlicet ejus planeta velut aliorum planetarum famulus per ipsorum circulos ascendendo et descendendo discurset, sive quod sermo majoribus et minoribus aequalem praebeat famulatum; sive methematica quadam, quam tradit Servius, ratione. Sciendum enim, inquit, de V planetis duos esse noxios, Martem et Saturnum, duos bonos, Jovem et Venerem. Mercurius vero talis est, qualis ille, cui adjungitur. Unde et fingitur deorum minister, quod eorum obtemperet potestati. Hinc est, quod ait Virgilius:

Quos ignis caeli Cyllenius erret in orbes;

id est, cui planetarum adhaereat Mercurius, ut ex illo ipsius Mercurii qualitas possit agnosci.

6. Sane planetarum, quos bonos vel noxios diximus, latius naturas exequitur Plinius, qui etiam cometas stellas esse naturales, cunctisque apparere temporibus, eosdemque de quinque planetis fieri commemorat. Unde, inquit, interdum bonum, interdum pessima significant. Nam si de Venere aut Jove fiant, optima pronuntiant; si de Marte aut Saturno, deteriora. Nam Mercurialis semper talis est, qualis ille, cui adhaeret. Unde et ipse cum deorum dicit fingi ministrum. Stoici quoque hos ultra XXX duos esse dicunt,

quorum nomina et effectus commemorat Avienus. Porro Sirius ab his alius est, stella videlicet in ore Canis posita; quae et ipsa quidem, quantum in ipsa est, pestifera est; sed pro qualitate adjacentium aut vincitur aut majoribus viribus utitur. Pestilentiam vero procul dubio creat, si in hanc rem etiam ceterorum consentiant cursus astrorum. Hinc est, quod quum certo tempore semper oriatur, non tamen semper est noxia. Durat autem ejus violentia plerumque toto anno, plerumque diebus paucis. Inde est: *Et in totum regnaret Sirius annum.* Apparet autem Canis post Orionem, ejusque fingitur, dum esset venator, canis fuisse. Dicitur vero Sirius a *tractu*, id est longitudine signi; *σύρω* enim *traho* interpretatur. Est namque sidus maximum, adeo ut sua magnitudine trium signorum spatium videatur occupare. Ortus ejus aestifer dicitur, quia mense Junio, quando, sole in Cancro posito, cum ipso oritur Canis, solent homines nimio solis ardore laborare. Sed et ipse Orion magnitudine sua multis oritur diebus; unde ejus etiam apud peritos est incerta tempestas. Oritur autem cum sole in Tauro existente. Hic vel Dianae sagittis, vel scorpionis aculeo fingitur interiisse. Sed veri similius est, ut ait Servius, a scorpione interemtum esse, quod eo oriente occidat.

7. Neu abhorreas, quod juxta stellarum status prospera nobis vel adversa dicantur destinari; et fides catholica quod sane sentit, firmissime amplectatur. Gentilium tamen opinio habet, actuum nostrorum proventuumque varietates vel vi et potestate siderum evenire, vel ab ipsis sive scientibus sive ignaris procul dubio praesignari; ut et aves seu praetervolando seu stando futura pennis vel voce significant nescientes. Nec mirum, nostras sideribus adscribi dispositiones, quum omnes dum vivimus omnia ipsis physica ratione debeamus. Nec nunc quidem catholicam in his veritatem, sed gentilitatis expono opiniones et figmenta. Dicunt namque, nos quum nasci coeperimus, a Sole spiritum sortiri, a Luna corpus, a Marte sanguinem, a Mercurio ingenium, a Jove honorum desiderium, a Venere cupiditates, a Saturno humorem; quae omnia singulis reddere asserunt extinctos. Alii haec et aliter et prolixius tradunt. Hic et istud Servianum sufficiat.

8. Quod palaestrae inventor sit Mercurius, ideo fictum dicit Remigius, quia stella ejus cum sole quodammodo luctatur et quasi concertat, illum superare volens; semper enim cum sole graditur, numquam ab eo amplius XXX duobus passibus distans; unde et raro cernitur. Fuscus etiam propter ardorem solis depingitur. Nec te lateat, pro locorum diversitate ipsum quoque et diversa nomina et diversas sortiri effigies. Vocatur enim Cyllenius a monte Arcadiae Cyl-

lene, ubi fingitur natus; Mercurius a negotiatione; Arcas ab Arcadia. Proprium vero ejus nomen est *Κύριος*, id est *dominus*. Eundem etiam nonnulli prudentiae deum volunt; unde et Mercurium esse dictum, qui apud Aegyptios capite canino pingitur; ideo videlicet, quod cane nihil est sagacius. Nam quod Hecuba in canem versa fingitur, ad aliud spectat. Ideo enim in animal latrabile deformata dicitur, quod quum captiva duceretur et filii sui Polydori, a Polymestore, ut legitur, occisi cadaver agnovisset, prae nimio dolore inaniter Graecis conviciabatur. Sane Cicero in libris de Deorum Natura plures dicit esse Mercurios. Sed in ratione deorum fabulae sequendae sunt, quia veritas ignoratur.

9. Tradit etiam in eodem volumine, triplicem de diis esse opinionem; deos non esse, cujus rei auctor apud Athenas exustus est; esse, et nullam curam rebus impendere, ut affirmant Epicurei, qui fortuitis omnia eventibus rotari putant; secundum quos ait Virgilius in quarto:

Scilicet is superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat ——

esse et omnia curare, ut Stoici, qui fatorum tradunt necessitatem; secundum quos paulo post subjunxit: *Si quid pia numina possunt.* Sectis enim philosophorum poëtae pro qualitate utuntur negotiorum, nec se ad unam umquam alligant, nisi quorum id maxime propositum est, ut Lucretius, qui Epicureos tantum secutus est. Scimus autem sectas inter se oppositas; unde fit, ut apud eundem poëtam aliqua contraria inveniamus, non ex ipsius ignorantia, sed ex varietate sectarum. Nam et illud, quod ait Virgilius in quarto: *Sed misera ante diem*, Epicureorum est, qui casibus cuncta concedunt. Quod vero ait in decimo: *Stat sua cuique dies*, Stoicorum est, qui fatorum dicunt statuta servari. Ideo tamen semper Stoici, quum nasci et mori solis dent fatis, omnia media fortunae ascribunt; nam humanae, inquiunt, vitae incerta sunt omnia. Unde et Lachesis, media sororum, quae *sors* interpretatur, vitae nostrae fingitur dispensatrix. Hinc etiam idem Virgilius, vel ut plenum Stoicorum ostenderet dogma, vel fortasse diversos secutus, ait:

Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum.

Nam nihil fato tam contrarium quam casus videtur.

10. Sed tribus juxta prudentiores vita nostra continetur; natura, cui ultra centum et XX solares annos concessum non est; fato, cui nonaginta anni, hoc est tres Saturni cursus exitum creant, nisi forte aliarum benignitas stellarum tertium ejus superet cursum; fortuna, id est casu, qui ad omnia, quae extrinsecus sunt, ut ad ruinam, in-

„quae hermaphroditae"

cendia, caedes, naufragia et similia pertinet. Unde apud eundem Dido moritura: *Quem dederat cursum fortuna peregi.* Se enim peremtura, merito id fortunae, non naturae ascribit vel fato. Sic Cicero in Philippicis: *Multa mihi enim imminere videbantur praeter naturam praeterque fatum;* id est gladii Antonii ex casu. De eo vero, quod ibidem suam Dido imaginem sub terras dicit ituram (ut hic de quibusdam lectioris hujus partis Aeneidos utilibus, priusquam de Pallade agamus, utilem interseramus excursum) plurimnm a majoribus disputatum est. Apud nonnullos enim philosophos diu quaesitum est, quid de nobis sit quod inferos petat. Nam tribus hominem constare tradiderunt; anima, quae superna est et ad originem suam revertitur; corpore, quod in terra deficit; umbra, quam Lucretius *spoliatum lumine aërem* definit. Ergo umbra, inquiunt, sicut ex corpore creatur, sine dubio perit cum eo. Nec est quicquam de homine reliquum, quod inferos petat. Deprehendisse tamen se tandem dixere, esse quoddam simulacrum, quod ad nostri corporis effigiem fictum ad inferos demigret; esse autem speciem corpoream, quae tangi non possit, sicut nec ventus. Inde est:

Corpora viva nefas Stygia vectare carina.

Hanc autem rem etiam Homerus inquirit, simulacro Herculis apud inferos viso. Haec enim simulacra etiam eorum esse dicta sunt, qui per ἀποθέωσιν dii facti sunt. Unde omnes aut visi esse apud inferos aut illuc descendisse dicuntur. Horatius de Libero: *Te vidit insons Cerberus aureo cornu decorum.* Et apud Virgilium Charon:

Nec vero Alciden me sum laetatus euntem
Accepisse lacu, nec Thesea Pirithoumque,
Dis quamquam geniti etc.

Abutuntur tamen poëtae, et confuse vel simulacrum vel umbram ponunt.

11. Quod vero in sacris magicis, quae Didonem Virgilius, ut suo Aeneam irretiret amore, inducit facientem, ait: *Et matri praereptus amor*, a Plinio traxit, qui in Naturali Historia pullos equinos in fronte carnem quandam habere dicit, quam iis mox natis adimit mater. Quam si quis forte praeripuerit, pullum odit et lac ei denegat. Unde Juvenalis:

Cui totam tremuli frontem Caesonia pulli
Infudit ———————

Merito autem suspicantur, amorem creari ex carne, sine qua mater non alit ex se creatum. Obitus eam difficiles ob hoc passam refert, quod vita ei superfuisse videatur, quae casu, non aut fato aut natura moriebatur; quod et ipse supponit:

Nam quia nec fato merita nec morte peribat,

id est naturali. Inde et Iridem ei, ut mori possit, crinem facit abscindere, Euripidem imitatus, qui Mercurium itidem comam Alcesti secantem, quia fato mariti peribat, inducit. Nisi enim vel Parcae filum, in quo vita hominis pendebat, rupissent, vel Proserpina nomen ejus in poste apud inferos notasset, vel crinem de capite abscidisset, vel Eumenides cum lampade lustrassent, mori quis non posse dicebatur. Sed et lapides omnium in urna apud inferos versari, et cujus lapis prior exiret, priorem, cujus serior, seriorem ad inferos descendere asseverant.

12. Talibus figmentorum ridiculis operam semper adhibuit inveniendis pulchre mendax Graecia et poëtica garrulitas, semper de falsitate ornata. Has autem mortis commenticias dilationes ab hac re ortas ferunt, quod certis consecrationibus solebant majores facere, ut adversus omnes fortunae impetus essent muniti. Nec poterant, ut ait Servius, mori, nisi exacta illa consecratione. Unde circa Didonem ista servantur. Porro urnam illam ipsum quidem mundum non absurde accipiunt semper titubantem et omnia versantem et ad inferos quoscumque tenet mittentem. Unde Horatius: *Omnium versatur urna, serius ocius sors exitura.* Sed et ab historia ductum videtur. Graeci enim, ut legitur, legatos quopiam missuri, sortes in urnam ponebant, et quos sors destinabat, mittebant. De Didone expirante *dilapsum* dicit Virgilius *calorem*, eos imitatus, qui animam dicunt calorem esse, qua recedente, corpus friget, *et in ventos vitam recessisse*, id est *animam*; ut alibi, *tenues — arcessere vitas;* aut illos secutus, qui animam aërem dicunt, hoc est, in materiam suam redire; aut certe Epicureos, qui animam dicunt perire cum corpore, ut intelligamus evanuit. Ob quam rem secundum eosdem dictum est: *Facilis jactura sepulcri.*

13. Eam etiam inter exordia conditae Carthaginis Aeneae nuptam:

Frugiferae Cereri, Phoeboque patrique Lyaeo,

Junoni vero ante omnes sacrificantem inducit; Cereri videlicet, ut frugum praestet fecunditatem; Phoebo, quia auspiciis, ut supra diximus, praeest, quibus urbes reguntur; Lyaeo, id est Baccho, qui, ut in sequentibus docebimus, apte urbibus libertatis est deus. Unde et Marsyas, ejus minister, est in civitatibus libertatis indicium. Nam dii alii si in urbium primitiis invocentur, ad privatam id pertinet causam, ut ibidem:

Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curae.

Quamvis enim rei publicae utilitas simularetur, erat tamen

et specialis causa Didonis. Et communis hoc habet sensus. Sacrificavit, inquiunt, primo numinibus, quae urbi praesunt, quasi nuptura pro rei publicae utilitate; deinde Junoni, cui curae sunt nuptiae. Nonnulli tamen altius sentiunt. Nam facturi, ajunt, aliquid, ante adversos placamus deos, et sic propitios invocamus, ut:

Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus album.

Ergo modo nuptura placat ante Cererem, quae propter filiae raptum nuptias execratur; Apollinem, qui expers uxoris est; Liberum, qui raptam, ut legitur, conjugem ducere non potuit; et sic Junonem conciliat. Tale et illud Apollinis Iulum in nono alloquentis est, quum is invocato Jove Numanum sagitta occidisset: *Primam hanc tibi magnus Apollo concedit laudem.* Concedere enim se ideo dicit, quia sagittarum deus est; et licet eum Juppiter juverit, Apollo tamen suum vindicat officium, dicens, se concessisse, quia non prohibuit. Ea enim, quae ab aliis numinibus poscimus, tunc implentur, si non alii dii adversantur, et praecipue ii, quorum ea propria sunt. Unde et in quarto Juno, de Didone et Aenea agens, Veneri ait: *Adero, et tua si mihi certa voluntas, connubio jungam stabili;* hoc est, quod in me est, jungam eos; restat ut tuum velis implere officium.

10. Pallas.

1. Maximam Jovis filiam Palladem volunt. Hanc belli, hanc sapientiae, hanc omnium artium, ut Ovidius dicit in libro Fastorum, deam esse volunt. Diversa etiam ei nomina attribuunt. Dicitur enim eadem dea Pallas, Minerva, Tritonia, et apud Graecos Ἀθηνᾶ. Pallas igitur vel a Graeco dicitur πάλλειν, id est ab hastae *concussione*, quod videlicet facit dea; sive quia secundum fabulam, Gigantem Pallantem juxta fluvium Tritonem interfecerit. Quod ideo juxta Remigium fingitur, quia stultitiam in luto miserabilis ignorantiae jacentem interfecit sapientia. Pallas etiam *nova* interpretatur. Sapientia enim nullum senium nullamque sentit vetustatem. Ob id ipsum et Minerva dici meruit, id est *non mortalis: min* enim non; *erva* mortalis interpretatur. Idem sonat Ἀθηνᾶ. Dicitur enim Ἀθηνᾶ quasi ἀθάνατος, id est *immortalis.* Tritonia vero juxta Remigium, quasi Tritonoia, nuncupata est, id est *terna notitia.* Philosophi namque mentibus tantum cognoscendis laborabant, creatore videlicet et creatura et anima, quam mediam judicabant, de qua alibi tetigimus. Fulgentius tamen de hoc nomine aliud sentit. Triton enim, ut supra diximus, juxta eum quasi

τετριμένον, Latine *contritum* dicimus. Unde, inquit, Tritonia dea dicta est sapientiae, quia omnis *contritio* facit sapientem. Juxta Servium τρεῖν *timere* interpretatur. Unde juxta eum Tritonia quasi *terribilis* appellata est. Nam quod a Libyca palude hoc nomen meruerit, quia illic a caelo descensum et ad caelum ascensum celebraverit, poëticum esse constat. Nam legitur:

Et se dilecta Tritonia dixit ab unda.

2. Fingitur sine matre nata, quia sapientia sine principio et fine est. Ideo virgo, quia sapientia nullam vitii recipit corruptionem, sed perpetua gaudet morum integritate. Fingit Palladem Martianus de sublimiore et splendidiore loco descendisse, quia videlicet in excelsis sapientia habitat, et omnem terrenae faecis supergraditur vilitatem. Habes ipsam dicentem: *Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis.* Fingunt et eandem Jovis vertici inhaesisse, quia secundum fabulam de capite Jovis nata perhibetur. Quo figmento innuitur, quod ex mente summi dei sapientia progenita est. *Ego*, inquit, *ex ore altissimi prodivi.* Nam et quod Pallas sine matre introducitur, ostendit, aeternam sapientiam non ex aliis extantibus, sed ex substantia dei principium habuisse. Hinc etiam quod virgo et sine matre est, septenarius ei numerus consecratur, quod solus ille intra denarium limitem, sicut in arithmetica traditur, nec alium a se gignit, nec ipse a quoquam nisi a sola, quae omnium numerorum mater est, generatur unitate. Gorgonis caput fert in pectore quasi terroris imaginem. Illic enim est, ut ait Servius, omnis prudentia, quae confundit alios, et imperitos et saxeos comprobat. Triplicem habet vestem, seu quia omnis sapientia est multiplex, seu quia celata. In hujus tutela noctuam ponunt, quia sapientia etiam in tenebris proprium fulgorem possideat. Dicitur vero a plerisque ideo de vertice Jovis nata, quia in cerebro ingenii et sapientiae sedes esse dicatur. Hinc et arces ei et editiora ac divitiora urbium munimina dicimus consecrari. Legimus enim: *Pallas quas condidit arces ipsa colat.* Unde et in Trojae eversione competenter eam Virgilius arces dicit insedisse. Sua enim numinibus opera consultissime dat evertenda; portas Junoni, quarum, ut diximus, dea est; arces Palladi, muros Neptuno, cui fundamenta sunt consecrata, cujus et moveri dicuntur arbitrio. Nam et ἐνοσίχθων, id est *terram movens*, ut diximus, appellatur.

3. De Pallade et Vulcano hoc fingit fabula. Vulcanus quum fulmina Jovi fabricaret, ab eo permissum accepit, ut quicquid vellet praesumeret. Ille Minervam petiit conjugem. Juppiter autem Minervae imperavit, ut virginitatem suam

armis defenderet. Dumque in cubiculum introirent, reluctante Pallade, Vulcanus semen in pavimentum jecit, unde natus est puer pedibus draconteis, qui Erichthonius dictus est, quasi de *terra* et *lite* procreatus. Nam juxta Servium *χθὼν terra*, *ἔρις lis* interpretatur. Hic ad tegendam pedum foeditatem, primus curru usus est. De nomine tamen ejus aliter sentit Fulgentius. Ait enim, *ἔρις* Graece *certamen*, *χθὼν terra*, sive *φθόνος invidia*, dicitur. Illum conceptum Minerva in cistam abscondit, draconeque custode apposito, duabus sororibus Pandorae et Aglauro commendavit. Vulcanum igitur intelligi voluerunt *furiae ignem*. Unde et Vulcanus secundum Fulgentium dictus est, id est *voluntatis calor*. Denique et Jovi fulgura facit, id est civibus furorem concitat. Ideo Minervae conjugium appetit, quia furor et sapientibus aliquando subrepit. Illa vero armis virginitatem defendit, quia omnis sapiens ad integritatem morum defendendam contra furiam virtute animi dimicat. Inde igitur nascitur Erichthonius, id est *certamen invidiae* sive *terrae*; terrae, inquam, quia sicut terra corporum, sic et invidia mundanae gloriae consumtio est. Et quid aliud subrepens sapientiae furor, nisi certamen invidiae queat generare? Quam quidem invidiam Minerva in cista abscondit, id est sapiens in corde celat. Sapiens enim lenior est, et dolorem suum minime patefacit. Draconem ei custodem apponit, id est sollicitudinem adhibet. Eum etiam duabus commendat virginibus Pandorae et Aglauro. Pandora vero *universale munus*, Aglauro vero *tristitiae oblivio* interpretatur. Sapiens enim si quid irae vel rancoris adversus aliquem portat, id vel benignitati, quae omnium naturaliter munus est, commendat, id est ex benignitate ignoscit; vel dum differt ultionem, transfert in oblivionem.

4. Sane quia de Vulcano orta est mentio, Remigius et Servius eum quasi Volicanum, *volantem candorem* interpretantur. Ponitur enim, ut ait quodam in loco Remigius, in specie ignis terreni, sicut Jovis in significatione caelestis. Claudus fingitur, quia ignis numquam rectus sed anfractuosus incedit. Ponitur et Vulcanus pro igne obscoenae cupiditatis. Unde et Veneris fingitur maritus. Bene etiam Lemnius, id est *lutosus*, dicitur, quia obscoena voluptas nonnisi in lutosis mentibus versatur: *λίμνη* namque *lacus* interpretatur. Dicitur et Mulciber, hoc est ignis aërius, quasi *mulcens imbrem*. Quum enim nubes altiora petierint, calore in pluvias resolvuntur. Inter Jovem vero et Vulcanum et Vestam hoc dicimus interesse, quod Jovis est ignis aetherius simplex et innocuus, nihilque perurens; Vesta vero ignis est publicus, usibus mortalibus accommodatus; Vulcanus

autem ignis intelligitur noxius et perurens, quale est fulmen; unde et Vulcanus quasi *volans candor* dici putatur, quod videlicet per aërem volet; a nubibus enim secundum physicos nascitur. Fingitur autem de Junonis femore natus, et propter informitatem a caelo dejectus, ita ut claudus fieret, in Lemnum insulam cecidisse, et a Lemno primitus nomen Lemnius accepisse. Juno igitur aër est. De ea natus est, quia omne fulmen de aëre cadit. De femore ejus ideo, quia de uno aëre fulmina nascuntur. Unde Lucanus:

Fulminibus propior terrae succenditur aër;
Pacem summa tenent.

Quia autem in Lemnum insulam crebrum jacitur fulmen, ideo in eam cecidisse dicitur Vulcanus.

5. Est autem physica causa cur inter Aetnam et Lipara fingatur habere officinam, propter ignem videlicet et ventos; quae apta sunt fabris. Etenim Aetna mons est ardens, Lipare autem de insulis, quibus Aeolus imperavit. Vulcano famuli, qui fulmina fabricent, decernuntur Brontes et Steropes et Pyracmon. Brontes igitur a *tonitru*, Steropes a *fulgure*, Pyracmon a *calenti incude* nomen accepit; πῦρ enim *ignis*, ἄκμων *incus* interpretatur. Priorum enim nominum origines a Graecis inquirite. Toto autem caelo fulmina illa mitti dicit Virgilius, quod teste Servio dicunt philosophi de XVI partibus caeli fulmina in terras mitti. Quod autem ibidem subjunxit:

Tris imbris torti radios, tris nubis aquosae
Addiderant, rutili tris ignis et alitis austri;

toto anno fulmina cadere insinuat. Nam per has periphrases tempora totius anni ostendit, quae et IV esse et ternos menses habere manifestum est. Per *tris* enim *radios imbris torti*, id est constricti et coacti in grandinem, hiemem designat, in qua grandinem abundare constat. Per *tris nubis aquosae* ver, quo tempore nimiae sunt pluviae, ut ipse alibi: *Et ruit imbriferum ver.* Per *tris rutili ignis* aestatem. Per *tris alitis austri* autumnum, quo ventorum crebra sunt flamina. Prudenter autem his omnibus naturam exprimit fulminis, quod necesse est, ut per nubes nascatur et ventos. Quod vero fulmen trifidum vel trisulcum leginus, ad aliud spectat. Est enim fulmen quod afflat, est quod findit. Nam quatuor quos dicit fulminum species, minime ab his alienae videntur. Est enim, inquit, fulmen quod terreat, ut:

Aeternis regis imperiis et fulmine terres.

Est quod afflet, ut: *Fulminis afflavit ventis.* Est quod puniat, ut:

Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras.
Est quod praesagiat, ut:
De caelo tactas memini praedicere quercus.
Ideo etiam juxta Servium maritus Veneris fingitur Vulcanus, quia venerium officium nonnisi calore consistit. Unde Virgilius: *Frigidus in Venerem senior.* Mulciber autem dictus est, quia ignis *ferri* duritiam emollit atque *demulcet.*

6. Ad Palladem autem deinceps revertamur. Fabula habet, propter Cassandrae stuprum iratam Graecis fuisse Minervam, vel quod ei victores superbia sacrificare noluerunt. Unde eos redeuntes gravissima tempestate fatigatos per diversa maria dispersit. Inde Horatius: *Quum Pallas usto vertit iram ab Ilio* Revera autem constat, Graecos tempestate laboravisse aequinoctio vernali, sole in Ariete posito, quando manubiae Minervales, id est fulminum jactus, tempestates gravissimas commovent. Haec autem numina, quae inter sidera non videmus, licet signa sua propria non habeant, cum aliis potestate tamen permixta sunt, ut Ophiuchus ipse est Aesculapius; Gemini quoque Apollinis et Herculis signum esse dicuntur. Sic et Aries Minervae signum esse dinoscitur; ideoque Minerva fertur Graecos punisse, quod sub illo signo periclitati sunt. Sane in Etruscorum libris lectum est, certa esse numina jactus fulminum possidentia, Jovem videlicet, Vulcanum et Minervam. Unde apud poëtas ubique cautum invenimus, ne aliis fulmina dare praesumserint. Oliva, quae signum pacis est (unde et nomen invenisse videtur; ἔλεος enim Graece misericordia interpretatur) Palladi, utpote deae sapientiae, merito consecratur; quod sapientium sit et pacem amare, et inter discordes eam quantocius reformare. Ut autem in pacis petitione ramus olivae cum vittis offeratur, partim fabulae partim naturae efficit ratio. Nam quum de nomine Athenarum, ut supra diximus, Neptunus et Minerva contenderent, Minerva olivam protulit et statim vicit. Unde quum ramus ejus alicui offertur, indicat esse meliorem. Hinc et illud proverbium dictum est *herbam do*, id est victoriam concedo. In agonibus denique, ut ait Varro, herbam in modum palmae dabat aliquis ei, cum quo contendere non conabatur, et meliorem esse fatebatur. Vittas autem, id est institas laneas, habet ramus olivae ideo, ut inertiam et imbecillitatem offerentis ostendat. Scimus enim, oves alieno semper auxilio indigere. Vittae vero a *vinciendo* dictae sunt.

7. De Minerva etiam dicitur, quod tibias adinvenerit. Quibus quum in convivio deorum concinuisset, ejusque tumentes buccas dii omnes irrisissent, illa ad Tritoniam paludem pergens, in aqua faciem suam turpem speculata, tibias ab-

jecit. Quibus repertis Marsyas canens, Apollinem ad certamen provocavit. Midam igitur regem judicem elegerunt, quem Apollo, quod injuste judicasset, asininis auribus dedecoravit. Is criminis sui notam tonsori tantum ostendit, ei, ut taceret, partem pollicens regni. Ille celare nequiens, nec palam proferre ausus, terram fodit, et in defosso rem dixit et operuit. In eodem loco calamus natus est, unde sibi pastor quidam fistulam fecit, quae percussa: *rex*, inquit, *Midas asininas aures habet.* Sic ergo Orpheus in theogonia scribit. A musicis haec reperta est fabula. Musici enim duos artis suae posuerunt ordines; tertium deinde minoris valentiae adjecerunt: canticorum, citharizantium et tibizantium. Prima ergo est vox viva, quae in omnibus sibi musicis necessitatibus celerrime subvenit. Secunda est cithara, quae quum in multis vivam vocem aequiparare videatur, aliqua tamen non implet, quae viva vox potest. At vero tibia vix artis musicae partem extremam sufficit adimplere. De quinque enim symphoniis, quas viva vox vel cithara reddit, tibia vix unam et dimidiam perficit. Minerva itaque, id est aliqua persona sapiens, tibiarum nondum experta defectum, eas quidem adinvenit; quas tamen cognitas omnis doctus in musicis propter sonorum respuit paupertatem. Inflatas vero buccas dii risisse dicuntur, quia tibia ventose in musicis sonet, et artificiosae flexibilitatis vocum proprietate amissa, rem potius sibilet quam musice moduletur. Merito ergo eam nimio flatu perstrepentem, omnis qui in arte musica doctus est, ridet. Unde et Minerva, id est sapientia, exprobratam tibiam projicit, quam tamen Marsyas sumit. Marsyas enim *stultus* interpretatur, qui solus in arte musica tibiam praeponere voluit citharae; unde et cum porcina merito pingitur cauda.

8. Sed certantibus Midas imperitus assidet judex, qui etiam *nihil sciens* interpretatur. Hic et asininis dicitur auribus, quia omnis discernendi expers nihil ab asino differt. Ob hanc rem et servus ejus auricularum dedecus dicitur prodidisse. Ingenium enim nostrum, ut legitur, servum habere debemus ad omnia quae volumus obsequentem, et secreta nostra caute celantem. Canna autem, per quam dedecus illud est prolatum, gutturis significat fistulam, per quam loquens suam prodit ignorantiam. Pastor vero qui audit, eos qui doctrinis animos pascunt designat, qui ejus primi inscitiam deprehenderunt. Idem Midas, ut Ovidius refert, a Baccho petiit et impetravit, ut quicquid tetigisset, aurum fieret. Quod munus in ultionem ei conversum est; quicquid enim tetigerat, in aurum convertebatur. Cibus quoque ac potus in auri materiam marmorabat. Itaque idem

a Baccho postulavit, ut mala desiderata averteret, responsumque accepit, ut suum Pactolo fluvio caput supponeret. Quo facto, Pactolus aureas arenas traxit. Inexplebili hominum cupiditati hanc dicunt fabulam allusisse. Avaritiae enim deservientes, et semper aurum suum augmentare, et de re qualibet multiplicare cupientes, fame moriuntur; verbi gratia Midas, qui avaritiae deditus, licet ei aurum ad libitum suppeteret, minime tamen bonis suis vesci sustinuit. Scribitur autem in historia de eo, quod collecta pecuniarum suarum summa, Pactolum fluvium, qui per unum tantum alveum in mare decurrebat, per innumerabiles meatus ad irrigandam provinciam derivaverit, sicque sua expensa pecunia fluvium fertilem reddiderit. Qua in re quia censum consumsit, caput fluvio dicitur supposuisse. Fluvius quoque aureas arenas traxisse dicitur, quod frugifer factus est. Denique, ut diximus, Midas, id est nihil sciens dictus est, quod avarus adeo stultus est, ut sibi prodesse non norit.

9. Ope Minervae Prometheus usus est, de quo hanc fabulam confingunt. Prometheus hominem ex luto fecit, eumque inanimatum atque insensibilem finxit. Cujus opus Minerva mirata, spopondit ei quicquid vellet de donis caelestibus ad opus suum juvandum. Ille se minime scire ait, quae bona in caelestibus haberentur; sed si fieri posset, ut se usque ad superos elevaret, petiit, ut quid suo operi congrueret, ipse cerneret et eligeret. Illa ergo eum clypeo suo impositum in caelum detulit. Illic quum videret corpora caelestia flammatis animata vegetari vaporibus, clanculum ferulam rotae Phoebi applicans, ignem furatus est, quem pectori applicans hominis, animatum reddidit corpus. Denique ligatum eum ferunt vulturi jecur perenne praebentem. Refert Nicagoras, et testatur Petronius Arbiter, Prometheum primum idolum formasse, vulturique jecur praebuisse, eo quod invidi dente eum detractionis momorderint. Fulgentius vero Prometheum dei providentiam asserit interpretari; Minervam vero caelestem esse sapientiam; divinum ignem sapientiam vel animam intelligi. Divina igitur providentia Pallade inspectante, quae dea est sapientiae, id est sapientem hominem formans, ei ut viveret animam esse necessariam vidit, quam ei velut de caelo tractam divinitus inspiravit. Merito autem et a sole faculam accendit, quod secundum physicos quum ab aliis planetis alia accipiamus, a sole vitam habemus. Vulturem vero jecur ejus carpentem in figura mundi vult accipi, quod et celeri quadam volucritate mundus versetur, et cadaverum nascentium occidentiumque perennitate depascatur. Denique et facto homine Pandoram dicitur

formasse. Pandora enim Graece *munus omnium* dicitur, quod anima omnium sit munus generale.

10. Servius tamen de Prometheo aliud tradit. Ait enim, Prometheum post factos homines a se auxilio Minervae caelum ascendisse et adhibita facula ad rotam solis ignem furatum esse, quem hominibus indicavit. Ob quam causam irati, inquit, dii duo mala terris immiserunt, morbos et macies, sicut et Sappho et Hesiodus memorant. Quod etiam Horatius tangens dicit:

Post ignem aetheria domo
Subductum, macies et nova febrium
Terris incubuit cohors.

Ipsum etiam Prometheum per Mercurium in monte Caucaso religaverunt ad saxum, et adhibita est aquila, ut cor exederet. Haec autem, inquit, omnia non sine ratione finguntur. Nam Prometheus vir prudentissimus fuit; unde etiam Prometheus est dictus a Graeco προμήθεια, id est *providentia*. Hic primus astrologiam Assyriis indicavit, quam residens in Caucaso altissimo nimia cura et sollicitudine perviderat. Hic autem mons est positus circa Assyrios, vicinus paene sideribus; unde etiam majora astra demonstrat, et diligenter eorum ortus occasusque significat. Dicitur autem aquila cor ejus exedere, quia atrox est sollicitudo, qua ille defectus siderum omnes deprehenderat et motus. Et hoc quia per prudentiam fecit, duce Mercurio, qui prudentiae et rationis deus est, ad saxum dicitur esse ligatus. Deprehendit praeterea rationem fulminum, et hominibus indicavit; unde caelestem ignem dicitur esse furatus. Sed et quadam arte ab eo monstrata supernus ignis eliciebatur, qui mortalibus profuit, dum bene eo usi sunt. Nam postea malo hominum usu in perniciem eorum versus est. Sicut in Livio lectum est de Tullo Hostilio, qui ideo exustus est cum omnibus suis. Numa vero Pompilius impune eo usus est tantum in sacris deorum. Hinc est, quod igne rapto ab iratis numinibus morbi hominibus dicuntur esse immissi.

11. Venus.

1. Veneris ortum, quum de Saturno egimus, sufficienter expressimus. Hanc Epicurei, qui voluptati student, bonam rem, Stoici vero, qui voluptati renuntiant, vanam rem interpretantur. In Tullio tamen Venus, quod ad omnia *veniat*, legitur appellata. Nuda pingitur seu quod crimen libidinis minime celetur, seu quod nudis conveniat, seu quod libido consilium cujuslibet nudet et celari non sinat. Rosae ei adscribuntur. Rosae enim rubent et pungunt; itemque libido

ruborem ingerit e pudoris opprobrio, pungitque peccati aculeo. Sicut enim rosa delectat quidem, sed celeri motu temporis tollitur; ita et libido. Columbae ei consecrantur, quod illae aves (ut frequens innuit foetura) maxime in coitu fervidae creduntur. Pingunt eam in mari natantem, quia libido rebus naufragia inferre non dubitetur. Unde Porphyrius in epigrammate:

Nudus, egens, Veneris naufragus in pelago.

Concha etiam marina portari pingitur, quia hoc animal aperto simul toto corpore in coitu misceatur. Myrtus ei deputatur, vel quod haec arbor litoribus gaudet, et Venus de mari dicitur procreata, vel quod salso mari vicina est; et salsus est, ut diximus, sudor quem semper elicit coitus; vel quod, ut medicorum indicant libri, haec arbor plurimis mulierum necessitatibus apta est. Verbenis placatur, quod haec herba semen non emittit. Unde est: *Ara castis vincta verbenis.* A Cypro insula, aromatum feracissima, Cypris dicitur, quae *mixtura* interpretatur.

2. Tres ei Gratiae, quae Charites dicuntur, unius pulchritudinis, Pasithea videlicet, Aglaie et Euphrosyne ministrae dantur, quae nudae pinguntur, quia gratia sine fuco, id est non simulata et ficta, sed pura et sincera esse debet. Connexae sunt, quia insolubiles esse amicitias decet. Unde Horatius:

Segnesque nodum solvere Gratiae.

Quod vero aversa una, duae vero respicientes pinguntur, haec ratio est, quod gratia a nobis simplex profecta, duplex solet reverti. Veneris et Liberi dicuntur filiae, quia gratiae per horum fere numinum munera, Veneris videlicet, quae voluptas est, et Liberi, qui vinum est, saepissime concilian-tur. Interpretatur autem, sicut ego mihi accepisse videor, Pasithea *attrahens*, Aglaie *demulcens*, Euphrosyne *retinens*; quia in amicitiarum obtentu primum sit ignotos allicere, secundum allectos blandimentis permulcere, tertium, quos permulseris, obsequio retinere. Venere et Baccho natus fingitur Hymenaeus, quia, ut ait Remigius, ob vini petulantiam libido excitari solet. Dicitur autem Graece ὑμὴν membrana, quae est proprie muliebris sexus, in qua puerperia fieri dicuntur. Inde Hymenaeus nuptiarum deus dictus est.

3. Lactantius tamen ab historia tractum dicit, ut Hymenaeus nuptiis praesit, quod etiam Servius attestatur. Fuit enim Athenis, inquit, adolescens tantae pulchritudinis, ut feminam mentiretur. Hunc quum una ex civibus virgo nobilis adamasset, ipse tamen mediocribus ortus parentibus, nuptias desperabat. Quum autem Atticae semel virgines

prope litus sacra celebrarent, subito piratarum adventu raptae et asportatae sunt, inter quas et Hymenaeus, qui in habitu muliebri amatam virginem subsecutus, puella creditus est. Piratae vero in longinqua regione portum nacti, ab insequentibus sunt interemti. Hymenaeus igitur relictis ibi virginibus, Athenas reversus, dilectae nuptias a civibus pactus est, si filias iis restituisset. Quas ubi pro voto restituit, exoptatam duxit uxorem. Cui quia feliciter conjugium obtigit, obtinuit, ut nomen ejus in nuptiis invocetur. Nam Hymenaeum adolescentem, ut nonnulli dicunt, die nuptiarum ruina oppressum esse, ideoque expiationis causa nomen in nuptiis invocari, falsum esse Servius affirmat.

4. Quod vero fingit Virgilius, Aenea in Libyam appulso, Jovem in summo caelo cum Venere convenisse, metonymiam illam secundum mathesin videtur ordinare. Nam stella Joviali in altitudine sua posita cum stella Veneria significari dicitur, quod per mulierem aliqua felicitas proventura sit. Ergo quia Aeneas in partem regni per occacionem conjugii erat admittendus, idcirco hoc poëta praemisit. Illud etiam ibidem animadvertes, quod peritissime dixit Venerem tunc Jove tristiorem; ex quo significat, exitum uxoris infelicem futurum; nam se denique Dido interemit. Quod autem Mercurium facit a Jove defluentem ad occasum descendere, id est ad ima terrarum, ostendit amicitias quidem fore, sed minime diuturno tempore permanere. Dicunt etiam mathematici, Venere in Virgine posita, misericordem feminam nasci. Atque ideo Virgilius fingit in habitu virginis venatricis Venerem Aeneae occurrisse. Quare et misericordem postea reginam expertus est, et in venatione cum ea permixtus. Nam quod ubique ei comitem dat Achatem, ob hoc excogitatum est, quod ἄχος *sollicitudo* interpretatur, quae regum semper comes est; sive quod omnibus amabilis fuerit; scribit enim de achate Plinius, quod si quis hunc lapidem in anulo habuerit, gratior est; sive, ut ait Fulgentius, achates tristitiae consuetudo dicitur; ab infantia enim aerumnis conjuncta est humana natura.

5. Est et theologica ratio, quod ignorantes usum venerium numina videre dicuntur. Unde merito idem Virgilius in secundo, Venere se in spissis umbris noctis concludente, Aeneam deos vidisse commemorat. Quod autem post Veneris abscessum diras ait facies et numina inimica apparuisse, id secundum mathesin compositum videtur. Veneris enim praesentes radii intervenientes aneroticos, id est noxios planetas temperant, Martem videlicet et Saturnum, qui si ortum geniturae radiis suppulsaverint, vitae rationem intercidere aestimantur. Unde est:

——— *Te Jovis impio*
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucrisque Fati
Tardavit alas.

Et bene tardavit, quia necessitas fati impediri posse dicitur, non penitus eludi. Hinc est:

——— *Nec fata vetabant*
Stare, decemque alios Priamum superesse per annos.

Quod vero post paucos versus subjunxit, *ac ducente deo*, id est Venere, secundum eos dictum est, qui, ut supra diximus, utriusque sexus participationem habere numina voluerunt. Unde Gallus: *Pollentemque deum Venerem.* Item alibi Virgilius: *Nec dextrae erranti deus afuit;* quum aut Juno fuerat aut Alecto. Est etiam in Cypro simulacrum barbatae virginis, id est Veneris. Nec mirum, teste Servio, utriusque sexus putari numina, quippe quae incorporea sunt, et quod volunt corpus ut videantur assumunt. Nisi enim corpora induerint, humanis visibus apparere non possunt. Sane secundum poëticam sciendum disciplinam, nolle se numina videri nisi ex nimia necessitate. Unde et de Veneris ibi apparitione pro miraculo dictum est: *Alma parens confessa deam.* Et ob id ipsum alibi: *Transque caput jace, nec respexeris.* Quod autem ibidem Venus Aeneae promiserit, se ei nusquam abfuturam, ob hoc fictum videtur, quod, ut Varro docet, ex quo Aeneas a Troja recessit, donec ad Laurentem agrum veniret, Veneriam semper vidit stellam. Unde est etiam: *Matre dea monstrante viam.* Et alibi:

Jamque jugis summae surgebat Lucifer Idae;

statimque ea facta retrograda exinde ei non comparuit; unde et ipse se ad terras fatales pervenisse cognovit. Sed et ideo, quod bona ejus constellatione tamquam materno ubique usus sit praesidio, matrem eam dixisse non absurde putari potest.

6. Dicitur Venus, quum Glaucus ejus sacra sperneret, equabus ejus, quibus ad currum utebatur, furorem irata immisisse, quae eum morsibus laceraverunt. Hoc autem ideo fictum est, quia Glaucus ab equabus nimia concupiscentia effrenatis dilaniatus est, quum eas a coitu prohiberet, ut essent velociores. Dicitur etiam cum Venere Mars furtim concubuisse, quod Sol videns Vulcano prodidit. Ille adamanteis catenis eos coëuntes ligans, diis omnibus turpiter ostendit jacentes. Illa dolens quinque Solis filias, Pasiphaën, Medeam, Phaedram, Circen et Dircen detestabili amore succendit. Mars igitur complexu Veneris pollutus, id est, virtus libidinis illecebris corrupta, sole teste apparet, id est,

tandem veritatis indicio rea esse cognoscitur. Quae quidem virtus prava consuetudine illecta vinclis constrictioribus ostenditur catenata. Venus itaque quinque Solis filias, id est quinque humanos sensus luci ac veritati deditos, et ad variam rerum perceptionem, ut probant philosophi, datos, quasi solis foetus, hac corruptela obfuscat. Nullus enim sensus est, quem non suis illecebris voluptas inficiat. Quibus autem singulos corruptionibus molestet, in Martiano competentius leges. Congrua autem filiabus Solis nomina tribuuntur. Dicitur enim prima Pasiphaë, id est *omnibus apparens*, ut visus; visus enim nonnisi in medio posita contemplatur. Secunda Medea, id est *nulla visio*, designans auditum. Vox enim nulla corporea est. Tertia Circe, id est *manuum judicium*, quae pro tactu accipitur. Quarta Phaedra, id est *afferens suavitatem*, quae significat odoratum. Quinta Dirce est, quae *acre judicans* interpretatur. Est enim gustus saporis judex.

7. Quod vero Pasiphaë taurum amasse, et Minotaurum peperisse dicitur, Servius a re gesta sumtum dicit. Asserit enim, notarium Taurum Minois fuisse. Hunc, inquit, Pasiphaë, uxor Minois, furtim amavit, et cum eo in domo Daedali concubuit; et quia geminos peperit, unum de Minoë, alterum de Tauro, enixa esse Minotaurum dicitur. Unde Virgilius: *Mixtum genus.* Sane huic rei quia consensum praebuit Daedalus, rex iratus eum in carcerem trusit; sed inde eum regina corruptis relaxavit custodibus. Qui amisso in mari filio, navi Cumas venit. Quod etiam Virgilius tangit, dicens: *Remigio alarum.* Alae enim et volucrum sunt et navium. Unde idem alibi: *Velorum pandimus alas.* Filios vero Atheniensium, qui ad Minotaurum devorandi mittebantur, auri et argenti pondera post victas Athenas Minoi in tributum missa arbitror accipienda. Porro Circe juxta Servium ob hoc tantum Solis fingitur filia, quod clarissima meretrix fuit, et sole nihil clarius est. Haec, inquit, sua libidine et blandimentis homines in ferinam vitam ab humana deducebat, ut libidini et voluptatibus operam darent.

8. De eo vero, quod Scyllam mutaverit, haec fabula ficta est. Scyllam virginem pulcherrimam Glaucus, Anthedone civitate secundum plerosque natus, juxta Fulgentium vero Anthedonis filius, amavit. Hunc Circe, Solis filia, diligebat, zelataque Scyllam, fontem, in quo lavari solebat, venenis infecit; ubi illa descendens, ab inguine lupis canibusque inserta est. Veritas longe alia est. Anthedon *contrarium videns*, Glaucus *luscus*, Scylla *confusio* interpretatur. Ex ignavia ergo et incuria (quae, quia earum finis morum corruptio extremaque perditio sit, contraria veritati

et saluti spectare videntur) lippitudo animi ignorantia natam Scyllam amat; id est, quivis per hujusmodi vitia in insipientiam lapsus, libidini indulget, quae confusos reddit. Et merito luscus dicitur, quia qui libidini operam dat, caecus et insipiens et putidus est. Scyllae vero inguina lupis et canibus mixta dicuntur, quia mulieres, vel virorum libidini servientes, nequeunt meretriciam ipsorum devorationibus saturare cupiditatem; vel ipsae voluptati deditae, suam nesciunt a corruptoribus distrahere substantiam. Unde Juvenalis:

Prodiga non sentit pereuntem femina censum.

Canes vero et lupi ob hoc ex ea, ut ait Servius, nati esse finguntur, quia et loca ipsa monstris maximis plena sunt, et undarum ad saxa allisarum sonus latratum imitatur. Ipsum quoque Glaucum in monstrum, ut habet fabula, deformatum reor, quia libidinis impatientia non minor virilis sexus quam feminei turpitudo perditioque sit. Circe Scyllam odisse dicitur et mutasse, quia Circe, ut supra diximus, *manuum judicium* vel *operatio* interpretatur. Laborem autem, manuum judicium scilicet vel operationem, mulier libidinosa fastidit; quae libidini tandem aliquando renuntians, otia veneria in operum transfert exercitationem.

9. Per Scyllam Ulixes innocuus transiit, quia sapientes libido non vincit. Unde et uxorem habuisse dicitur Penelopen castissimam, quia omnis sapiens pudicitiam servare nitatur. Et de eo aliquid expatiandum est. Polyphemus, ut Servius commemorat, vir prudentissimus, et ob hoc oculum unum in fronte, id est juxta cerebrum habuisse dicitur, quia prudentia plus videbat. Hinc et Polyphemus merito, id est *multae lucis* dictus videtur. Verum Ulixes illum superavit; ideoque eum caecasse fingitur. Idem Ulixes quasi ὅλων ξένος *omnium peregrinus* dici meruit, quia sapientia a rebus omnibus mundanis peregrinos facit. Hinc est, quod Sirenes contemnendo ad mortem dicitur deduxisse. Sirenes enim secundum fabulam tres fuerunt, parte virgines, parte volucres, Acheloi fluminis et Calliopes Musae filiae. Harum una voce, altera tibiis, tertia lyra canebat. Primo autem juxta Pelorum, post in Caphareis habitaverunt, quae illectos suo cantu in naufragia deducebant. Per has transiturus Ulixes sociis aures cera obturavit, se malo alligavit illaesusque pertransiit. Quod illae graviter ferentes, doloris impatientia mortuae sunt. Sirenes igitur corporales illecebras evidenter designant; unde et nomen congruum meruerunt, quia voluptates corporales ad se mentes quorumlibet *trahunt*. Σύρω namque, ut diximus, *traho* interpretatur. Unde et arenarum tractus syrtes nuncupantur. Sapiens autem aures

suorum obturat, ne earum modulationes audiant, id est praeceptis eos salutaribus informat, ne saecularibus deliciis implicentur. Ipse vero malo alligatus transit, id est virtuti innitens, licet mundanarum varietatum illecebras sentiat, eas tamen contemnens in patriam sempiternae beatitudinis tendit. Eo autem digresso, dolore perierunt, quia in animo sapientis carnalis concupiscentia contemta emoritur. Nonnulli tamen has tres sorores pulcherrimas meretrices fuisse contendunt. Quae quia accedentes deducebant ad egestatem, iis dictae sunt inferre naufragia. Volatiles pingi meruerunt, vel quia amantium mentes celeriter pereunt, vel quia meretricum amor citissime labitur. Gallinaceos pedes habent, quia libidinis affectus quantamlibet possessionem inutiliter spargit. Nam quod Plato in sua Republica quum de sphaerarum caelestium volubilitate tractaret, singulas ait Sirenes singulis orbibus insidere, sphaerarum motu harmoniam jucundissimam numinibus significavit exhiberi. Unde sub alia interpretatione Siren, inquit Macrobius, *deo canens* Graeco intellectu valet. Sane Salustius Scyllam dicit saxum simile formae celebratae procul visentibus. Canes vero et lupi ob hoc ex ea, ut ait Servius, nati esse finguntur, quod ea loca ipsa monstris maximis plena sunt, et undarum ad saxa illisarum soni latratum imitantur.

10. Quia vero de Marte superius orta est mentio, idem Mars vel ob hoc juxta Remigium Gradivus dicitur, quia *gradatim* pergit in proelium; vel *ἀπὸ τοῦ γραδεῖν*, id est a *vibratione hastae*; vel juxta eundem Gradivus quasi *gratus divus*, id est, inquit, *potens est divus*. Frequentius tamen, quum saeviret, Gradivus; quum tranquillus esset, Quirinus dicebatur. Duo denique a Romanis templa meruit, alterum intra urbem, quasi custos et tranquillus, alterum extra urbem, quasi bellator Gradivus. Bellantium autem numen dici videtur, quia stella ei deputata, utpote proximo loco supra solem locata, ardentissima esse perhibetur; et in suis domiciliis constituta, bellum praesignare existimetur. Inde et Scorpium Virgilius ardentem appellat, quod Martis videlicet est domicilium. Nam Scorpii utique tempus frigidum est, quippe cujus mensis November est. Gramen ei dedicatur, quia secundum Plinium in Naturali Historia ex humano cruore procreatur. Est autem gramen species herbae; licet generaliter omnis herba gramen vocetur; sicut robur omne lignum, quum sit et species. Unde et Romani moris fuerat, quum de re bellica ageretur, et Marti sacrificaretur, aras constituere gramineas. A Junone cum sine patris admixtione natum dici suspicor, quia ejus stella si per aërem, id est Junonem, sola in utrolibet domi-

ciliorum apparuerit, ardorem bellicum significare putetur oriturum. Sin Juppiter vel Venus coorta fuerit, ipsius violentiam mitigare, effectumque annullare creditur.

11. Romulum et Remum ejus fingi filios constat, quia viri fuerunt bellicosi. Nam quod lupa dicuntur alti, fabulosum figmentum est ad celandam avorum Romani generis turpitudinem. Nec incongrue excogitatum est. Nam et meretrices ab obscoenitatis et odoris ac rapacitatis similitudine *lupas* vocamus; unde et *lupanaria* dicimus. Constat hoc animal etiam esse in tutela Martis; picum Marti consecrari, qui et ipsis expositis alimenta tulisse fertur, quia haec avis rostri acumine velut lanceae cuspide lingna durissima penetret. Illa enim de Pico rege fabula nihil ad hanc rem. Illum namque, ut vult Servius, amavit Pomona, id est pomorum dea, ejusque est sortitia conjugium; quod tamen Ovidius in quarto decimo Metamorphoseon de Nympha nomine Canente fabulatur. Nam aliam fuisse Pomonam, Vertumnoque nupsisse refert. Postea Circe quum eundem Picum amaret et sperneretur, irata eum in avem Martiam convertit. Nam altera est pica. Hoc autem ideo fingitur, quia Picus augur fuit, habens picum avem, per quam futura noscebat, sicut pontificales indicant libri; unde et lituum statuae ejus dat Virgilius. Est autem lituus incurvus augurum baculus, quo ad caeli spatia designanda, eo quod manu non liceret, utebantur. Certas enim in caelo metas notabant, intra quas volantium avium omina considerarent. Circen, quam veneficam fuisse inducunt, ab eo contemtam reor, quia veneficiis renuntiaverit.

12. Res ipsa postulare videtur, quoniam de auguribus tempus admonuit, de superstitiosis augurum ineptiis, quia in his poëtae nonnumquam versentur, hic, ne usquam, aliquid delibare; et quia nec omnes omnia norunt, et hoc rudibus, id est nostri similibus, opusculum cupimus altius inchoare. Magia igitur generaliter, ut ajunt, accepta, quinque complectitur species: praestigia, sortilegia, maleficia, manticen et matematicam vanam. Praestigia sunt, quorum phantastica illusione deceptis sensibus humanis, incredibiles rerum mutationes arte daemoniaca videri videntur. Unde quia res ita phantastice immutant, praestigiatores appellantur. Maleficia malefici exercent, qui per incantationes daemoniacas sive ligationes, vel alia hujusmodi sacrilegii genera, cooperatione daemonum atque instinctu nefanda committunt. Sortilegiis sortilegi intendunt, qui per sortes divinare queunt vel student. Mantice in quinque partes dividitur. Prima est necromantia, quae, ut legimus, interpretatur *divinatio in mortuis*; *νεκρὸς* enim Graece *mortuus*, *μαντικὴ divinatio* dicitur. Hoc namque divinationis genus per humani san-

guinis sacrificium fieri consuevit, quod daemones sitire feruntur. Secunda est geomantia, id est *divinatio in terra* (nam *γῆ terra* interpretatur, unde et *georgicon* id est liber de terrae cultura dicitur; *ἔργον* enim Graece *cultura* dicitur. Inde et sacra omnia apud Graecos *ὄργια*, sicut apud Latinos caerimoniae sunt appellata; licet publicus tandem obtinuerit usus, ut propria Bacchi, sicut supra diximus, orgia, ceterae caerimoniae dicerentur). Tertia est hydromantia, id est *divinatio in aqua; ὕδωρ* enim Graece *aqua* interpretatur; unde et hydropicus, qui nimio appetitu aquae perit; et hydraulia vel hydraula *aquatica organa* novimus nuncupata; *αὐλαὶ* namque *fistulae organales* sunt. Quarta est aëromantia, id est *divinatio in aëre.* Quinta pyromantia, id est *divinatio in igne*; *πῦρ* enim Graece *ignis* dicitur; unde *pyram* et *Pyriphlegethonta*, id est *igneum* dixerunt. Hoc divinandi genere Statius Tiresiam in X Thebaidos utentem inducere videtur.

13. Prima igitur necromantia ad inferos videtur pertinere, secunda ad terram, tertia ad aquam, quarta ad aërem, quinta ad ignem. Mathematica, secunda syllaba brevi et aspirata, doctrinalis interpretatur. Est autem prima (ut tandem deprehensum creditur) speculationis pars, sub se quadrivium, id est arithmeticam, musicam, geometriam et astronomiam continens. Secunda vero syllaba producta et sine h, matematica, *vanitas* interpretatur. Huic species assignantur aruspicina, horoscopica et scientia per aves divinandi, id est augurium. Dicta est autem aruspicina quasi *ararum inspectio*, quia aruspices aras inspicientes, in extis et fibris sacrificiorum futura considerent; qui et ipsi nonnumquam arioli, id est *circa aras precantes*, vel *in aris divinantes*, sive salisatores, quod ex membris *salientibus* et ex pulsu divinaverint, dici meruerunt. Unde est:

——————— *aut caesis saliat quod numen in extis.*

Horoscopica, quam et constellationem dici legimus, est qua in stellis fata hominum inquiri docentur. Hac utuntur genethliaci, qui nativitates hominum attendunt, qui vulgo mathematici dicuntur, quamquam olim specialiter magi leguntur appellati. Horoscopi etiam ab horoscopica, id est *horarum* fata *inspicientes*, nuncupati sunt. De hujusmodi Juvenalis:

Nemo mathematicus genium indemnatus habebit.

Aves juxta artis disciplinam aut oscines sunt, id est, quae futura *ore canunt*, aut praepetes, quae *volatu* significant. Unde per aves divinandi scientia aliquando oculo exercetur, et proprie auspicium quasi *avispicium* dicitur, quia volatum avium et motum speculantur; aliquando auribus, et proprie augurium, quasi *garritus avium* nuncupatur. Usus tamen

frequentior, neglecta vocabulorum origine, utrumque augurium indifferenter appellat.

14. Auguriorum vero alia oblativa sunt, id est, quae non poscuntur; alia impetrativa, id est, quae optata proveniunt. De impetrativo Statius:

Juppiter omnipotens, nam te pernicibus alis etc.

De oblativo Virgilius:

——— *geminae quum forte columbae* etc.

Nisi enim oblativum esset, *forte* non addidisset. Nonnumquam tamen ipsa augures ex devotione fecerunt impetrativa, quae ultro provenerant oblativa. Unde ibidem subditur:

Este duces, o, si qua via est.

Legitur auguralis, ut diximus, fuisse observationis, ut auguria captantes certa spatia designarent, in quibus volebant videnda ad se pertinere. Unde peritissime interjectum est:

Ipsa sub ora viri caelo venere volantes,
Et viridi sedere solo ———

ne videlicet, si longius volarent, ad eum non pertinere viderentur. Hinc in XII de apparitione aquilae dictum est: *Monstroque fefellit.* Illud namque augurium carere fide indicat, sede negata. Ubicumque enim firmum Maro introducit augurium, sedem ei firmissimam dat. Sic in Bucolicis:

Saepe sinistra cava praedixit ab ilice cornix.

In hoc etiam augurio liberatum cygnum in aqua cecidisse dicit, quod instabile fuisse manifestum est. Nec mirum, quum revera nec oblativum fuerit, nec impetrativum, sed factione Iuturnae immissum. Et scimus utique hoc ubique servare Virgilium, ut quibus rebus negatus est exitus, det etiam infirma principia. Sic in Thracia considentem Aeneam, quam mox fuit relicturus, contra morem Jovi de tauro dicit sacrificasse. Sic et in tertio post numinum apparitionem, quae felicitatem videbatur afferre, dictum est: *Corripio e stratis corpus.* Nam statim tempestas subsecuta est. Item in secundo: *Excutior somno.* Et mox illatum est civitati excidium. Quotiens enim ex abrupto somnus aufugerit, significat, ut ait Servius, omen infelix. Nec immerito. Nam si somnus, inquit, munus deorum est, ut: *Et dono divûm gratissima serpit;* non sine infelicitate ex abrupto deorum munus abscedit.

15. Fuit etiam in oblativis auguriis sub arbitrio videntis, utrum visa ad se pertinere vellet, an refutaret et abominaretur. Unde et in eodem augurio ab augure subjunctum est: *Accipio agnoscoque deos*; hoc est, augurium hoc libenter amplector, et circa nos favorem deorum agnosco; ibique deceptus tamquam de oblativo agit. Item in V: *Nec maximus omen abnuit Aeneas.* Fuit etiam Romani

moris, ut non uno contenti augurio, aliquid inchoarent, nisi prius ex simili confirmaretur. Unde est: *Atque haec omina firma.* Nam si dissimilia videbantur posteriora, solvebantur priora. Inde est:

Quantum Chaonias aquila veniente columbas.

Nam aquila sine dubio columbis plus potest. Bene autem Aeneae apud Virgilium in VI datur augurium, utpote Veneris filio et regi. Nam et columbae Veneri propter frequentem, ut diximus, coitum et foecunditatem consecratae sunt; et earum ad reges pertinet augurium, quia numquam solae sunt, sicut nec reges incomitati. Nec ab re est, quod ibidem post orationem Aeneae adjectum est: *Sic effatus vestigia pressit.* Nam et effata proprie sunt augurum preces. Unde etiam aggeres post pomoeria, ubi captabant auguria, dicebantur effatus; et post preces ad captanda auguria immobiles vel sedere vel stare consueverant. Porro praepetum avium, ut ait Servius, aliae superiora tenent, et proprie praepetes dicuntur, aliae inferiora, et inferae nuncupantur; communi autem vocabulo et hae et illae praepetes, quia omnes aves *priora petunt* volantes.

16. Merito aruspicinam, horoscopicam et augurium, matematicae, id est vanitati, subjecerunt, quia in his fata hominum constituere et scrutari, abominabilis juxta veros theologos superstitio cassusque labor sit; licet idem et de ceteris divinandi generibus asserendum non dubitemus. Saepe vero quod ex natura obtigit generi, speciei usus assumit. Sane, ut Cicero ait, omnis divinandi peritia in duas distributa est partes. Nam aut furor est, ut in vaticinationibus; aut ars, ut in aruspicibus, auguribus, genethliacis et similibus. Et haec omnia ex se pendent, licet propriis finibus contineantur. Unde Virgilius omnia ei dat, quem vult perfectum intelligi, ut:

Qui tripodes, Clarii lauros, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas et praepetis omina pennae.

Et alibi:

Cui pecudum fibrae, caeli cui sidera parent,
Et volucrum linguae et praesagi fulminis ignes.

Fulguritae, id est fulguratores erant sive qui fulgura per incantationes exciebant, sive qui illa divinabant.

17. Ad Venerem autem, ne nimis vagari accusemur, abhinc revertamur. Hiemali tempore omnium rerum pulchritudo quodam exitio deperit. Unde ficta est fabula illa de Adone et Venere, et a Remigio sic elucidata. Venus, inquit, Adonem ab apro interfectum fusis lacrimis plangit, quia terrae pulchritudo, quae per Venerem significatur, plangit solem, qui per Adonem designatur, ad australes circulos descendentem, spurcitia et rigore hiemali quasi den-

tibus apri interfectum; tuncque lacrimas imbrium et fluentorum terra producit. De Adone tamen amato Fulgentius aliud sentit. Quod ut fiat evidentius, ab altiori inchoëmus. Myrrha itaque patrem amasse dicitur et cum eodem ebriato concubuisse. Qui quum rem rescisset, evaginato eam persecutus est gladio. Illa in arborem myrrham conversa est. Quam quum pater gladio percussisset, Adonis exinde natus est. Myrrha igitur genus est arboris in India, quae calore solis crematur, quem, ut supra diximus, patrem omnium esse dicebant, quod ejus opitulatu cuncta germinum adolescat varietas; unde patrem amasse dicitur. Quae quum grandioris fuerit roboris, solis ardoribus crepans rimam efficit, per quam sucum desudat, qui itidem myrrha dicitur; ob quam rem Adonem fertur genuisse, qui *suavitas* interpretatur; haec enim species odore suavis est. Ideo autem Venus eum amasse dicitur, quia hoc genus pigmenti valde sit fervidum. Unde et Petronius Arbiter ad libidinis concitamentum se myrrhinum poculum bibisse refert.

18. Cur Amor Veneris dicatur filius, nullus ignorat, quum ex voluptatis desiderio amorem nasci certum sit. Pingitur autem Amor puer, quia turpitudinis est stulta cupiditas, et quia imperfectus est in amantibus, sicut in pueris, sermo. Unde Virgilius de Didone amante:

Incipit effari, mediaque in voce resistit.

Alatus, quia amantibus non levius aliquid nec mutabilius. Sagittas fert, quae et ipsae incertae sunt et veloces; sive, ut vult Remigius, quia conscientia criminis perpetrati stimulet mentem. Aurea autem sagitta amorem mittit, plumbea tollit, quia amanti amor pulcher, ut aurum, non amanti vero res gravis, ut plumbum, videtur. Ideo nudus, quia turpitudo a nudis peragitur; vel quia in ea turpitudine nihil est secretum. Duae autem secundum eundem Remigium sunt Veneres; una casta et pudica, quam honestis praeesse amoribus, quamque Vulcani dicit uxorem; dicitur altera voluptaria, libidinum dea, cujus Hermaphroditum dicit filium fuisse. Itidemque Amores duo; alter bonus et pudicus, quo sapientia et virtutes amantur; alter impudicus et malus, quo ad vitia inclinamur. Quare etiam ad distinctionem boni amoris pluraliter Amores plerumque appellamus.

19. Ad hujus figuram fabula respicit de Hero et Leandro conficta. Hero enim *amor*, Leander *virorum solutio* interpretatur. Amavit igitur juvenis Leander Heron puellam transmarinam. Ad quam quum de nocte nataret, illa in terra contra stans, ne a suo litore aberraret, lampadem ei accendebat. Quadam nocte orta tempestate extinctaque lucerna, juvenis submersus est. Cujus corpus ubi virgo vidit ejectum,

se quoque in mare praecipitem dedit. Leander igitur, id est *virorum solutio*, per virtutis derelictionem et ignaviae indulgentiam Heron amat, id est in amorem et libidinem incurrit. Sed libidine quilibet succensus, dum ad id tendit, quod ardenter diligit, numquam sane videt quod expedit. Nam et nocte natat, id est in obscura pericula tentat. Hero ei lucernam, ne aberret, accendit. Et quid aliud amor nisi ardorem importat, et desideranti viam periculosam ostendit? Lucerna autem statim extinguitur, quia juvenilis amoris ardor non diu perseverat. Denique et nudus natat, ea videlicet de causa, quod amoris illecebra affectatores suos a substantia et consilio nudare consuevit et in pericula, sicut in mare, jactare. Quod autem lucerna extincta utrique causa mortis est, juxta Fulgentium evidenter significat, quod in utroque sexu libido commoritur. Denique in mari ambo moriuntur, id est, in senectute inquietationis libidinum obliviscuntur. Senectus enim quod frigida et humorosa sit, mari comparabilis videtur. Nam et tempestas, qua periit, possessionis distractionem designat; cujus consideratio libidinis incendium saepissime enecat.

20. Venerem denique philosophi in specie vitae philargicae posuere, ejusque cum Pallade et Junone certamen eleganter statuere. Cujus rei figmentum ut explicemus, paulo altius exordiamur. Juppiter quum Thetidem amaret, prohibitus est a Proteo cum ea concumbere, ne quem generaret, qui se regno expelleret. Ille persuasus, Peleo eam uxorem dedit, eorumque nuptiis ipse cum diis et deabus omnibus, excepta Discordia, interfuit. Illa irata malum aureum in medium trium dearum, Junonis, Palladis et Veneris, jecit sic inscriptum: *Pulcherrimae donum.* Illae igitur de formarum excellentia certantes, Jovis judicium elegerunt. At Juppiter duas nolens offendere, si tertiam praeferret, eas ad Paridem transmisit judicandas. Cui quum Juno regnum, Pallas virtutem polliceretur, promissione tamen Helenae Venerem pulcherrimam judicavit.

21. Porro Peleo et Thetide Achilles natus, cujus vita omnibus nota est. Thetidem igitur dici voluerunt aquam, unde et Nympham appellaverunt. Hanc Juppiter quasi deus conjungit Peleo; *πηλὸς* enim Graece *lutum* interpretatur. Ergo terram cum aqua mixtam genuisse volunt hominem. Ipsum Jovem Thetidis ferunt concubitum optasse, sed vetitum esse, ne majorem se generaret; quia ignis, id est Juppiter, si cum aqua coëat, aquae virtute extinguitur. In conjunctione autem aquae et terrae, id est Thetidis et Pelei, discordia sola non invitatur, quia concordia potius utrorumque fieri elementorum necesse est, ut homo gignatur.

In generatione igitur hominis adest Peleus ut terra, id est caro; Thetis ut aqua, id est humor; Juppiter, qui utraque conjungit, ut ignis, id est anima. Ibidem autem tres deae concertant; quam vitam enim sit electurus qui gignitur, adhuc ignorat.

22. Philosophi namque tripartitam hominum vitam esse voluerunt; primam theoricam, secundam practicam, tertiam philargicam dicentes, quas Latine contemplativam, activam, voluptariam nuncupamus. Theorica igitur sive contemplativa est, quam agunt qui animum a terrenis omnibus suspendentes, jugiterque sapientiae arcana investigantes, soli contemplationi vacant. Hanc apud nos monachi, apud antiquos philosophi exercuerunt. Hujusmodi vitae sectatores nulla mundanorum cupiditas, nulla iracundiae insania, nullum livoris toxicum, nullus tangit vapor libidinis; sed tantum indagandae veritatis contemplandaeque justitiae cura macerat, fama ornat, pascit spes. Practica vel activa est, quae in actionibus negotiisque consistit, quae de vitae tantum commodis est anxia, ornatuum petax, habendi insatiata, rapiendi cupida, servandique sollicita; quae minus considerat, quid expediat, ubi intendit, quid rapiat. Hanc vitam apud antiquos tyranni aliqui, penes nos mundus omnis gerit. Philargica sive voluptaria vita est, quae voluptati tantum obnoxia, nullum honestum bonum reputat, solam vitae appetens corruptelam. Hanc vitam penes illos tantum Epicurei gesserunt; apud nos hujusmodi vita natura, non crimen est.

23. Id itaque considerantes poëtae trium dearum ponunt certamina, id est Minervae, Junonis et Veneris, de forma sua contendentium, theoricam per Minervam deam sapientiae, practicam per Junonem quae regnorum et divitiarum dea est, philargicam per Venerem quae voluptatibus praeest, significantes. Has fingitur Juppiter nolle judicare, ne praeferendo unam, duas videatur condemnare. Videretur namque arbitrii nostri destructa libertas, si quamlibet ex istarum trium vitarum nobis deus agendam, aliis duabus damnatis, proponeret. Ideo ad hominem judicium transfert, cui liberum eligendi et debetur et datur arbitrium. Ille brutum quiddam desipuit, ut ferarum ac pecudum mos est, non Minervae virtutem, non Junonis divitias respiciens, sed ad libidinem visus intorsit, vitamque philargicam praelegit, sicut postea rei exitus indicavit. Quod vero omnes dii ad nuptias dicuntur convocati, designat omnium elementorum cooperatione stellarumque consensu hominem procreari; sive quia putabant gentiles, singulos deos singulas humani corporis partes obtinere, Junonem brachia, pectus Neptunum, cingulum Martem, renes et inguina Venerem, pedes Mercurium, digitos Minervam. Aures etiam Memoriae consecrarunt

(unde est: *Cynthius aurem vellit*), frontem Genio (unde et deum illum venerantes frontem tangebant), dextram Fidei, genua Misericordiae (unde haec tangunt rogantes).

24. Denique Achilles natus est quasi homo perfectus, quem mater Stygiis aquis intinxit, id est, contra omnes labores durum muniit. Solum ei talum non tinxit; hoc significante fabula, quod venae, quae in talo sunt, ad renum et femorum atque virilium rationem pertinent. Unde et aliquae venae usque ad pollicem tendunt; et Orpheus in talo esse principalem libidinis indicat locum. Ergo evidenter ostenditur, quod humana virtus quamvis munita ad omnia, libidinis tamen ictibus subjacet patula. Inde etiam ad Lycomedis regiam fertur, id est ad libidinis regnum. Lycomedes (γλυκὺ μηδέν) *dulce nihilum* interpretatur. Omnis namque libido et dulcis et nihil est. Denique et amore Polyxenae apud Trojam perit, et propter libidinem per talum occiditur. Polyxena autem Graece *multorum peregrina* dicitur, seu quia amor mentes ab industria sua faciat peregrinari, seu quia juxta Fulgentium apud multos peregrinabunda vagetur libido. De Achillis morte sic Servius scribit. Achilles, inquit, in Stygem mersus paludem, toto corpore invulnerabilis fuit, excepta parte qua tentus est. Qui quum amatam Polyxenam ut in templo acciperet statuisset, insidiis Paridis post Apollinis simulacrum latentis occisus est. Unde jure in Virgilio Apollini dicitur:

Dardana qui Paridis direxti tela etc.

direxisti videlicet quasi ad locum vulnerabilem. Dardana vero ideo, ut id deus non adultero sed genti praestitisse videatur. Fingitur enim, quod Apolline tenente Paris in eum tela direxerit. Sane idem Paris, ut hic paulo evagari videamur, secundum Troica Neronis fortissimus fuit, adeo ut in Trojae agonali certamine cum aliis omnibus ipsum etiam Hectorem superaret. Qui quum iratus in eum stringeret gladium, dixit se esse germanum, quod allatis crepundiis probavit.

25. Quia vero Protei superius fecimus mentionem, de eo aliquid dicamus. Dicitur quod nisi ligatus responsa non dabat. Cujus rei figmentum, ut ait Servius, physicam volunt habere rationem. Habet enim, inquit, homo in se libidinem, stultitiam, ferocitatem et dolum. Quae dum in eo vigent, pars illa, qua vicinus est divinitati, non apparet, id est prudentia, quae tunc potest suas vires tenere, quum fuerint illa religata, id est, quum quis omnibus caruerit vitiis. Inde Proteum tunc legimus posse vaticinari et suscipere divinitatem, quum religata in eo fuerit cupiditas, silvestris asperitas, lapsus animi, aquarum mutabilitati consimilis. Nam et secundum fabulam (quam in quarto Geogicon de eo legimus:

——— *novit namque omnia vates,*
Quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur)
sane tantum intelligendum est; temporalem enim suscepisse dicendus est divinitatem; alioquin rescire potuit etiam sibi vincula injecturos. Nec absurde ibidem subjectum est: *Quippe ita Neptuno visum est.* Quotiens enim ratio non apparet, *sic visum* interponitur; ut Horatius: *Sic visum*, inquit, *Veneri*, quum amorem ostenderet non esse pulchritudinis. Et bene accusatio in deos quandam habet venerationem; alioquin sacrilegium est. Sic in principio tertii Aeneidos dictum est:

Postquam res Asiae Priamique evertere gentem
Immeritam visum superis. ———

Quod tamen nonnulli etiam laudem Trojae esse dicunt, quam videlicet nonnisi dii potuerint subvertere. Proteum senem, sicut et omnes fere deos marinos, fingunt, quia albere eorum ferantur capita spumis aquarum.

12. Bacchus.

1. Bacchus quoque, id est numen quod vitibus praeest, Jovis filius dicitur. Huic diversa, sicut et aliis, assignant vocabula. Dicitur Liber, quia etiam servi ebrii *liberi* sibi videntur; unde et dicitur: *Tunc pauper cornua sumit*, id est elationem et confidentiam; sive, ut dicunt, quia hic deus mares, missis seminibus, liberet. Nam per Junonem feminae, per Liberum mares liberari dicuntur et purgari. Liber etiam vocari meruit, quod a curis homines *liberet*; sive Liber, quia sacra ejus ad purgationem animae pertinebant. Unde secundum prudentiores, ut supra diximus, dictum est: ——— *Tibique*
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.
Hinc et vannus ei, id est cribrum Cereale, dicata est; quia sicut vannis frumenta, sic ejus mysteriis homines purgantur. Ob quam rem et vannum Virgilius mysticam appellat. Sed et libertatis eum deum esse plerique sanxerunt. Unde inter initia urbium condendarum cum ceteris numinibus auspicibus coeptorum operum illi quoque, ut libertatem civibus conservaret, sacrificabatur. Civitates enim aut stipendiariae erant, aut foederatae, aut liberae. In liberis autem civitatibus in signum libertatis simulacrum Marsyae erat, qui in tutela Liberi patris est. Romani etiam moris fuerat, ut Ovidius in libro Fastorum memorat, liberam togam adolescentibus in festis Liberalibus ad liberioris vitae ulterius concessae significationem dari. Liber ergo ab eo quod *liberet*, nuncupatus est.

2. Dicitur etiam Lenaeus sive a Graeco *ληνὸς*, id est *lacus*, sive secundum Donatum ab eo quod mentem dele-

niat. Nam quod Servius minime primam producere asserit, quia videlicet Graecum nomen Latinam non recipiat etymologiam, de eo Tullius, ut supra innuimus, aliique non pauci dissentire videntur. Varro denique ait: *Etymologia certam non habet proprietatem, sed pro captu ingenii fit. Nam et vestibulum juxta alios eo quod januam vestiat, secundum alios a Vesta (nam Vestae limen consecratum est), at, ut alii volunt, quod illic nullus stet, dictum est. Quomodo enim* vesanus non *sanus, sic* vestibulum, *inquiunt, quasi* non *stabulum dicitur; in limine enim solus est transitus.* Utri autem parti favendum sit, juxta controversiam de contrariis legibus relinquo ventilandum. Pater etiam licet omnium deorum nomen sit generale, tamen proprie Libero semper cohaeret; nam Liber pater vocatur. Sciendum tamen, pro qualitate rerum vel personarum, summum deum dici vel patrem. Summum enim quisque deum vocat, quem praecipue veneratur. Inde est:

Summe deûm sancti custos Soractis Apollo.

Proprie tamen hoc epitheton Jovi datum est, ut:

Nate patris summi, qui tela Typhoëa temnis,

Sunt et alia hujus et aliorum, de quibus egimus, deorum vocabula, de quibus authenticam non legi scripturam. Quod enim Libero adhibetur, ut Iacchus dicatur, vel quod Evius nuncupetur (quod *bonum puerum* interpretari dicunt), item quod Briseus appelletur, id est *exprimens*, quia Liber primus vinum ab uva expresserit, lac ab ubere, mel de favo (vel Briseus est *hirsutus*; nam et duas in Graecia is fertur habuisse statuas, alteram *hirsutam* dictam Brisei, alteram *lenem* dictam Lenaei); vel quod Bassareus a veste ejus usque ad pedes demissa vocetur, dicta a nomine loci in Lydia ubi fiebat (unde et ipsae ministrae Bassarides nuncupatae putantur), ut Horatius: *Candide Bassareu*; et Nero:

Bassaris, et Lynce, Maenas flexura corymbis;

haec quia in authenticis non repperi editionibus, vel vulgaria, vel temere adinventa, vel falsa, vel apocrypha duxi.

3. Indos vel ob hoc juxta Fulgentium dicitur vicisse, quod sol eos facit potatores, vel quod hic fit Falernum vinum vel Mareoticum; cujus, inquit, vini tanta virtus est, ut vix quilibet vinosus sextarium in mense totum bibat. Unde Lucanus:

Indomitum Meroë cogens spumare Falernum.

Neque enim aqua posse domari dicitur. Legitur et in historia, quod sicut apud Aegyptios Osiris maritus Isidis, sic apud Indos Liber, quum de iis triumphasset, usum invenerit vinearum. A Marone nutritus dicitur, quasi Merone. Mero enim *nutritor vinolentiae* dicitur. In tigribus sedet

seu quod vinolentia feritatem generet, seu quod vino efferatae mentes mulceantur. Unde et Lenaeus juxta Fulgentium dicitur, quasi *lenitatem praestans*. Iisdem de causis et Bacchas, a *bacchando* sive ab ipso Baccho dictas, ei sacramus; quas et ipsas nonnumquam vel, ut ait Lactantius, lingua Macedonum, vel, ut alibi legitur, a Graeco, quod *furorem* significat, Mimallones; et a Graeco *μαίνειν*, quod item, ut legimus, *furere* interpretatur, Maenades nuncupatas, ei ministras dari dicimus. Nam quod a *μήνη luna* Maenades quasi *lunaticae*, id est, ad modum lunaticarum furentes, nuncupatae sint, magis compositum quam verum videtur. Lynces ei ob nimiam, qua insignes eas accepimus, visus perspicacitatem arbitror deputari. Vinum enim, ut ajunt physici, modice sumtum acuit ingenium.

4. Juvenis depingitur, quia numquam ebrietas matura est. Nudus etiam sive quod juxta Fulgentium ebriosi se per noctem versando plerumque nudi fiant; vel quod vinolenti dum potibus indulgent, se a substantia nudant; seu quia mentis secreta tegere non possit nec sciat ebriosus. Jovis femori insutus fingitur et inde progenitus, quia, ut refert in Cosmographia Martianus, est in quadam regione urbs Nysa Libero patri sacra, monsque Merus Jovi sacer; unde et ipsum, inquit, fabula est, e Jovis femore (*μηροῦ*) procreatum. Apud Remigium tamen legimus, Nysam montem esse Indiae, in quo hodie quoque Liberi, inquit, feruntur esse crepundia. Sane a Nysa Nysaeus vel Dionysus, id est deus Nysae, dici invenitur. Frondes hederae ejus sacris interesse meruerunt, vel ob uvarum et corymborum similitudinem, vel quod semper juveni deo semper virentia conveniant. Hinc et hedera coronabantur poëtae vel utpote Libero consecrati, qui ut Bacchae insaniunt, unde Horatius:

Ut male sanos
Adscripsit Liber Satyris Faunisque poëtas;

vel quia semper virent hederae, sicut carmina aeternitatem merentur. Habet fabula, regem Thraciae Lycurgum, dum contemnens Bacchum ejus amputaret vites, crura sua incidisse. Revera autem, ut Servius dicit, abstemius fuit, quos constat acrioris naturae esse, quod etiam de Demosthene dictum est.

5. Cur de Semele, una filiarum Cadmi, Jove fulminante, natus perhibeatur, nihil me quod tradi dignum judicaverim legisse memini. Hoc tamen non praetermittere duxi, quod IV erant sorores, Ino, Autonoë, Semele et Agave; et IV sunt, ut ait Fulgentius, ebrietatis genera, id est vinolentia, rerum oblivio, libido, insania. Prima namque est Ino, quae *vinum* interpretatur; secunda Autonoë, id est, *se ipsa non cognoscens*; tertia Semele, quae *corpus*

solutum interpretatur; quarta Agave, quam, quia nominis ejus interpretatio vel incongrua fortasse visa est, vel Latinis incognita, praetereo; tamen insaniae comparabimus, quia Penthei filii sui caput, sicut in fabula legitur, violenter abscidit. Ut autem paulo altius ordiri videamur, habet fabula, Gigantes Bacchum inebriatum invenisse, et discerpto eo per membra, frusta sepelisse, et eum paulo post vivum et integrum resurrexisse. Quod figmentum discipuli Orphei interpretati leguntur, nihil aliud Bacchum quam animam mundi intelligendum asserentes; quae, ut ferunt philosophi, quamvis quasi membratim per mundi corpora dividatur, semper tamen se redintegrare videtur, corporibus emergens, et se formans, dum semper una eademque perseverans, nullam simplicitatis suae patitur sectionem. Hanc etiam fabulam in sacris ejus repraesentasse leguntur.

13. Hercules.

1. Herculem quoque Jovis filium fuisse dicunt. Hic ab aliis invictus, Omphalae tamen prae amore subjacuit, quae eum nere et mulierum officia coëgit exercere. Hercules igitur quasi *ἡρώων κλέος*, *virorum fortium gloria*, interpretatur. Hic Alcaei nepos dicitur, unde et Alcides nominatur; *ἀλκὴ* enim Graece *praesumtio* dicitur. Nam et Alcmenam matrem habet, quae *salsum* interpretatur. Nec mirum. Etenim ex igne ingenii, ut ex Jove; ex praesumptione, id est animositate, ut ex avo Alcaeo; et ex sale sapientiae, ut ex matre Alcmena, virorum fortium nascitur gloria; quae tamen a libidine superatur. *Ὀμφαλὴ* enim Graece *umbilicus* dicitur. Libido autem in umbilico mulieribus dominatur. Ostenditur ergo, quod libido etiam invictam domat virtutem. Eidem Herculi Cacus boves furatus esse dicitur, et eos per caudam in speluncam tractos abscondisse, quem Hercules presso gutture interfecit, fumum et nebulam eructantem. *Κακὸν* igitur *malum* interpretatur. Ideo Herculis bona concupiscit, quia omnis malignitas virtuti contraria est. In spelunca absconditur, quia numquam malignitas libera terrenis est. Sed Hercules, id est virtus, et malos interficit et sua vindicat. Cacus autem fumum et nebulam, quae visui nocent, emittit, quia malitia occultas semper deceptiones molitur. Ideo et duplex dicitur, quia malitia multiformis, non simplex est. Triplici namque modo nocet malitia, aut evidenter, ut potentior, aut subtiliter, ut falsus amicus, aut occulte, ut fur. Ideo etiam subtractos boves transversis ducit vestigiis, quia per avia abducuntur furta. De Caco tamen aliter sentit Servius. Cacus enim secundum fabulam, inquit, Vulcani filius fuit, ore ignem ac fumum vomens, qui vicina omnia

populabatur. Veritas tamen secundum philosophos et historicos habet, hunc fuisse Evandri nequissimum servum ac furem. Novimus autem a Graecis malum κακὸν dici, quem hominem ita illo tempore Arcades appellabant. Ignem dictus est vomere, quia igne agros vastabat. Hunc soror sua ejusdem nominis prodidit, unde etiam sacellum meruit, in quo ei per virgines Vestae sacrificabatur.

2. Antaeus Gigas quoque erat filius Terrae, cui a matre collatum fuit, ut quotiens terrae accubaret, vires haberet duplicatas. Qua re comperta, Hercules eum a terra elevans constrinxit ad mortem. Antaeus itaque sub figura libidinis ponitur. Nam Graece ἀντίον *contrarium* dicitur. Ideo de terra natus fingitur, quia libido de carne concipitur. Denique tacta terra viridior et validior exsurgebat, quia libido quanto ei magis caro consenserit, tanto surgit nocivior. Sed a gloriosa virtute, id est ab Hercule, superatur Antaeus, et denegato ipsi terrae tactu commoritur, altiusque elevatus materna nequit mutare suffragia; quia dum carnalibus se quispiam denegaverit affectibus, mentemque ne carnalia appetat in altum sustulerit, victor statim exsurgit. Dicitur etiam divinum ibi confecisse certamen, quia pretiosa et caelestis pugna est, quae cum concupiscentia vitiisque conseritur. De qua in moralibus Plato, sapientes, inquit, viri majorem cum vitiis quam cum inimicis pugnam gerunt. Nam quod Alcesten liberaverit, ad virtutem spectare videtur. Unde haec habetur fabula.

3. Admetus, ajunt, rex Graeciae, Alcesten in conjugium petiit, cujus pater edictum proposuerat, ut si quis duas feras dispares currui suo adjungeret, is eam conjugem duceret. Admetus igitur Apollinem et Herculem auxilio poposcit; illique ad currum ejus leonem et aprum junxerunt. Is itaque Alcesten conjugem accepit; quumque in infirmitatem decidisset, et mori se comperisset, Apollinis miserationem precatus est, qui respondit, nil se ei posse praestare, nisi si quis de propinquis se pro eo morti voluntariae obtulisset; quod uxor ejus libentissime fecit. Itaque Hercules dum ad abstrahendum Cerberum ad inferos descenderet, etiam ipsam de inferis reduxit. Admetus igitur mentem designat, et dicitur Admetus, quasi quem possit *adire metus*; mens enim, non corpus metum suscipit. Hic Alcesten in conjugium desiderat, quia ἄλκη lingua Attica, ut praediximus, *praesumtio* dicitur. Mens igitur timida praesumtionem, id est animositatem, sibi necessariam videns, ejus conjunctionem desiderat; sed ut eam assequatur, duas feras diversas necesse est currui suo adjungat, id est vitae suae duas virtutes, animi videlicet et corporis, asciscat. Subigit leonem, id est virtutem animi, et aprum, id est virtutem corporis. De-

nique et Apollinem Herculemque propitiat, id est sapientiam et virtutem. Ergo praesumtio semet ipsam ad mortem pro anima objicit ut Alceste; id est, animositas pro defendendo vigore animae pericula libenter incurrit; quam tamen, quamvis in periculo mortis deficientem, virtus de inferis revocat, ut Alcesten Hercules.

4. Denique, ut ait Servius, Hercules apud prudentiores mente magis quam corpore fortis inducitur, adeo ut XII ejus labores ad aliquid referri possint. Nam quum plura fecerit, tamen XII tantum ei assignantur propter anni XII signa. Docuit enim Atlas Herculem astronomiam. Unde et fingitur Hercules caelum sustinuisse ab Atlante susceptum, propter caeli videlicet scientiam traditam. Constat enim, Herculem fuisse philosophum; et haec ratio est, cur omnia monstra illa vicisse dicatur. Nam quod traxisse ab inferis Cerberum dicitur, haec ratio est, quod omnes cupiditates et cuncta vitia terrena contemsit et domuit. Nam Cerberus terra est, id est consumtrix omnium corporum. Unde et Cerberus dictus est quasi *κρεοβόρος carnes vorans.* Idem et hydram exustione interfecit. Fuit autem hydra secundum fabulam serpens in Lerna, Argivorum palude, cui uno caeso capite tria capita excrescebant. Unde et excetra a Latinis dicta est. Sed constat, Hydram locum fuisse evomentem aquas, vicinam vastantes civitatem, in quo, uno meatu clauso, multi erumpebant. Quod Hercules videns, loca multa in circuitu exussit, et sic aquae clausit meatus. Nam Hydra ab *ὕδωρ*, id est *aqua*, dicta est. Potuisse autem hoc fieri, Virgilius indicat, ubi dicit:

Excoquitur vitium, atque exsudat inutilis humor.

Acheloi etiam alterum cornu fregisse, et fractum Copiae dedicasse dicitur; quia, ut ajunt, alterum ejus alveum, cujus eruptiones immodicae agros obruebant, exsiccavit fertilemque reddidit.

5. Sed et Hesperides fertur spoliasse, de quibus haec data est fabula. Hesperides, Atlantis filiae, regis Africae, hortum habuerunt, in quo erant mala aurea Veneri consecrata, quae Hercules, missus ab Eurystheo, occiso pervigili dracone, sustulit. Revera autem juxta Servium nobiles fuerunt puellae, quarum greges abegit Hercules, occiso eorum custode; unde *μῆλα* fingitur sustulisse, hoc est oves; nam *oves μῆλα* dicuntur; inde etiam *μηλονόμος* dicitur *pastor ovium.* De hoc tamen figmento subtilius sentit Fulgentius. Quatuor enim, ait, Hesperides dicuntur Aegle, Hesperis, Medusa et Phaëthusa, quas nos Latine studium, intellectum, memoriam et facundiam dicimus. De harum horto aurea mala tollit Hercules, quia per has ad philosophiam pervenitur. Primum namque est studere, secundum

excetra v. Pflugk Plaut.

intelligere, tertium memorari quod intellexeris, quartum dicendo ornare quod memineris. Sane de nominibus appositis scrupulum lectori injecimus. Eurystheum regem inveninus fuisse Graeciae, Persei generis, qui Junonis instinctu imperabat Herculi, ut varia monstra superaret, quibus posset perire; unde eum merito durum appellat Virgilius, qui videlicet potuit ad complendum odium novercale sufficere. Atlantas vero tres fuisse legimus. Unum Maurum, qui et maximus; alterum Italicum, patrem Electrae, unde natus est Dardanus; tertium Arcadicum, patrem Majae, unde natus est Mercurius. Sed Virgilius in VII ex nominum similitudine errorem facit, Electram et Majam, matres Dardani et Mercurii, filias Atlantis maximi fuisse dicens. Nec praeter rationem ait: *Et maximus Atlas hanc generat.* Nam et ipse horum nominum filias, id est Electram et Majam, habuit. Quod autem candidam ait Majam, ad stellam respicit. Nam Maja inter Plejades est, quarum una est splendidior.

6. Geryon quoque rex fuit Hispaniae, qui ideo trimembris fingitur, quia tribus praefuit insulis, quae adjacent Hispaniae, Balearicae majori, minori et Pityusae. Fingitur habuisse canem bicipitem, quia et terrestri et navali certamine plurimum potuit. Hunc Hercules vicit, qui ideo fingitur ad eum olla aerea transvectus, quia habuit navem fortem et aere munitiam. Charybdis etiam secundum fabulam femina fuit voracissima. Quae quia boves Herculis rapuit, a Jove fulminata est et in mare praecipitata. Unde et naturam pristinam servat. Nam sorbet universa, et secundum Salustium juxta Tauromenitanum ea egerit litus.

7. Legitur etiam Hercules cum armentis devicti Geryonis in Italiam veniens, ab Evandro tunc regnante tandem susceptus, quum se et Jovis filium dixisset, et morte Caci virtutem suam probasset, pro numine habitus esse, et aram, quae ara maxima dicta est, meruisse, quam ei Delphicus Apollo in Italia fore praedixerat. Primo tamen susceptus non est. Apud majores namque raro advenae, nisi jus hospitii haberent, eo quod incertum erat, quo animo venirent, suscipiebantur. Quumque de suo armento ad sua sacrificia dedisset, duobus senibus Pinario et Potitio, qualiter se coli vellet, ostendit, et mane sibi ac vespere sacrificari jussit. Perfecto itaque matutino sacrificio, quum circa solis occasum essent sacra repetenda, Potitius prior advenit, Pinarius postea, extis jam redditis. Unde iratus Hercules statuit, ut Pinariorum familia tantum ministra esset epulantibus Potitiis et complentibus sacra. Unde et Pinarii dicti sunt a Graeco *πίνω*, id est a *fame*. Nam senem illum Pinarium alio constat nomine nuncupatum. Hinc est quod Virgilius in

sacris Herculis exequendis Potitii tantum facit commemorationem, dicens: *Primusque Potitius ibat.* Nam quod praemisit:

Et domus Herculei custos Pinaria sacri;

huic rei contrarium non est; novimus enim, quod custos pro ministro dicitur; ut idem in XI:

At Triviae custos summis in montibus Opis
Alta sedet ———

id est ministra. Legitur etiam in libris antiquis, secum Herculem ad Italiam ingens poculum ligneum attulisse, quo in sacris utebatur; quod ne carie consumeretur, pice oblitum conservabatur. Hujus magnitudinem Virgilius significat, dicens, quod *sacer implevit dextram scyphus.* Lectos juvenes idem Virgilius inter ejus sacra commemorat, quia sacris Herculeis nec servi intererant nec liberti; adeo ut Appius, qui haec sacra transtulit in libertos, et oculis caruisse, et intra annum omnem familiam Pinariorum perdidisse legatur. Culpant Virgilium critici, quod Herculem, praesentibus Trojanis, de Trojanorum introducat laudari excidio; non respicientes, quod hoc ratio fecit hymnorum, quibus aliquid subtrahere sacrilegium est.

8. Deum eum communem dicit, vel quod, ut diximus, ἀποθέωσιν adeptus de homine, medioximis meruit annumerari, vel quod secundum pontificalem ritum idem est Hercules qui et Mars; nam stellam unam habere dicuntur. Sed et Martem Cicero communem dicit. Virgilius etiam Salios Herculi dat, quos Martis esse non dubium est. Nam ut in XII ait: *Et dîs communibus arâs*, secundum altioris scientiae viros, deos azonos relinquit intelligi, id est, qui certas non habitant partes, sed generaliter a cunctis coluntur, quod ubique esse putentur. Sic Cybele in omnibus zonis esse creditur. Ideo etiam mater deorum dicitur quod, ajunt, omnibus ejus communis est potestas. Nam quod deos communes dixisse putetur Solem et Lunam, Plutonem et Martem, quod his numinibus ubique gentium veneratio exhibeatur; vel Martem, Bellonam, Victoriam, quod hi in bello utrique parti favere possint; nimis est dictum vulgare, et de paupere vena manare creditum. Sane sicut Varro dicit, omnes qui fortiter fecerunt, Hercules vocabantur; licet eos primo XLIII enumeraverit. Hinc est, quod legimus Herculem Tyrinthium, Argivum, Thebanum, Libyn. Nec te moveat, si de diis aliqua, quae sibi minime cohaerere videantur, diversis in locis astruantur. Fabulae enim confusae sunt et, ut supra diximus, ipsae tantum in ratione deorum sequendae sunt, quia veritas ignoratur.

14. Perseus.

1. Perseum quoque inter Jovis filios memorant. Ha-

bet veritas, hunc regem Asiae praedivitem fuisse, ideo volaticum dictum, quia navi multas regiones transierit. Hic Africam debellavit. De qua re ut latius agamus, regis Phorci tres fuere filiae, Stheno, Euryale et Medusa. Hae uno oculo utebantur, et intuentes in lapidem convertebant. Contra quas missus Perseus cum clypeo crystallino et harpe, quod genus est teli falcati, consilio Minervae eas interfecit. Revera autem, ut Servius refert, tres sorores fuerunt unius pulchritudinis. Unde fictum est, quod uno oculo uterentur. Fuerunt autem locupletissimae; unde et Gorgones quasi γεωργοὶ, id est *terrae cultrices* dictae sunt; γῆ enim *terra*, ἐργία *cultura* interpretatur. Sane maxima sororum Medusa, patre mortuo, in regnum successerat. Quae quia astutior ceteris fuit, capite picta est serpentino. Ad hanc occidendam imaginario, id est crystallino usus videtur Perseus clypeo, quia consiliis ejus per speculatores suos praecognitis, inopinato saepe occursu illi obstiterit fugienti. Hac tandem interemta, capite ipsius, id est substantia, ablato, ditior factus, regna nec parva nec pauca obtinuit. Denique et Atlantis regnum invadens auxilio copiarum Medusae, cum in montem fugere compulit. Unde per caput Medusae eum in montem fingitur convertisse.

2. De Gorgonum tamen interfectione subtiliora videtur tradere Fulgentius. Gorgo enim, inquit, *terror* interpretatur. Tres autem Gorgonas dici voluerunt, quia tria sunt terroris genera et tres effectus, quod etiam per nomina harum trium significatur. Stheno namque *debilitas* interpretatur, id est timoris initium, quod tantum mentem debilitat; Euryale *lata profunditas*, id est stupor vel amentia, quae profundo quodam terrore mentem spargit; Medusa *oblivio*, quae non mentis tantum turbat intuitum, verum etiam caliginem ingerit visus. Haec enim in hominibus terror operatur. Perseus autem in figura virtutis accipitur. Hic adjuvante Minerva Gorgonam occidit, quia virtus auxilio sapientiae omnes terrores vincit. Ideo aversus volat, quia aversus terrorem nusquam respicit. Speculatum fert clypeum, quia omnis terror non solum in corde sed etiam in figura transeat.

3. De sanguine ejus natus fertur Pegasus, in figura famae constitutus, qui etiam secundum Remigium *fama* interpretatur. Virtus enim dum omnia superaverit, et terrorem amputaverit, consequenter famam generat. Unde et volare dicitur, quia fama volucris est. Musis fontem ungula sua rupisse dicitur, unde et poëtae bibunt, quia heroum famam poëtae materiam scribendi habent. Secundum nonnullos tamen Pegasus *fons aeternus* interpretatur, et in figura sapientiae ponitur. Ideo pennatus, quia sapientia

universam mundi naturam celeri cogitatione pervolet. Ideo Musarum fontem ungula rupisse fingitur, quod sapientia poëtis, quicquid proloquuntur, administret. Ideo de Gorgonis sanguine natus, quae *terror* interpretatur, quod initium sapientiae sit. Quod autem timor initium, ut diximus, sit sapientiae, a philosophis haec ratio datur, quod et timore magistri discipulis sapientia crescit, et quod qui famam timuerit, sapiens erit. Et merito, inquiunt, de occisa Gorgone Pegasus oritur, quod finito et annullato timore insipientiae, subintrat deinde in quemlibet sapientia. Stultitia enim semper timida est. Unde et in Palladis pectore Gorgon, id est *terroris imago*, fixa est, ut insipientibus semper terrorem incutere videatur.

4. Pegasi ope Bellerophon interfecit Chimaeram. Est autem haec fabula. Proetus uxorem habuit Antiam, quae amavit Bellerophontem, quem, quia suae non assensit nequitiae, apud maritum suum accusavit. Ille eum ad Chimaeram interficiendam misit, quam Bellerophon equo Pegaso residens interemit. Proetus igitur Pamphila lingua *sordidus*, Antia *contrarium* interpretatur, quae pro libidine accipitur, quod nihil adeo virtuti quemadmodum libido contrarium est. Hanc Proetus habet conjugem. Cui enim libido, nisi sordido, possit adhiberi? Bellerophon vero *sapientiae consultator* interpretatur. Hic Antiae non consentit, quia qui in sapientiae laborat vestigatione, libidinem omnem a se nititur elongare. Ad Chimaeram itaque occidendam mittitur. Chimaera namque *amoris fluctuatio* interpretatur. Qui igitur libidini renuntiat, contra amorem pugnam suscipiat necesse est, quem equo Pegaso, id est sapientia adjutus, virtute praeditus facile vincit. Notandum vero, quod idem Pegasus etiam equus Neptuni dictus est a Graeco, quia πηγὴ est *fons*. Est autem commune omnium fluminum nomen, quod flumina figuram caballi habent propter cursus velocitatem. Ab eodem etiam πηγὴ *pagum* dixerunt, quia villae nonnisi circa aquas fundari consueverint; unde et pagani vocati sunt, quasi ex uno fonte potantes.

5. Quia vero de Chimaera mentio incidit, de ea aliquid dicamus. Triformis pingitur, habens videlicet caput leoninum, ventrem caprinum, caudam serpentinam; quia in amore tres item gradus sunt, id est juxta Fulgentium, incipere, perficere, finire. Primus enim amor in adolescentia nos ferociter invadit ut leo. Deinde subsequitur libidinis expletio, quae per capram designatur, quia hoc animal in libidine promptissimum sit. Unde et Satyri cum caprinis cornibus pinguntur, quia numquam libidinibus saturantur. In postremis partibus draconina est, quia post peractionem aculeus

draco est Cod L. N. → Cod. Paris. saec XII

poenitentiae mentem pungit. Primum ergo in amore est inchoare, secundum explere, tertium de crimine peracto poenitere. Et potest hoc quisque seu per aetates distinguere seu in quolibet concubitu annotare. Quod autem Chimaera amorem designet, innuit Horatius ad amantem dicens:

Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimaera.

Servius tamen hoc ad historiam torquet. Revera, inquit, Chimaera mons Ciliciae est, cujus hodie ardet cacumen; juxta cacumen vero leones mansitant; media autem pascua sunt; ima vero serpentibus sunt plena. Hunc montem Bellerophon habitabilem fecit; unde Chimaeram dicitur occidisse. Hanc satis aperte, sed fabulose, describit Ovidius, dicens:

Quoque Chimaera jugo, mediis in partibus ignem,
Pectus et ora leae, caudam serpentis habebat.

13. Duodecim caeli signa.

1. Duodecim sunt signa caeli, scilicet Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius et Pisces. Juppiter genuit ex quadam Nympha Nephelen, quam Athamas, rex Thebanus, duxit uxorem, ex qua genuit Phrixum et Hellen. Qua mortua his superduxit Inonem, filiam Cadmi, quae more novercae ipsos odio habuit in tantum, quod de domo expelli fecit. Qui quum ad mare pervenissent, Juppiter avus vel, ut alii dicunt, Isis matertera dedit iis arietem aureum vellus habentem, quo transfretarent mare hoc pacto, ne retro aspicerent. Helle vero ut incontinens et timida retro aspexit, unde et in mare mersa est. Inde *Hellesponticum* mare dicitur. Phrixus transivit, arietem excoriavit, corium auro implevit, et Marti in Colcho insula dedicavit. Caro vero translata est in caelum, et ex ea factum est signum caeleste, quod Aries dicitur. Et quia, quum fuit in litore, retro aspexit, tamquam volens Hellen videre, ideo sic in caelo apparet. Physice dicitur esse sol in Ariete, quia vernali aequinoctio usque ad autumnale currit per dextrum latus hemisphaerii; sicut Aries semper illo tempore incumbit in dextrum latus. Et sicut sol ab autumnali aequinoctio usque ad vernale vadit per sinistrum latus, sic Aries semper illo tempore incumbit in sinistrum latus.

2. Agenor, rex Lydiae, qui et in Tyro et Sidone regnavit, filiam habuit mirificae formae, nomine Europam, quam Juppiter in specie candidi tauri rapuit. Unde postea in signum honoris taurus translatus est in caelum, et ex eo factum signum quod dicitur Taurus. Alii dicunt, quod fuit vacca, in cujus forma fuit Io, filia Inachi fluvii, quae translata est in caelum in signum amoris Jovis. Unde Ovidius in Metamorphos:

Nunc dea linigera colitur celeberrima turba.

Et libro de Fastis ait:

Vacca sit an taurus, non est cognoscere promptum; quia prior pars videtur, posterior vero non videtur. Secundum physicam sol dicitur esse in Tauro, quia tunc incipiunt labores tauri; vel quia sicut taurus per cornua fortior est, ita sol tunc incipit esse ferventior.

3. Juppiter concubuit cum Leda in specie cygni, ex qua genuit duo ova; et ex uno natae sunt Helena et Clytemnestra, ex alio nati sunt Pollux et Castor, qui peritissimi et probissimi imperatores fuerunt in Graecia. Duas etiam filias Zetypi rustici, Phoeben scilicet et Mollisenam vi ceperunt Idae et Sicidae fratribus tempore nuptiarum; quas ipsi Idas et Sicidas eidem Zetypo rapuerant. Inde orta discordia inter eos, mortuus est Idas et percussus est Castor, qui quum esset mortalis, periit. Interea quum frater Pollux esset immortalis, et in illa idcirco rixa non esset mortuus, fraterna pietate rogavit Jovem patrem suum, ut posset partiri vitam cum fratre suo. Ex quo alterna statione semper in caelo unus apparet in una parte, alter in alia; vel ut alii dicunt, unus stat in caelo, alter mergitur in oceanum. Sol dicitur in Geminis, quia in quolibet signorum sol stat tantum per XXX dies, in Geminis vero per XXXII.

4. Quum Chironis filius, nepos Saturni et Philyres, juxta mare transiret, quendam cancrum immensae magnitudinis pede calcavit, qui eum miserabiliter laesit; et conversus Chiron sagittis cancrum percussit, filiumque expedivit. In cujus memoriam cancer ille translatus est in caelum, factusque signum caeleste. Sol dicitur esse in Cancro, quia sicut hic gressum ad utramque partem habet ante et retro, sic sol, quum ad Cancrum accedit, semper progreditur; quum vero est in Cancro, retrocedit, et ultra progredi non potest.

5. Rustici in Nemaea silva Jovem spernentes, nolebant ei sacrificare. Unde Juppiter iratus immisit iis leonem immensae magnitudinis, qui omnia eorum bona devastabat. Et quum penuria oppressi essent, tandem venit Hercules monstrorum domitor, qui ipsum interfecit: et translatus est in caelum, et ex eo factum signum caeleste. Sol dicitur esse in Leone, quia sicut leo furibundus est, sic quum sol per illud decurrit signum, vehementem mundo caloris fervorem reddit.

6. Icarus, sacerdos Bacchi, et Atheniensis rex, et optimus venator, quum vinum rusticis potare dedisset, illi inebriati putantes se venenum sumsisse, ipsum interfecerunt; et ut scelus lateret, in puteum praecipitaverunt. Canicula vero, quae cum eo erat, reversa est domum ad Erigonem, quae dicta est filia ipsius Icari, ac tristitia et quibus potuit signis

eam ad púteum duxit. Erigone quum diu ad puteum fleret, tandem cum canicula translata est in caelum, et ex ea factum est signum quod dicitur Virgo, et ex canicula astrum principale, quod est juxta Virginem; in quo quum sol est, dicuntur dies Caniculares, fervidi et mali ad modum caniculae. Sol dicitur esse in Virgine, quia sicut virgo sterilis, sic quum sol decurrit per illud signum, terra sterilis est et arida; nam propter solis adustionem nihil parit.

7. In bello Thebano Pallas cum quibusdam aliis diis favebat Graecis; Bacchus, quia Thebanus erat, cum quibusdam aliis diis favebat Thebanis. Unde inter deos orta est discordia, quinam deberent victoriam obtinere. Juppiter hoc videns sedit in Parnasso monte, qui est juxta Thebas, auream libram tenens in manu, ut de utraque deliberaret parte. Ad exitum autem belli ipse vidit aequale esse judicium. Sed mox ad Thebanam destructionem Graecos habere victoriam percipiens, Thebanos dejudicavit, Graecos exaltavit. Unde ad memoriam istius rei libra delata est in caelum, et ex ea factum signum caeleste. — Aliter. Libra facta est de brachiis scorpiacis, quae dicuntur chelae, sicut infra dicetur. Sol dicitur esse in Libra, quia quum per illud decurrit signum, est aequinoctium, et adaequantur tempora noctium temporibus dierum.

8. Quum Chiron cum filio suo per silvas transiret, scorpio immensae magnitudinis filium ejus paene deglutivit. Chiron optimus sagittator scorpionem percussit et filium liberavit; et sic scorpio translatus est in caelum. — Aliter. Juppiter, Neptunus et Mercurius cum quibusdam aliis diis circueuntes diversas regiones, quodam die sole descendente pervenerunt ad domum Oenopionis rustici, qui eos honorifice suscepit, et unicum bovem, quem habebat, iis apposuit manducandum. Ipsi autem refecti volentes redire, dixerunt ipsi Oenopioni, ut quicquid vellet peteret, et ipsi daretur. Ipse autem prole carens petiit, ut sibi filium darent. Qui bovinum corium perminxerunt et plenum seperierunt; ex quo post novem menses natus est Orion seu *Οὐρίων*, id est ex *urina* genitus. Qui factus venator voluit cum Diana concumbere; quae irata misit scorpionem immensae magnitudinis in eum, qui invicem proeliantes translati sunt in caelum. Nam noluerunt dii suam prolem perire, nec Diana suum scorpionem. Orion *ensifer* dicitur, quia succinctus erat ense. Ex scorpione secundum utramque fabulam facta sunt duo signa. Ex brachiis, quae chelae dicuntur, factum est signum quod dicitur Libra, ex corpore factum est signum quod dicitur Scorpio. Sol dicitur esse in Scorpione, quia sicut scorpio pungit per caudam, ita et

Carystus fil. Chironis

quum sol est in parte illius signi, pungit frigus; nam primum frigus magis nocivum est.

9. Chiron, optimus sagittarius, magister Achillis et nutritor Aesculapii, ob scorpionis, de quo dictum est supra, sagittationem et filii sui liberationem translatus est in caelum; et ex eo factum est signum, quod dicitur Sagittarius. Sol dicitur esse in Sagittario, quia sicut ex arcu emittuntur sagittae, sic quum sol decurrit per istud signum, nives emittuntur ab aëre.

10. Saturnus, filius Caeli, habuit in responsis a Themide, quod habiturus esset filium, ipsum de regno expulsurum. Unde dixit Rheae sive Opi sorori et uxori suae, quod quicquid pareret, sibi daret. Primo ergo tradidit ei Neptunum, quem in mare submersit, et factus est deus marinus. Secundo dedit ei Plutonem, quem in foveam suffocavit, et factus est deus inferorum. Tandem nato Jove mirae pulchritudinis, ipsius miserta, misit Saturno lapidem nomine *abidir*, quem pulveratum devoravit. Deinde egestus et formatus est in speciem humanam et vivificatus. Jovem vero mater tradidit cuidam lupae, quae quum non abundaret lacte, nutrivit ipsum Amalthea capra. Qui adultus Saturnum de regno expulit, ut in alia patet fabula; et Amaltheam capram, quae ipsum nutriverat, in caelum transtulit, et ex ea factum est signum, quod dicitur Capricornus. Sol dicitur esse in Capricorno, quia sicut capra petit alta, ita sol quum est in medio illius signi, quum non possit plus descendere, tunc incipit ascendere.

11. Ganymedes, filius Troili regis Trojae pulcherrimus, et venator optimus, dilectus a Jove, raptus est ab eo in Ida silva per aquilam, nuntiam Jovis, in quam fertur Juppiter tunc mutatus. Deinde depulsa Hebe, filia Junonis, dea juventutis, quae prius erat pincerna deorum, Ganymedes factus est pincerna Jovis, qui propter gratiam propinationis meruit fieri signum caeleste, quod Aquarius dicitur. Et dicitur ideo gestare urnam in manu propter temporis proprietatem.

12. Imminente Giganteo bello, Venus cum Cupidine filio suo in Palaestina regione sedebat super litore maris. Unde quum audiret tumultum belli, credebat Typhoeum sequi se rapturum; et ideo ob nimium timorem se cum filio projecit in mare. Duo autem pisces immensae magnitudinis supponentes humeros suos, ultra mare tulerunt eos. Dii autem videntes eorum fugam, ad designationem hujus facti, eos pisces in caelum transtulerunt; et ex iis factum est signum, quod dicitur Pisces. Sol dicitur esse in Aquario et Piscibus propter proprietatem. Tunc enim multae cadunt aquae et nives. Nam aquarius portat urnam, et pisces semper sunt in aquis.

M.! i, Mercurius = Arcas p. 218, i [illegible] Lex. Mythologicum" [illegible] [illegible] Bd. III [illegible] [illegible]

I N D E X.

A α.

Abas 2, 68, 20. 2, 131, 20. 24 et 38.
Abel p. 182, 21.
Abelica virtus p. 182, 18.
Abidir 1, 104, 20. p. 256, 17.
Aborigines 2, 153, 2.
Absyrtus 1 p. 64, 32.
Abydenus 2, 218.
Abydus 1, 28, 14. 2, 218.
Academici p. 168, 24.
Acamas 1 p. 64, 46.
Acca Larentia 1, 30, 10.
Acerbus 1, 214, 22.
Acesta 1, 137, 19. civitas Trojana 1, 137, 24. Sicil. 1, 202, 8.
Acestes 1, 137, 23. 2, 193, 34.
Acetes 2, 83, 35.
Aceus i. e. Aeacus 1, 208, 31.
Achaemenii 2, 19, 38.
Achaja 1, 202, 3.
Achates comes Aen. p. 230, 30.
achates lapis p. 230, 34. 35.
Achelous 1, 58, 20. 1, 80, 4. 1, 186, 41. 2, 101, 26. 2, 165, 18. 33 etc. p. 248, 30.
Achemenida 1, 72.

A α.

Acheron pat. Fur. 2, 12. fl. inf. p. 175, 17. 22 et 27. p. 177, 33.
Achilles occ. 1, 36. 1, 140. ej. arma 1, 138, 27. patruelis Aj. 1, 138, 38. mersus in St. 2, 205, 17. 1, 178, 2. natus 1, 207. ej. res g. 1, 209. Tr. occ. 1, 210. non pugn. 1, 211. 2, 205, 20. a Chir. educ. 2, 62, 6. natus 2, 205, 13. interf. 2, 205, 38. natus p. 240, 36. p. 242, 4 sqq. ap. Lycom. p. 242, 13. ejus mors ibid. 20.
ἄχος p. 230, 31.
Acidalia Venus 2, 36, 22.
Acidalius fons 2, 36, 21.
Acis pastor et fons 1, 5, 31 et 33. 2, 174.
Acrisius 1, 157. 1, 204 p. 64, 27. 2, 110. 2, 111. p. 162, 43.
Acroceraunia p. 203, 36.
Acrotas 1, 207, 20. /4
Actaeon 1, 204 p. 64, 4. 1, 232, 23. 2, 81, 11. 2, 130, 9. p. 198, 34. p. 199, 4.
Acte p. 172, 45.
actualiter p. 181, 29 et 30.

Aegocerus = Capricornus [illegible]

Adam p. 183, 2 sqq.
adamas p. 203, 13. p. 205, 9.
adinventor 1, 103.
Admétus 1, 46, 37. 1, 92, 15. 1, 204 p. 64, 33. 2, 43, 33. 2, 154. p. 247, 26. 29 et 39.
Adon 1, 200, 34. 1, 232, 23. 2, 34. i. e. Priapus 2, 38, 30. Ven. am. 2, 130, 9. p. 199, 4. p. 238, 42 sqq.
Adonis 2, 128, 23.
Adrastus 1, 80, 4. 2, 119, 23. 2, 230, 11. 1, 151, 36. 1, 152, 4. 1, 204 p. 64, 12. 2, 78, 32.
Adriaticum mare p. 186, 45.
adyta p. 195, 45. p. 209, 29.
Aeacus 1, 138, 40. 1, 208, 31. 2, 76, 30. 2, 203, 25. 2, 204.
Aeaea insula 1, 15, 2.
Aeeta rex 1, 23, 12 et 30. 1, 25, 21. 1, 204 p. 64, 31. 2, 134, 5. 2, 135, 21. 2, 136, 36. 38 et 43.
Aeetas 1, 204, 34.
Aeneas 1, 135, 40. 1, 141, 22. 1, 142, 34. 1, 201. ejus errores 1, 202. natus 1, 204, 16. mem. 1, 217, 10. 1, 228, 36. 2, 195, 3. 2, 229, 21 etc. p. 161, 33. p. 175, 33. p. 188, 11 sqq. p. 196, 37. p. 230, 13 et 18. p. 231, 23. 25.
Aegacon 2, 53, 35.
Aegeus 1, 46, 25. 1, 48, 17. 1, 204 35. 2, 125.
Aegina ins. 2, 204, 32.
Aegina fil. Aesopi 1, 165, 14. 2, 105, 19. 2, 203 et 204.
Aegisthus 1, 22, 43. 1, 147, 14. 2, 147, 14. 2, 202, 1 sqq.
Aegle 2, 161, 17, p. 248, 42.
Aegyptii 2, 19, 38. auctores Idol. 3, p. 152. eor. sacra p. 175, 37. servant cadavera p. 190, 12.
Aegyptus Beli fil. 1, 134.
Aegyptus 1, 18, 11. 1, 79. 1, 86, 34. 2 p. 74, 5. 2, 89, 9 et 13. 2, 90, 15. 2, 91, 22. 2, 132, 14. 2, 138, 23. p. 162, 42, p. 164, 7. p. 175, 37.
Aëllo 1, 111. 2, 13, 3. p. 173, 23 et 28.
Aeoliae insulae 2, 52, 20. p. 170, 24.
Aeolus 1, 204 p. 65, 5. 2, 51, 16. 2, 52. 2, 56, 24. 2, 79, 16. 2, 134, 33. 2, 136, 39. p. 165, 23. p. 167, 4. 10 etc. p. 170, 19 etc. p. 224, 17.
aëromantia p. 136, 13.
Aesacus 2, 176.
Aesculapius 1, 46, 29. 1, 103. 1, 115, 18. 1, 204 p. 64, 36. 1, 205, 12. 2, 22, 37. 2, 61, 2. 2, 62, 6. 2, 128, 6 et 13. p. 172, 13. ejus capra p. 189, 31. p. 209, 2. p. 225, 19.
Aeson 1, 23, 36. 1, 24. 1, 188. 2, 135, 17. 2, 136, 41. 2, 137, 20. 2, 138, 26.
Aesopus 1, 165, 15. 2, 105, 19.
Aethiope 1, 74, 28.
Aethiopes p. 209, 12.
Aethiopia 1, 73, 37.
Aethiops 1, 139, 4.
Aetna includit Gigantes 1, 11, 14. 2, 53, 35. Herculem 1, 58, 10. 1, 59, 14. 2, 165, 10 etc. et Typhoeum 1, 86, 38. 2, 93, 36. Vulcani offic. p. 224, 14 sqq.
Aetna Nympha 1, 190, 12. 2, 45.
Aethon 1, 113, 23. 2, 21, 24. p. 202, 32 sqq.

Aethra 1, 48, 13 et 22. 2, 128, 37.
Aetolia 2, 144, 31. 2, 165, 14. 6. 18
Afri 1, 193, 15. 1, 219, 30. versipelles p. 180, 4.
Africa 1, 202, 8. 1, 214, 24. 1, 222, 25.
Africus 1, 183, 7.
Agamemnon sacrif. Iphig. 1, 20. 2, 202. interficitur 1, 22, 2. 1, 147, 14. natus 1, 204, 30. ejus auxilia 1, 209, 8 et 14. interf. 2, 147, 16 etc. odit Ach. 2, 205, 20.
Agave 1, 120, 37. 1, 151, 32. 1, 204, 2. 2, 78, 29. 2, 83. p. 245, 43.
Agenor 1, 134, 17. avunculus Meleagri 1, 148. 1. pater Europ. 1, 148, 1. 1, 149. Cadmi 1, 204, 40. et p. 64, 39. Epaphi fil. 2, 75. 2, 76, 24 et 27. 2, 77. 2, 103, 32. 2, 144, 7. p. 253, 38.
Aglaie 1, 132. 2, 36, 17. p. 229, 20.
Aglauro 2, 37, 9. 2, 40, 37. p. 223, 10 et 26.
agon Pythicus 2, 19, 12.
ἀέρων ἄλλο 2, 13, 6.
Αἰωνείδης p. 167, 11.
Ajax 1, 136, 11. 1, 138, 38. 1, 181, 19. 2, 199, 24.
ἀκίδες 2, 36, 23.
ἄκμων p. 224, 21.
ἄκρον p. 203, 37.
ἀκτή p. 172, 44.
Alba 1, 30, 13. 1, 193, 18. 1, 202, 31.
Alcaeus pat. Amph. 2, 149, 38. p. 246, 21 et 25.
Alceste 1, 92. 1, 204 p. 64, 33. 2, 154, 34 etc. p. 220, 4. p. 247, 24. 26. 31 et 40.
Alcides 1, 158, 32. 2, 149, 36. 2, 162, 31. p. 246, 21.
Alcimene 2, 131, 40.
Alcinous 1, 56.
Alciope 2, 180.
Alcmaeon 1, 152, 14. 2, 78, 35.
Alcmena 1, 50, 2. p. 246, 22.
Alcon 1, 160. 2, 191.
Alcumena 1, 204, 38. 2, 148.
Alcyone 1, 9. 1, 234, 10. 2, 175.
Alcyones aves 1, 9. 2, 175.
alcyonia 1, 9, 32.
Alecto 1, 109. 2, 12, 33. p. 187, 22.
Alexander i. e. Paris 1, 208, 37.
ἀλκή 2, 149, 36. 2, 154, 3. p. 246, 22. p. 247, 41.
Allia fl. 1, 221, 11.
Aloëus 1, 83. 2, 55, 20.
Alpheus 1, 58, 20. 1, 166. 2, 173.
altaria, unde p. 193, 38.
Althaea 1, 146, 5. 1, 204 p. 64, 13. 2, 144, 11.
Amadryades p. 172, 29.
Amalthea 2, 16, 17. p. 236, 20 et 22.
amaracina 1, 34. 2, 182.
Amaracus 1, 34. 2, 182.
Amazona 1, 63, 27.
ἄμμος 2, 80, 2. p. 164, 44.
Ammon, vid. Hammon.
Amor luctatur cum Pane 1, 127, 10. 2, 48, 24. Veneris fil. p. 239, 19 sqq.
Amphiaraus 1, 151, 38. 1, 152, 8 etc. 2, 78, 34.
Amphion 2, 71, 6. 1, 97, 21. 2, 74, 6. p. 212, 2. 1, 156, 7 etc. 2, 77, 39. 1, 204 p. 64, 8.
Amphitrite 1, 107, 6. 2, 9, 11. p. 171, 19 etc.

Amphitryon 1, 50, 3. 1, 204, 38. 2, 148. 2, 149.
Amphrysus 2, 128, 18.
Amulius 1, 30. 1, 204, 31.
Amycus 1, 93. 1, 107, 9. 2, 140.
amygdalus 1, 159, 13. 2, 214.
Amymone 1, 45. 2, 200. 2, 201.
Anacreon 2, 198, 36. p. 162, 18.
Anapus 2, 93, 39.
anastrus circulus mundi p. 211, 36.
Anaurus 2, 135, 17.
Anaximenes 2, 81, 16. p. 198, 37.
Anchises 1, 135, 40. 1, 201, 11. 1, 202, 36. 1, 204, 11 et 16. 1, 217. 2, 195. ejus tumulus p. 185, 6 sqq.
Androgeus 1, 3, 9. 1, 43, 9. 1, 204 p. 64, 41. 2, 121, 13. 2, 122.
androgynus p. 214, 34.
Andromache 1, 41. 1, 140, 16. 1, 204, 15. 2, 208.
Andromeda 1, 73, 37.
aneroticus p. 230, 43.
Angitia 2, 136, 15.
anima, unde in corpus descendat p. 178, 9 sqq. ejus natura p. 179, 23 sqq. p. 190. duplex vis p. 182, 41 sqq. reditus p. 183, 18 sqq. purgatio ibid. 41 sqq. citatur p. 190, 6 sqq. ejus natura p. 219, 12.
anima mundana p. 181, 39. p. 182, 12.
animalitas p. 182, 45.
Anius 1, 202, 42.
annullatio p. 181, 14.
Antaeus 1, 55. 2, 164. p. 247, 8 sqq.
Antagoras 1, 156, 9.
Antenor 1, 201, 11 et 46.
Anthedon 1, 99. 2, 168. 169. p. 232, 40 et 43.
Antia 1, 71, 11 et 24. 1, 85, 21. 2, 131, 21. p. 252, 15.
Antigona fil. Oed. 1, 204 p. 64, 11. 2, 230, 6.
Antigone fil. Laomed. 1, 179. 1, 204, 11. 2, 69.
Antilochus 1, 204, 46.
ἀντίον p. 247, 12.
Antiopa 1, 97. 1, 204 p. 64, 6. 2, 74.
antipodes p. 189, 8.
Antonius, Luc. 1, 222, 28. M. ibid. 29.
Anubis 2, 42, 25.
Aonius m. 2, 112, 6. fons 2, 112, 8.
Apennini pars p. 186, 43.
apex p. 196, 12.
Aphareus 1, 77, 12.
Ἀφροδίτη 2, 30, 29. p. 214, 29.
ἄφρος 2, 30, 30. p. 214, 29.
Apicius 2, 225.
Apis 1, 79.
Ἀπόλλων quid 2, 18, 35. 2, 19, 43.
Apollo natus 1, 37, 18. Sol 1, 37, 32. 1, 118, 36. 2, 17, 7. Delphicus, 2, 153, 23. 2, 208, 19. 1, 41, 18. 1, 140, 13 Cumanus 1, 43, 27. 2, 125, 23. Cyclopas interficit 1, 46, 36. 2, 128, 16. p. 210, 1. in corvum mutatur 1, 86, 35. cum Pane certat 1, 90. varia ejus epitheta 1, 113. Pythonem interf. 1 113, 19. Musarum praeses 1, 114 corvum punit 1, 115. 2, 22. laurum amat 1, 116. 2, 23. Hyacinthum am. 2, 181. 1, 117. Phaëthontis pa 1, 118. Admeti boves pascit 210, 2. 1, 118, 6. 2, 43, 3 2, 128, 18. Marsyam punit 1, 12

16. 2, 115. muros Trojae exstr. 1, 136, 43. 1, 137, 16. 2, 193. Thymbraeus 1, 140, 9. ejus templ. petit Or. 1, 147, 23. amat Sibyllam 2, 87. 1, 153. ejus templum incenditur 1, 153, 27. interf. Niobes fil. 1, 156, 15. Crotopi fil. vitiat 1, 168, 31. Cassandram amat 1, 180. 2, 196. Gryneus 1, 194. servit Adm. 1, 204 p. 64, 35. Coronoidem amat 1, 205, 13. 1, 204 p. 64, 36. 2, 128, 8. Circes pat. 1, 204 p. 64, 36. Delius 2 p. 74, 9. idem ac Liber et Sol, ibid. 26. triplex ejus potestas 2, 18. p. 209, 26. varia ejus nomina 2, 19. ejus tripos, arcus et tela 2, 20. ejus equi 2, 21. ejus Musae 2, 24. p. 210, 22. ejus soror 2, 25. lyram accipit 2, 44. Nioben punit 2, 71. p. 209, 42. Midam punit 2, 116. 117. Cypar. amat 2, 177. Thymbr. 2, 205, 37. 2, 207, 2. divinitatem depon. p. 160, 43. deus inferorum p. 195, 45. taurus ei non sacrificatur p. 196, 36. varia ejus nomina et munia p. 200 sqq. ejus corvus p. 207, 45 sqq. medic. deus p. 208, 34 sqq. ejus effigies p. 209, 23 sqq. unde dictus p. 200. p. 209, 35. i. e. ignis p. 223, 44.

potheosis p. 181, 18. p. 185, 13. p. 214, 4. p. 219, 25. p. 250, 22.

ppius p. 250, 15.

pulejus 1, 231. cit. p. 157, 35.

pulia 1, 141, 25.

quarius, astrum p. 162, 38. p. 205, 19. p. 207, 43. p. 256, 33 et 43.

quila Prom. 1, 1, 9. p. 228, 22. Jovis 1, 11, 13. 2, 3. p. 162, 1 etc. Romanorum sign. p. 162, 14. 21 etc. 35 etc.

Aquilo 1, 26. 1, 183, 7. p. 174, 14.

ara, unde p. 193, 40.

Arachne 1, 91. 2, 70.

ἀραί p. 193, 40.

Aracynthus 1, 97, 21.

Aratus p. 186, 39.

Arcades vetustissimi hom. p. 156, 44.

Arcadia 1, 27. 4. 2, 43, 37. 2, 142, 2. 2, 163, 4.

Arcas, Mercurius p. 218, 1.

arcessere de animis evocandis p. 213, 2.

Archemorus 1, 156, 9. fil. Lyc. 1, 204 p. 64, 31. 2, 141, 32 et 37. p. 193, 32.

Archilochus 2, 220.

Arctophylax 2, 58, 17. 2, 61, 14.

Arctos 2, 58, 10. 12 et 17.

Arcturus 2, 58, 16.

Ardea 1, 74, 15. 1, 157, 37. 1, 221, 14. 2, 110, 17.

Area 2, 158.

Arethusa 1, 166. 2, 93, 3. 2, 173.

Argia 1, 151, 36. 1, 152, 6 et 11. 1, 204 p. 64, 12. 2, 78, 32. 2, 230, 11.

Argo 1, 24, 5. 1, 134, 14. 2, 103, 38. 2, 135, 26. 2, 136, 30 et 34.

Argonautae 1, 24, 5. 1, 26, 1. 1, 27, 39. 1, 49, 41. 1, 93, 35. 1, 133, 42. 2, 132, 10. 2, 135, 27. 2, 140, 6. 2, 141, 23 et 26. 2, 142, 5 et 7. 2, 199, 5. p. 164, 3.

Argos 1, 47, 8. 1, 80, 3. 1, 134, 13 et 17. 1, 141, 23. Hippium 1, 141, 27. Danaus ad Arg. 2, 103, 36. 2, 120, 38.

Argus 1, 18, 6. auctor naris 1, 24.

4. a Merc. occ. 2, 41, 2. 2, 89, 5. p. 215, 5.
Argyrippa 1, 141, 27.
Ariadne 1, 43, 10 et 18. 1, 204 p. 64, 41. 2, 121, 13. 2, 124, 39.
Aricia 1, 20, 12. 2, 128, 20. 2, 202, 21.
Aricinum nemus 2, 202, 15.
Aries, astrum 1, 181, 27. p. 204, 17. p. 206, 13. 19 et 38. p. 225, 14 et 20. p. 253, 34 et 36.
arioli p. 236, 30.
Arion 1, 95. 2, 172.
Arion Nept. equus 2, 119, 22. p. 172, 43.
Arisba 1, 40, 28. 1, 212.
Aristaeus 1, 76, 39. 2, 44, 12. 2, 81, 10. 2, 82. p. 212, 10.
Aristocles pater Argi 2, 5, 11. 2, 89, 5.
ἄριστον p. 212, 23.
Aristoteles p. 172, 30. p. 189, 17.
Aristotelicum dictum 1, 154, 35.
arithmetici p. 193, 34.
armiger Jovis 1, 184, 12. 2, 3, 33.
Arpinum 1, 141, 29.
Arpos 1, 141, 27.
ἄρπυια p. 173, 24.
Arruns 1, 74, 15 et 22.
aruspicina p. 236, 26 sqq.
Ascalaphus 1, 7, 6. 2, 100, 17.
Ascanius 1, 202, 37. p. 62, 26 et 30. 1, 204, 17. p. 196, 15.
Asclepiades 1, 120, 11.
Asopus 2, 203, 24. 2, 204.
Asper 1, 61, 4 et 6.
Assaracus 1, 135, 36. 37 et 39. 1, 204, 10. 2, 192, 12.
Assyrii 1, 1. 12. 2, 65. 25. p. 228. 18.
Asterie 1, 37. 2, 17, 32. p. 200, 43.
Astraea i. e. Justitia 2, 16, 27.
Astraeus 1, 183. 2, 51.
astrites gemma p. 203, 5 et 27. p. 204, 12.
astrologi p. 198, 10. p. 211, 31. p. 216, 24.
astrologia Promethei 1, 1, 12. 2, 65, 23. p. 228, 18.
Astyanax 1, 204, 16. 2, 209, 28.
Astycratia 1, 156, 11.
asylum, unde deriv. 2, 166, 37.
Atalante 1, 39. 1, 146, 35. 1, 174. 2, 47. 2, 144, 40.
Athamas 1, 23, 7 et 15 et 35. 1, 204 p. 64, 4. 2, 78, 26. 2, 79, 16. 18 et 21. 1, 134. 1, 136, 41. p. 253, 21.
Ἀθηνᾶ 1, 2, 32. 1, 124, 41. 2, 39, 42. p. 172, 40. p. 221, 29 et 38.
ἀθανάτη 2, 119, 13. p. 221, 38.
ἀθανάτη παρθένος 2, 39, 1.
Athenae, unde dictae 1, 2, 32. 2, 119, 13. ibi asylum 1, 60, 33. 2, 166. Minerv. cult. 2 p. 74, 7. 2, 38, 41. p. 172, 40.
Athenienses devicti a Minoë 1, 3, 8. 1, 43, 14. 2, 122 et 123. p. 232, 30 sqq. necant Androgeum 1, 3, 9. 1, 43, 10. morbo laborant 1, 19, 22. 2, 61, 15. cum Lac. bell. gerunt 1, 161, 25. 1, 206. 2, 189. Syracus. obs. 1, 193, 15. vetant ne nov. relig. introd. p. 172, 14. i. e. Attici p. 172, 45.
Atilius 1, 223.
Atis 1, 230. 2, 128, 23. p. 158, 9 et 15 et 45 etc. p. 185, 16.
Atlantes tres p. 249, 8.
Atlantides 2, 41, 7.

Avi: m. et aselli I, ii

Atlas dux Titanum 1, 183. 2, 53, 33. mons 1, 106, 38. rex 1, 129, 31. 1, 234, 4. 2, 41, 4. 2, 114. 2, 161, 16. 2, 167, 42. p. 171, 33. p. 248, 11.
Atracias 1, 170.
Atreus 1, 22. 1, 204, 29. 2, 147, 40 etc. p. 209, 15.
Atridae 1, 209, 8.
Atropos 1, 110. 2, 14, 32 et 34. p. 187, 42.
augurium p. 236, 46. p. 237, 3 sqq.
Augustus 1, 226, 17 et 21.
αὐλαὶ p. 236, 12.
Auster 1, 183, 6.
Aulis insula 1, 20, 37. 2, 202, 33.
Aura 1, 44, 7.
auricomus Apollo p. 201, 37.
Aurora 1, 44, 41. 1, 139. 1, 183. 2, 51. 2, 194. 2, 216, 14 etc.
Autonoë 1, 120, 37. 1, 204, 2. 2, 78, 39. 2, 81. p. 245, 42.
Avellana p. 205, 10.
Aventinus 1, 202, 21.
Avernus lacus 2, 228.
Avienus p. 217, 1.

B β.

Bacchae 1, 120, 38. 2, 78, 42. p. 245, 4 et 31.
Bacchus, varia ejus nomina et officia p. 243, 19 sqq. 1, 204, 3. 1, 204 p. 64, 42. cur ei caper sacer 2, 61, 38. vin. col. p. 171, 44. favet Thebanis p. 255, 10. cf. Liber et Dionysus.
Bajae 1, 145, 17. 2, 152, 34, 2, 227. p. 175, 28.
Bajanum 1, 226, 19. 2, 227.
bajulare 1, 110, 26. 2, 14, 32. p. 187, 37.
Bajus 1, 145, 17.
Balearica major et minor 2, 152, 26. p. 249, 20.
Bassareus p. 195, 14. p. 244, 29 et 32.
Bassarides p. 244, 31.
Bebrycia 2, 140.
Bebrycii 1, 93, 30. 1, 107, 10.
Bebrycium nemus 2, 140.
βεκός p. 157, 6.
Belides 1, 45, 17.
Bellerophon 1, 71. 1, 72, 31 et 34. 1, 234, 13. 2, 131. p. 252, 14. 18. 23.
Bellona p. 250, 35.
Belus 1, 134, 9. 1, 45, 16. rex Phoeniciae 1, 138, 33. 1, 214, 21. 2, 103, 31. 2, 200, 1 etc.
Beneventum 1, 141, 26.
Berecynthia 1, 230. p. 157, 16. 20 et 40. etc. p. 159, 2.
bidentes p. 195, 1 sqq.
bimatus p. 195, 4.
Bito 1, 29. 2, 66.
Boale 2, 152, 35.
Boaulia 2, 152, 35.
Boeotia 1, 149, 8. 2, 77, 1.
βωμονίκαι 1, 173, 35. 2, 202, 18.
Bootes 2, 61, 13.
Boreas 1, 27, 2. 1, 117. 1, 183, 7. 1, 204 p. 65, 5. 2, 142, 8 et 9 2, 181, 39 etc.
Branchiadon 1, 81, 33. 2, 85, 5.
Branchus 1, 81. 2, 85.
Briareus 2, 53, 34.
Briseïs 1, 209, 12. 2, 205, 20.
Briseus p. 244, 25 et 27.
Brontes p. 224. 19.
Brundusium 2, 125, 16.
Brutus 1, 74, 34 et 37. 1, 222, 26.

Bryte 2, 26, 38.
Bupalus 2, 221.
Busiris 1, 65. 2, 157.
bustuarii p. 192, 17.
Buta 1, 53. 2, 156.
Byblis 1, 204 p. 65, 2.
Byrsa 1, 214, 28.

C χ.

Cacus 1, 66. 1, 69, 30. 2, 153, 8 sqq. p. 246, 30. 37 et 45. p. 249, 31.
Cadmus 1, 120, 41. 1, 134, 17. 1, 149, 40, 1, 150. 1, 151. 1, 204, 40. 2, 74, 11. 2, 77, 34 et 38. 2, 78.
caducea virga 1, 119, 13.
caduceatores 1, 119, 23. 2, 43, 2. p. 215, 18.
Caeculus 1, 84. 2, 184.
Caelus 1, 204, 5. 2, 1. 2, 30, 27. 2, 41, 43. 2, 198, 38. 3 p. 155, 15. p. 162, 21.
Caeneus i. e. Caenis p. 189, 18 sqq.
Caenis 1, 154. 2, 108, 41.
Caesar, Julius 2, 228, 15. unde dic. p. 209, 7. Apollinis sacra hab. p. 209, 4. bellorum civilium auctor 1, 222.
Calabria 1, 143. 2. 1, 206, 23. 2, 165, 27. 2, 210, 4.
Calais 1, 26. 1, 27, 2. 1, 204 p. 65, 6. 2, 142, 8. p. 173, 38. p. 174, 11.
Calchas 1, 194, 21. 1, 209, 14. 2, 224.
Calliope 1, 76. 1, 114, 41. 2, 24, 39 et 13. 2, 44, 5. p. 210, 43. p. 211, 24.
Callirrhoa 2, 198, 30.
Callisto 1, 17, 34. 2, 58.
Calydon 1, 58, 19. 1, 146, 24. 2, 144, 32.
Calydones 1, 71, 20. 2, 131, 38.
Calydonius aper 1, 146, 30. 2, 144, 35.
Camillus 1, 221, 12.
Campania 1, 141, 29. 1, 202, 9. 1, 224, 5. 2, 53, 41. 2, 152, 32. 2, 228, 10.
Camenae p. 213, 5.
Cancer, astrum p. 203, 29. p. 204, 12. p. 207, 3 sqq. et 37 sq. p. 208, 24. p. 217, 16. p. 254, 29 sq.
Canens Nympha p. 235, 16.
canes Jovis 1, 27, 8. p. 173, 18.
Canicula, astrum p. 207, 11. p. 255, 6.
Caniculares dies p. 255, 5.
Canis, astrum 1, 233. p. 217, 2. 10 et 16.
Capetus 1, 202, 20.
Caphareae insulae p. 233, 38.
Caphareus mons 1, 144, 11. 2, 201.
capitium 1, 147, 16. 2, 147, 18. 2, 202, 43.
Capitolium 1, 221, 12. p. 191, 19.
Capreae 1, 42, 31. 2, 187.
Capricornus p. 205, 12. p. 207, 31. p. 256, 23.
Capus 1, 202, 20.
Capys 1, 135, 39.
Carmentis 1, 70. 2, 153, 41.
Carthago 1, 214, 29. 1, 215, 34. 1, 216, 38 et 6. p. 161, 33. p. 220, 34.
Carya 2, 27.
Caryatium 2, 27.
Cassandra 1, 180. 1, 181. 18. 1, 201, 14. 2, 196. p. 225, 9.
Cassiopeïa 1, 73, 1. 1, 80, 2. 2, 75.
Cassius 1, 222, 26.
Castaliae fons 1, 130, 12. 2, 112, 7.
Castalius fons p. 210, 12.

Capricornus: Aegocerus: Pan
Carystus fil. Chironis cf. Notae crit. S. 162.

Castor 1, 77. 1, 78, 26. 1, 204 p. 64, 28. 2, 119, 25. 2, 132, 1. 2, 135, 26. p. 163, 3 et 18. p. 172, 13. p. 173, 11. p. 254, 10. 15.
cataclysmus 2, 17, 40.
catax 1, 176, 22.
catholica fides p. 217, 24 et 32.
Catinensis urbs 1, 190, 10.
Cato Afr. 1, 222, 25. histor. 1, 202, 21.
catta p. 187, 5.
Caucasus 1, 1, 9 et 13. 2, 64, 3 et 7. 2, 65, 24. p. 228, 13 et 19.
Caunus 1, 204 p. 65, 2.
Cecrops p. 173, 2.
Celaeno 1, 111. 1, 134, 10. 2, 13, 3. p. 173, 23 et 29.
Celeritas, filia Solis p. 210, 7.
Celeus 1, 8. 2, 96.
Centauri 1, 62, 5. 1, 154, 32. 1, 162. 1, 163, 6. 1, 192, 32. 2, 106, 1. 2, 107, 12. 19 et 27. 12, 108, 33 et 37. 2, 162, 31. p. 167, 42. p. 168, 4. 12 etc. p. 189, 21.
Centaurus 1, 58, 39.
Centippi 2, 107, 13.
centuplum 2, 15, 41.
Cephalus 1, 44. 1, 204 p. 65, 5. 1, 233, 33. 2, 216.
Cepheus 1, 73, 1 et 3. 2, 99.
Cephisus 1, 185, 20. 2, 180, 18.
Ceraunia, montes Epiri p. 203, 35.
ceraunus gemma p. 203, 4 et 31. p. 204, 1.
Cerberus 1, 48, 29. 1, 57. 2, 1, 27. 2, 11, 26. 2, 149, 1 etc. p. 187, 1 sqq.
Ceres Proserpinam quaerit 1, 7. 2, 94. 2, 100. p. 197, 17. ad Lycios pervenit 2, 95. 1. 10. 1, 31. est Terra 1, 11. 1, 12, 25. 2, 102, 22. Eleusinia 1, 75, 26. ei porca sacra 2, 61, 2. p. 189, 30. i. e. gaudium 1, 112. 2, 15, 3. p. 197, 10. i. e. Diana 2 p. 74, 27. Celeum adit 2, 96. 97. Triptol. am. 2, 98 et 99. p. 197, 39. agricult. docet p. 171, 44. Pelopis humer. edit p. 186, 23. nominis etymol. p. 197, 24 sqq.
Priamus 1, 135, 39. 1, 136, 42 et 12. 1, 204, 12. Hectoris corpus redimit 1, 209, 29. 1, 211, 38. 1 212. moritur 1, 213. 2, 197. 2, 199, 25 etc. 2, 205, 30. Paridem mittit in Gr. p. 164, 19.
Priapus 1, 126. 2, 38. 2, 179. ejus asinus p. 189, 32 sqq.
Probus cit. p. 160, 38.
Procne 1, 4. 1, 204 p. 65, 3. 2, 217, 32 etc.
Procris 1, 44. 1, 204 p. 65, 3. 1, 233, 33. 2, 216.
Proetides 1, 85. 2, 68, 31.
Proetus 1, 71, 10. 1, 85. 1, 204 p. 64, 35. 2, 68. 2, 131, 19.
Proetus, pat. Nyctim. 2, 39, 16. p. 252, 15 19 et 22.
Proserpina rapta 1, 7. 2, 93. 94. 2, 96. 2, 100. 101. p. 197, 16. a Theseo 2, 133, 25. est luna 1, 7, 11. 2, 100, 22. p. 198, 3 et 7. exoratur ab Orpheo 1, 76, 43. uxor Plutonis 1, 112. p. 197, 9. quid sit p. 199, 31. a *proserpere* dict. 1, 112, 1. p. 199, 35. Vesta ibid. Diana 1, 112. p. 198, 18 et 23. Lucina 1, 112. Trivia ibid. a Sirenibus quaeritur 1, 186. Pluton. conj. 2, 15. est Luna et Diana 2, 15, 2. 2, 25, 23 et 27. mater ~~Mercurii~~ 2, 41, 1. ejus significatio et officium p. 197, 9 sqq. es Hecate ibid. 14. a Cerere quaeri tur p. 199, 37 sqq. nomen mortu ap. infer. notat p. 220, 6.
Proteus 2, 16, 8. 2, 132, 15. 1, 13 23. p. 164, 8. p. 240, 25. p. 24 35 sqq.

προμήθεια 2, 63, 25. p. 228, 17.
Prometheus 1, 1. 2, 63 et 64. ejus fil. 1, 189, 38. vivificat homines 1, 189, 8. ignem rapit et Jovem decipit 2, 64. p. 227, 18 sqq. p. 228, 3 sqq.
Protesilaus 1, 158. 2, 215.
Psyche 1, 231.
Ptolemaeus p. 180, 6.
Pudicitia déa 2, 16, 29.
pullulare foetus 1, 115, 5.
punicum malum 1, 7, 6.
purpurea coma Nisi 1, 3, 11.
Pygmalio 1, 214, 23.
Pylades 1, 20, 9. 1, 147, 22. 2, 166, 36. 2, 202, 4.
πῦρ p. 224, 21.
pyra p. 190, 37. p. 191, 30. p. 236, 15.
Pyracmon p. 224, 20.
Pyriphlegethon p. 236, 15.
pyromantia p. 236, 13.
Pyrrha 1, 189, 38. 2, 73.
Pyrrhus 1, 40, 30. 1, 41, 14. 1, 140. 1, 213, 13. 2, 205, 41. 2, 208.
Pythagoras p. 185, 20. p. 190, 19. p. 212, 29.
Pythicus agon 2, 19, 12.
Pythius Apollo 1, 113, 17. 2, 19, 10. p. 200, 6.
Python 1, 37. 1, 113, 18. 2, 17, 40 et 7. 2, 19, 11. p. 200, 10. p. 201, 5 sqq. p. 202, 11 et 22 sqq.
πύθω p. 200, 8.
Quirinus, Mars p. 234, 30.

R ρ.

ῥάβδος p. 204, 44.
reddere, verbum sacerdotale p. 194, 39.
Regulus 1, 219.
reliquiae p. 192, 33.
Remigius 3 p. 153, 1. p. 157, 27. p. 158, 18 et 46. p. 159, 14. p. 185, 1. p. 197, 20. p. 199, 16. p. 202, 6 et 44. p. 203, 14. p. 211, 5 25 et 34. p. 212, 15 et 32. p. 213, 31. p. 214, 6. p. 215, 12 et 33. p. 216, 1 11 et 19. p. 217, 40. p. 221, 33 et 39. p. 223, 32 et 34. p. 229, 36. p. 234, 25. p. 238, 42. p. 239, 27 32. p. 245, 24. p. 251, 39.
Remulus 1, 202, 20.
Remus 1, 30, 6. 1, 204, 23. p. 235, 4.
repertio 1, 229, 7. 2, 28, 16.
repullulare p. 191, 9.
Rhadamanthus 2, 76, 30.
Rhea 1, 102. 1, 103, 13. 1, 204, 6. 2, 16, 9. p. 157, 16. p. 256, 11.
Rhesus 1, 203.
Rhoetus 2, 108, 34.
Roma condita 1, 70. 2, 153, 2. obseditur 1, 74, 44. 1, 221, 12.
Romana fata 1, 153, 27. 2, 87, 24. 2, 88, 34.
Romani septies bella civ. gesserunt 1, 222. Quirinum colunt 2 p. 74, 7. cur aquilis utantur in pugna 2, 198, 41. Dianae Taur. sacra abhorrent 2, 202, 15. excl. mag. art. p. 168, 43. vetant novos deos p. 172, 14.
Romulus asylum facit 1, 60, 36. Sabinos debellat 1, 155, 39. p. 170. 8 sqq. natus 1, 204, 23. cur Martis fil. p. 235, 5.
Romus idem ac Romulus 1, 30, 17.
rota Ixionis 1, 14, 36. 2, 105, 34. 2, 107, 16. p. 168, 6.
Rutuli 1, 202, 16. p. 161, 23.

S σ.

Sabini 1, 155, 39. 2, 219, 33. p. 170, 9.
sacra quomodo peragenda p. 193, 1 sqq. p. 195, 8 sqq.
Sagittarius, astrum 1, 62. p. 205, 8. p. 207, 27. p. 256, 6.
Salamina 1, 138, 35. 2, 199, 28.
Salamis 1, 138, 27.
salisatores p. 236, 31.
Sallentinum prom. 1, 194, 34. 2, 210, 4.
Salmoneus 1, 82. 2, 56.
Salomon p. 167, 30.
Salustius 2, 53, 40. 2, 169, 20. 2, 170, 29. p. 165, 3. p. 170, 45. p. 197, 6. p. 234, 19. p. 249, 28.
salva res saltante sene p. 193, 1.
Samothracia 1, 135, 30. 2, 192, 5.
Samus 1, 135, 30. 2 p. 74, 8.
Sangarius fl. 2, 155, 12.
Sappho p. 228, 8.
Sardinia 1, 43, 26. 1, 129, 30. 2, 82, 26. 2, 125, 23. 2, 167, 42. p. 171, 32.
Sarpedon 2, 205, 22.
Saticena p. 166, 19.
Saturnalia p. 192, 36.
Saturnus 1, 11, 3. 1, 102. 1, 204, 6. Philyram stuprat 1, 103. 2, 62. a Jove punitur 1, 105. 1, 207. profugus 1, 215, quis et unde dictus 2, 1. rex 2, 3, 38. pat. Jovis 2, 16. patrem Caelum punit 2, 30. ejus templ. Rom. Orestis ossa cont. 2, 202, 22. ejus fab. 3, 1. 3, 2. p. 160, 12. planeta p. 161, 19. p. 175, 11. torporem hom. infundit p. 178, 30. noxius p. 216. 31. humorem dat p. 217, 36. ejus cursus p. 218, 43. filios devorat p. 256, 9 et 15.
Satyri 1, 11, 9. 1, 125, 20. p. 252, 44.
Satyrus 1, 45, 13. 2, 200.
Schoeneus 2, 47.
Schoenos civitas 1, 39, 7. 2, 47.
Scinthius p. 172, 42.
sciomantia p. 175, 31.
Scitius 2, 119, 22.
scorpiacus p. 255, 20.
Scorpio, astrum p. 205, 4. p. 207, 22. p. 234, 36. p. 255, 45.
Scylla 1, 3. 2, 123. 2, 169. p. 232, 37 41 et 44. p. 233, 2 5 17 23.
Scyllae duae 1, 3, 2. altera in feras mutata 1, 3, 6. altera in avem 1, 3, 14. apud inferos p. 189, 2.
Scyron 1, 167. 2, 127.
Scythia 1, 10, 38. 1, 173, 31.
Scythica Diana 2, 202, 9.
scythis, gemma p. 203, 10. p. 204, 16 et 22.
Sebethris 2, 187.
Segesta 2, 193, 31 et 35.
σειρῆνες 2, 101, 6.
σείρω p. 233, 45.
Semele 1, 120. 1, 151, 33. 1, 204, 2. 2, 78, 25. 2, 79. p. 245, 39 42 et 46.
Seneca p. 175, 36.
senex saltans p. 192, 45.
sensualitas p. 179, 13. p. 181, 43. p. 182, 45.
Sentinus 3 p. 152, 24.
Septentrio major 2, 58, 18.
sepulturae genera varia p. 190, 9 sqq. p. 192, 6 sqq.
Serranus, Valer. 3 p. 152, 29.
Serranus, Atilius 1, 223.

Servius 3 p. 153, 3. p. 154, 19. p. 156, 6. p. 157, 17 et 36. p. 158, 31. p. 159, 31. p. 161, 28. p. 164, 10. p. 166, 28. p. 168, 13. p. 170, 8 et 38. p. 172, 4 et 25. p. 173, 11. p. 176, 36. p. 183, 36. p. 184, 24. p. 185, 24 et 34. p. 188, 37. p. 189, 3 et 34. p. 191, 8. p. 192, 22 et 31. p. 195, 1. p. 197, 26 et 36. p. 198, 3. p. 199, 24. p. 200, 35. p. 202, 16. p. 208, 46. p. 209, 19. p. 210, 2. p. 212, 43. p. 213, 13. p. 216, 16 et 29. p. 217, 21 et 38. p. 220, 17. p. 222, 3 et 28. p. 223, 33. p. 224, 23 et 26. p. 225, 4. p. 228, 3. p. 229, 42. p. 230, 12. p. 231, 16. p. 232, 19 et 32. p. 233, 12 et 27. p. 234, 21. p. 235, 14. p. 237, 36. p. 238, 16. p. 242, 21. p. 242, 37. p. 244, 1. p. 245, 37. p. 246, 45. p. 248, 7 et 37. p. 251, 8. p. 253, 8.

Sestias 2, 218.

Sestus 1, 28, 14. 2, 218.

Sibylla Cumana 1, 153. 1, 202, 10. 2, 88. Erythraea 2, 87.

Sibyllini libri 1, 153, 28. 2, 87, 24. 2, 88.

Sicani fabri i. e. Cyclopes 1, 118, 4.

Sicilia ferax p. 197, 43.

Sichaeus 1, 214, 22.

Sicidas p. 254, 13 sq.

Sicilia 1, 58, 34. 1, 94, 41. 1, 107, 9. 1, 137, 21. 1, 166, 24. 1, 193, 13. 1, 202, 6. 1, 218, 15. 1, 222, 29. 2, 52, 20. 2, 53, 36 et 40. 2, 173, 11. 2, 193, 33.

Siculum mare 1, 94, 39.

Sidon 1, 138, 28.

signa duodicim caeli p. 253, 16 sqq.

Sigeum prom. 1, 213, 14. 2, 199, 20.

σιγὴ 2, 199, 20.

signifer i. e. zodiacus p. 206, 2.

Sileni 1, 11, 9.

Silenus 1, 88.

silvicaedi p. 171, 38.

Silvanus 1, 6. 2, 178. p. 200, 32.

Silvius 1, 202, 29 et 32. Aeneas 1, 202, 19.

Simonides 2, 35, 3. p. 190, 29.

Simois 1, 217, 10. 2, 195, 3.

Sintii 1, 128, 18. 2, 37, 42.

Siobulae 2, 87, 29.

σιὸς βουλὴ 2, 87, 28.

Sipylus, fil. Niobes 1, 156, 10.

Sipylus mons 2, 71, 16.

Siren p. 234, 18.

Sirenes 1, 42. 1, 186. 2, 101. p. 233, 34 et 43. p. 234, 15.

Sirius 2, 61, 12. p. 217. 1 10 et 11.

sistrum Isidis 2, 90. p. 199, 26.

Sisypheum mare 2, 105.

Sisyphus 1, 165. 1, 234, 7 et 12. 2, 105. p. 177, 10.

situla Isidis p. 199, 26.

smaragdus p. 203, 9. p. 204, 16 et 19.

Socrates p. 172, 15.

Sol Titan 1, 11, 15 1, 113, 14. Apollo 1, 113, 11. 2 p. 74, 26. 2, 18, 30. i. e. solus ibid. pat. Phaëthont. 1, 201, 33. 2, 57, 30 etc. Persicus 2, 19, 40. indicat Ven. adult. 2, 121. p. 231, 41. cur Circe ej. fil. 2, 212, 23. planeta p. 175, 11. p. 217, 34. cur in Ocean. mergatur p. 209, 9 sqq. et 18. nobis vitam dat p. 226, 41.

Solinus 1, 79, 29.

Solon 1, 196, 2. 2, 190, 25.
somniorum portae geminae p. 188, 3 sqq. somn. sedes apud inferos p. 188, 42 sqq.
somniorum interpretes 2, 23, 12. p. 202, 3. p. 188, 14.
Sophia, dea p. 214, 38.
sortes apud Graecos p. 220, 24.
sortilegia p. 235, 34 et 41.
Sosicrates 2, 118, 39.
Soticena p. 166, 17.
Sparta 2, 205, 10.
sphaerae Platonis p. 234, 16.
sphaericare p. 189, 7.
Sphinx 1, 169. 2, 143. 2, 230, 38 etc.
spiraculum i. e. spiritus p. 182, 29.
Statius 1, 60, 34. 1, 151, 30. 1, 168, 35. p. 164, 30. p. 174, 32. p. 184, 9. p. 190, 29. p. 193, 32. p. 205, 28. p. 208, 2. p. 236, 16. p. 237, 5.
Stenoboea 1, 71, 10 et 24. 1, 85, 21. 1, 204 p. 64, 34. 1, 205, 14. 2, 131, 20.
Sterculinius 2, 183, 11.
Sterope 1, 204, 27. 1, 234, 11.
Steropes p. 224, 19.
Stheno 1, 130, 35. 1, 204, 6. 2, 112, 25. 2, 113, 20. p. 251, 4.
στίλβων p. 216, 17.
Stoici 2 p. 74, 18. 3 p. 153, 3. p. 168, 23. p. 190, 10 17 et 21. p. 199, 41. p. 216, 46. p. 218, 20 31 32 et 37. p. 228, 39.
Strongyle p. 170, 29.
Strophades 1, 27, 7. 1, 202, 2. 2, 142, 15.
στροφή 1, 27, 7. 2, 142, 14.
στυγέω p. 176, 10.
Stygia palus 2, 205, 17.

Stygiae aquae 2, 185, 33. 2, 206, 36. p. 242, 5.
Stymphalides 1, 56. 1, 111.
Styx 1, 178. 2, 54, 9 et 14. 2, 57, 34. 2, 100, 17. p. 175, 13 17 21 et 23 etc. p. 176, 9 etc. p. 177, 34. p. 185, 39 et 41. p. 242, 21.
superstitio, quid p. 172, 2 etc.
sustollere 1, 183, 2.
Sylla 1, 226, 23.
Symaethos fl. 1, 190, 10.
Synichronis 1, 81. 2, 85, 34.
Syracusana fossa 1, 193, 14.
Syriaca faba 1, 126, 29. 2, 179.
Syringa N. 1, 127, 11. 2, 48, 26.
σύρω p. 217, 12.
Syrophanes 3 p. 152, 4.
syrtes, quid p. 233, 46.

T τ.

Taenariae fauces 2, 44, 15.
Taenarium litus 2, 172.
Talassio 2, 219, 33.
Tantalus 1, 11, 3. 1, 12, 16 et 22. 1, 156, 7. 1, 204, 27. 2, 71. 2, 102. 2, 146, 29. 2, 147, 37. p. 186, 19 sqq.
Tantalus, Niobes fil. 1, 156, 10.
Taras 1, 206, 24.
Tarentina civitas 1, 143, 2.
Tarentum 1, 95. 2, 172.
Tarpeja 1, 155.
Tarpejus 1, 155, 39.
Tarquinius 1, 74. 2, 88.
Tartara 1, 82, 42. 2, 55, 22. p. 175, 22.
Tatius p. 170, 14.
Taurica Diana 1, 173. 2, 202, 41.
Taurica regio 1, 20, 4. 2, 202, 41.
Tauromenitanum litus 2, 170, 2 p. 249, 28.

Taurus, notarius Minois 2, 126. 1, 43, 29. 1, 204 p. 64, 40. p. 232, 20 et 23.

Taurus, astrum p. 165, 42. p. 204, 17 p. 206, 32 sqq. p. 253, 42. p. 254, 5.

Taygete, Atlantis fil. 1, 234, 9.

Tegea 1, 89.

Tegeeus 1, 89.

Telamon 1, 136, 11. 1, 138, 39. 2, 199, 23. p. 164, 13.

Telchines 2, 185.

Telegonus 1, 15, 12. 2, 211, 17.

Telemachus 1, 204, 44.

Telephus 1, 204, 46.

Tellus 2, 136, 31.

Telon 2, 187.

Tenedos 2, 186.

tenere, verbum sacerdotale p. 195, 22.

Tenes 2, 186.

Terentius 1, 157, 28. 2, 38, 29. p. 155, 26. p. 185, 4. p. 190, 40. p. 191, 44.

Tereus 1, 4. 2, 217. 1, 204 p. 65, 3.

Terpsichore 1, 114, 39. 2, 24, 33 et 9. p. 210, 37.

Terra, mat. Titanum 1, 204 p. 64, 19. 2, 53. mat. Harpy. 2, 13, 10. mater Pyth. 2, 17, 39. aurea pom. dat Junoni 2, 161, 14. mat. Antaei 2, 164.

terrigenae 2, 53, 5.

Tethys, vid. Thetis major.

τετριμμένον p. 171, 21. p. 222, 1.

Teucer 1, 136, 11. 1, 138. Danaus 1, 138, 36. Trojanus ibid. 37. 1, 204, 9. 2, 192, 8. Telamonis fil. 2, 199, 24.

Teucri 1, 138, 37.

Teucontas 1, 204, 45.

Teumesius leo 2, 160, 6.

Teumesus mons 2, 160, 7.

Tex p. 154, 38 et 41.

Thales Milesius p. 173, 15. p. 192, 10.

Thalia 1, 114, 36. 2, 24, 27 et 11. p. 210, 33.

Thamyris 1, 197.

Thaumantias 2, 6, 21. p. 165, 33.

Thaumas 2, 6, 21. 2, 13, 12. p. 165, 32.

θαυμαστὸς p. 165, 35.

Thebae in Asia 1, 209, 12. Boeot. 1, 233, 34. 2, 71, 14. 2, 141, 37.

Thebae conditae 1, 149, 14.

Thebani p. 164, 4.

Thebanum bellum p. 255, 9 sqq.

Themideum oraculum 1, 104, 12. 1, 189, 40.

Themis 1, 189, 40. 2, 16, 8. 2, 73, 30. 2, 114. p. 215, 35. p. 256, 9.

Theodamas 1, 49, 36. 2, 199, 6.

theologus Orpheus 2, 44, 7.

theorica 2, 206, 18 etc. p. 241, 6 8 et 28.

Therapnae p. 164, 32.

Theseus 1, 43, 16. 1, 46. 1, 47, 11. 1, 48. 1, 57. 1, 204 p. 64, 35 et 41. 2, 120, 42. 2, 124. 2, 125, 15. 2, 128. 2, 132, 14. 2, 133. 2, 193, 26. p. 164, 7.

θεσμοφόρια 2, 99, 10.

Thessala lingua p. 165, 2.

Thessali, equorum domatores 1, 163.

Thessalia, fil. Atraciae 1, 170.

Thessalia 1, 222, 24.

Thessalus rex 2, 107, 20. p. 168, 13.

Thestius 1, 204 p. 64, 13. 2, 132, 43.

Thetis 1, 120, 10. 1, 204, 32. Achill. mat. 1, 178, 2. Peleo nubit 1,

207. 208. 2, 205. 206. p. 240, 26. arma dat 1, 209, 24. 2, 205, 26. a Jove petita 2, 65. Licham vert. in scop. 2, 165, 8. i. e. aqua 2, 206, 2 etc. p. 240, 37. p. 241, 2.
Thetis major i. e. Tethys 1, 204, 5 et 12. Junonis nutrix 2, 59.
Thoas 1, 20, 5 et 10. 1, 133, 38 etc. Iasonis fil. 1, 133, 2. 1, 199, 22. Bacchi fil. 1, 204 p. 64, 42. 2, 141, 20 etc. rex Taur. 2, 202, 41 et 12.
tholus p. 159, 39.
Thoosa 1, 129, 29. 2, 167, 41.
Thraces 1, 133, 34. magi 1, 170. Lem. adeunt 2, 141, 16 perseq. Hecub. 2, 209, 38.
Thraciam adit Herc. 1, 61. Bac. 1, 88. 10. Lem. 1, 133. 34. Dard. 1, 135, 30. Aen. 1, 202, 40. 2, 141, 18. Iasius 2, 192, 4. 2, 200, 7. Ulix. 2, 209, 30.
Thucydides p. 157, 10.
Thyas p. 195, 15.
Thyestes 1, 22. 1, 204, 29. 2, 147, 40 etc. 2, 202, 1. p. 209, 15.
Thymbraeus 1, 140, 9. 2, 205, 37. 2, 207, 2.
Thymoetes 1, 212.
Thyone 2, 79, 3.
Thyoneus 1, 199, 25.
tiara 2, 19, 41.
Tiberianus, script. p. 189, 11.
Tiberinus 1, 193, 16.
Tiberis 1, 74, 4. 1, 193. 1, 202, 13. p. 160, 6.
tibia p. 226, 17.
tibizare p. 226, 12.
Tibris 1, 193, 10 et 17.
Tiburs 1, 141, 28.
Tiburtum 1, 141, 30.
Timagenes 2, 223.
Tiphys 1, 24, 6. 2, 135, 27.
Tiresias 1, 16. 1, 185, 21. 2, 84. 2, 180, 19. p. 169, 1 et 11 etc. p. 236, 16.
Tisiphone 1, 109. 2, 12, 33. p. 187, 23.
τίτας p. 162, 29.
Titan 1, 113, 14. pater Latonae 2, 17, 31. sol 2, 19, 38 et 5. p. 162, 32.
Titanes 1, 11. 1, 113, 14. 1, 183. 1, 204 p. 64, 19. 2, 16, 17 et 27. 2, 51. 2, 53. 2, 198, 37. p. 162, 19 et 27.
Titanus 1, 204 p. 64, 18. 2, 198, 37. p. 162, 20.
Tithonus 1, 139. 1, 204, 11. 2, 194.
titio Meleagri 1, 146, 6. 2, 144, 11.
Tityus 1, 13. 2, 104. 2, 205, 24. p. 176, 42.
Tmolus 1, 88, 10. 1, 90, 27.
Torquatus, Luc. Manl. 1, 220.
τοῦτον φώνη 2, 12, 13. p. 187, 23.
Toxeus 1, 204 p. 64, 14.
tragoedus Orestes 1, 147, 20.
Tricerberus 1, 92, 24. 1, 102, 3. 1, 168, 15. 2, 11. 2, 154, 44.
Tricipitinus 1, 74, 34.
Trinacria i. e. Sicilia p. 203, 39.
trifidum fulm. 1, 102, 2. 2, 1, 26. p. 224, 38.
Triptolemus 1, 8. 1, 31. 2, 96, 22. 2, 97. 98. 99. p. 197, 39.
Triquetra i. e. Sicilia p. 203, 43.
Trismegistus 1, 119, 27.
Tritonia i. e. Pallas 1, 124, 3. p. 221, 28 et 39. palus 1, 125, 11. 2, 115.
Tritonius lacus 1, 124, 4. p. 222, 5. p. 225, 45.
τρίτον p. 171, 20.
Triton p. 171, 27. p. 221, 32 et 44.
Tritones p. 171, 25.
triumphus p. 195, 39. p. 196, 40.
Trivia 1, 112, 5. 1, 156, 16. 2, 25, 21.
Troilus 1, 184, 10. 1, 204, 14. 1, 210. 2, 198, 30.
Troja 1, 20, 36. expugnatur ab Hercule 1, 24, 10. extr. 2, 192, 6.
Trojanorum origo 1, 135. inimica Juno et Minerva 1, 208.
Tros, fil. Erichthonii 2, 192, 10. 1, 135, 33.
τρόπος p. 204, 36.
Tullus Hostilius 1, 1, 23. 2, 65, 36. p. 228, 32.
Turnus 1, 202, 15 et 23. 1, 204, 18. 1, 157, 37. 2, 110, 18. 2, 153, 6.
Tuscus Tiberis p. 160, 6.
Tusci 1, 193, 9. 1, 202, 14. 2, 188.
Tuscia 1, 74, 43. 1, 135, 29. 1, 222, 28.
Tybris 1, 193, 12.
Tydeus 1, 80. 1, 146, 25. 1. 198, 17. 1, 204 p. 64, 16. 1, 211, 39. 2, 165, 16.
Tydides 1, 141, 21. 1, 204 p. 64, 16.
Tyndarus 1, 204 p. 64, 28. 2, 132, 11.

Typhoeus 1, 11, 11. 1. 86, 33 et 38. 2, 53, 41. 2, 93, 35. p. 256, 37.
Typhon 1, 122. 2, 91, 21. p. 175, 40.
Tyrinthia civ. 2, 148, 25.
Tyrrheni 1, 122. 2, 171.
Tyrrhenum mare p. 186, 14.
Tyrtaeus 2, 222.
Tyrus pastor 1, 202, 28.

v U V.

ὕβρις 1, 193, 12.
ὕδωρ p. 236, 9. p. 248, 27.
ὕλη i. e. materia p. 181, 36. p. 200 34 et 36.
Ulixes apud Circen 1, 15, 3. 2, 211. 212. adducit Iphigeniam 1, 20, 41. 2, 202, 37. a Palamede adducitur et decipitur 1, 35. 2, 200, 3 etc. ascendit arcem 1, 40, 33. Sirenes contemnit 1, 42, 34. 1, 186, 5. p. 233, 34. 2, 101, 39. moritur 1, 89. Rhesum interf. 1, 203. natus 1, 204, 44. etym. nom. 2, 101, 11. p. 233, 32. socios perd. 2, 169, 19. Polyph. occ. 2, 174, 23. persuad. Patr. 2, 205, 24. Hecubam accipit 2, 209, 27. sciomantiam exerc. p. 175, 33. Scyliam transit p. 233, 23.
ὕμην p. 229, 37.
Unxia p. 166, 13.
upupa 1, 4, 27.
Urania 1, 114, 40. 2, 24, 36 et 10. stella 2, 132, 15. p. 210, 40. p. 211, 23.
vale mortuis dicebant p. 191, 36 et 41. p. 192, 4.
vannus mystica p. 243, 31.
Varro 1. 129, 30. 2, 50, 7 et 8. 2, 53, 1. 2, 88, 3. 2, 200, 22. 3 p. 153, 8. p. 156, 25. p. 160, 11. p. 166, 30. p. 170, 20. p. 171, 32. p. 191, 30. p. 192, 19. p. 200, 23. p. 213, 12 et 15. p. 225, 37. p. 231, 25. p. 244, 4. p. 250, 38.
vedius p. 174, 38.
vejentana praeda 1, 221, 15.
vejentanum vinum 2, 226, 33.
vejentes 1, 224.
vejovis p. 174, 39.
vellus aureum 1, 23, 10 et 29. 1, 25, 14.
venilia 1, 202, 15.
venulus Argivus 1, 111, 28.
Venus, quid p. 155, 29 etc. coitui praeest p. 167, 1. ei renes sacr. 2, 206, 9. p. 241, 45. planeta p. 175, 11. Adonem habet ministrum p. 185, 15. Paphia p. 74, 8. p. 190, 1. Hermaphrod. mater p. 214, 27. aufugit in bello Gig. p. 256, 35. cupiditates dat p. 217, 36. variae ejus significationes et officia p. 228, 37 sqq. ejus myrtus p. 229, 10. cur de mari procreata p. 229, 12. ejus stella Martem et Saturn. temperat p. 230, 44. barbata virgo p. 231, 15. Martem mitigat p. 235, 3. odit Solis progeniem 1, 43. 2, 78, 15. 2, 121. p. 231, 43. duae Ven. p. 239, 33. in piscem mutatur 1, 86, 37. Glaucum punit 1, 100. p. 231, 35. nata 1, 102, 31. 1, 105, 26. p. 61, 25. 2, 30. p. 155, 19 etc. neglecta a Lemniadibus 1, 133, 32. 2, 141. vulneratur 1, 141, 21. 2, 229. amat columbam 1, 175. amat Adon. 1, 200, 34. 2, 34. p. 238, 39. Anchis. amat 1, 217. 2, 195. Psychen odit 1, 231, 29 et 13. cum Marte concumb. 2, 36, 31. p. 231, 40 et 1. ejus rosae 2, 31. p. 228, 13. concha 2, 32. p. 229, 19. columbae 2, 33. p. 229, 3. p. 238, 8. Cupido 2, 35. Gratiae 2, 36, 19. p. 229, 19. Plutoni imm. am. 2, 93. ej. templ. Eryc. 2, 156. philargica 2, 206, 22. planeta 3 p. 153, 43. p. 230, 26.
Vertumnus p. 235, 17.
Vesta i. e. Proserpina 1, 112, 2. ejus sacerdos 1, 168, 32. ej. virgines 2, 153, 21. p. 246, 7. Opi adj. p. 159, 8 11 etc. ei limen sacr. p. 166, 32. p. 244, 7 ignis p. 223, 45.
victimae p. 194, 3 sqq. p. 196, 29 sqq.
Victoria, Stygis filia 1, 178, 35. 2, 54, 9. p. 176, 4. dea p. 250, 35.
Virbius 1, 46, 40. 2, 128, 21. Dianae fam. p. 185, 17.
virga Mercurii 2, 43, 35. Tiresiae 2, 84, 16. p. 169, 16.
Virgilius 1, 43, 34. 1, 112, 6. 1, 127, 7. 1, 162, 34. 1, 183, 3. 1, 194, 26. 1, 213, 18. 1, 214, 21 et 22. 1, 224, 7. 1, 226, 15 et 16 et 26. 1, 232,

20. 2, 13, 3 et 4 et 15 18 21 23. 2, 25, 21. 2, 37, 2 et 16. 2, 48, 21. 2, 61, 38. schol. 2, 88, 32. 2, 133, 29. 2, 149, 5. 2, 199, 15. 2, 202, 6. 3 p. 153, 5. p. 154, 19. p. 157, 37. p. 160, 5 7 et 10 et 36. p. 161, 21 23 26 30 36. p. 165, 30. p. 166, 21 23 et 46. p. 170, 25 et 41 et 43. p. 171, 1 et 5. p. 172, 17. p. 173, 16. p. 175, 13. p. 175, 46. p. 176, 3. p. 180, 42. p. 181, 4. p. 183, 16 et 24 et 42. p. 184, 13 16 21 et 42. p. 185, 7. p. 186, 10. p. 187, 21. p. 188, 27 et 40. p. 189. 10. p. 190, 3 et 43. p. 191, 25 et 28 sq. 40 et 46. p. 192, 15. 37 et 40. p. 193, 11 13 21 26 30 31 35 41 et 42. p. 194, 8 12 14 21 24 25 27 29 36 38 40 et 46. p. 195, 11 14 18 20 29 et 46. p. 196, 3 et 34. p. 197, 3. p. 199, 45 sq. p. 200, 16. p. 212, 46. p. 216, 34. p. 217, 9. p. 218, 17 21 29 et 36. p. 219, 2 21 28 34 et 46. p. 220, 26 33 36 et 45. p. 221, 7 13 et 21. p. 222, 8 36 et 37. p. 224, 23 43 et 44. p. 225, 3 5. p. 229, 16. p. 230, 13 27 et 38. p. 231, 7 21 13 22 27 29. p. 232, 24 27 et 29. p. 234, 36. p. 235, 23. p. 236, 33. p. 237, 7 12 16 20 23 28 31 34 37 43 45. p. 238, 2 5 7 12 30 35. p. 239, 23. p. 242, 25. p. 243, 1 6 11 29 33. p. 244, 18 20. p. 248, 28. p. 249, 6 11 14 et 46. p. 250, 36 11 13 17 25 27.

Virgo, astrum 1, 19, 21. 2, 61, 11. p. 204, 41. p. 207, 17. p. 255, 3 sqq.

Viridomarus 1, 225, 11.

vita tripartita p. 241, 5.

vittae, unde dictae p. 225, 41.

Vitumnus 3 p. 152, 23.

vivacitas i. e. vigor p. 183, 9.

vivificare 1, 189, 8.

Volicanus 2, 40, 19.

Vulcaniae insulae 2, 52, 21. p. 170, 21.

Vulcania arma 2, 205, 27.

Vulcanus pugnat contra Gigantes 1, 11, 8. capit Martem 2, 141. 1, 43. 2, 121. Caeculi pater 1, 84, 11 et 19. 2, 184, 19 etc. caelo dejectus 1, 128. 2, 40. 2, 37, 40. Jovi fulmina fabricat ibid. Minervam adit ibid. et 2, 37, 4. 2, 40, 28. p. 222, 43. monile dat Herm. 1, 151, 27. 2, 78. 1, 152, 11. a Junone procr. 2, 40. 1, 176. p. 64, 23. et Cyclop. praepositus 1, 176. Lemnius 2 p. 74, 9. Veneris conj. 2, 30, 32. Cupidinis pat. 2, 35, 5. quid 2, 40. Ariadnae dat cor. 2, 124, 8. 2, 128, 25. i. e. Volicanus p. 223, 33. varia ejus nomina et officia p. 223, 32 sqq. calor vener. p. 225, 4. fulmen jacit p. 225, 24.

vultures Tityi 1, 13, 30.

X Z ζ.

Xenarchus 1, 156, 10.

Xerolibya 1, 121, 20.

Zephyri 1, 183.

Zephyrus 1, 183, 6. 1, 231, 35.

Zetes 1, 26. 1, 27, 2. 1, 204 p. 64, 6. 2, 142, 7 et 19. p. 173, 37. p. 174, 11.

Zethus 1, 97, 21. 1, 204 p. 64, 7. 2, 74, 5.

ζητῶν καλὸν 1, 142, 20. p. 174, 11.

Zetypus p. 254, 12 et 14.

Ζεὺς 1, 105, 32. p. 160, 29.

ζωδιακὸς, unde p. 206, 2 sqq. p. 215 23 et 25.

Zagreus

NB! Zabulus od. zabolus = Diabolus. Lact

Ova zephyria = ova urina ... Plin 10, 60, 80

SCRIPTORES

RERUM MYTHICARUM

LATINI TRES

ROMAE NUPER REPERTI.

AD FIDEM CODICUM MSS. GUELFERBYTANORUM
GOTTINGENSIS, GOTHANI ET PARISIENSIS

INTEGRIORES

EDIDIT AC SCHOLIIS ILLUSTRAVIT

Dr. GEORGIUS HENRICUS BODE

ORDINIS PHILOS. GOTTING. ASSESSOR

SOCIETATIS LITTERAR. QUAE CANTABRIGIAE AMERICANORUM

FLORET SOCIUS.

VOLUMEN POSTERIUS

COMMENTARIOS CONTINENS.

PRAEMISSA EST IUNIORIS PHILOSOPHI DESCRIPTIO
TOTIUS ORBIS.

CELLIS 1834.

IMPENSIS E. H. C. SCHULZE.

IUNIORIS PHILOSOPHI

DESCRIPTIO

TOTIUS ORBIS.

DE ANTIQUO GEOGRAPHO

QUI SUB CONSTANTIO IMP. SCRIPSIT. *).

Cavense PP. Benedictinorum haud procul urbe Salerno monasterium vir cl. Ioh. Mabillonius, eiusdem ordinis monachus, in suo itinere italico p. 116-118 breviter quidem sed non iniucunde descripsit. Exin aetate nostra doctus alius vir gallus cognomento Rozanus monasterii eius bibliothecam prolixiore commentario illustravit. Ego anno M. DCCC. XXVI ad hunc locum insignem forte progressus, et humanitatem incolarum monachorum expertus plurimam, ibique brevi diei parte moratus, nihil aliud ferme videram quam diplomata aliquot, et nobilissimum atque antiquissimum latinorum bibliorum codicem, cuius deinde apographum, obsequii gratia erga Pontificem maximum Leonem XII, qui me suadente id optaverat, reverendissimus monasterii Abbas, cum RR. monachorum consilio, accurate confici, atque ad vaticanam bibliothecam mitti curavit. Est autem praeclari apographi auctor reverendissimus dominus P. Egnatius Rubeus, Cavensis archii praeses et apostolicus protonotarius, cuius laborem, sedulitatem, diuturnam patientiam, peritiamque summam admirari nemo satis poterit; merita vero eius erga vaticanam Pontificis maximi bibliothecam immortaliter manere necesse est. Iterum ego superiore anno M. DCCC. XXX ad Cavense monasterium reversus, ut biblici apographi confectionem quae iam ad exitum vergebat inspicerem, vi pluviae maxima ibidem solida die subsistere coactus sum: atque interim ne in tam fructuoso loco cessarem, inspexi prae ceteris codicem quemdam, litteris longobardicis paulo post saec. X exaratum, qui inscribitur *Beda de temporibus*, continetque insuper prolixam seriem testimoniorum ex diversis patribus partim fortasse ineditorum: in eius autem calce tractatum quemdam geographicum observabam, cuius est titulus: INCIPIT LIBER IUNIORIS PHILOSOPHI, IN QUO CONTINETUR TOTIUS ORBIS DESCRIPTIO. Porro id scriptum quia bonae frugis minime expers, satisque antiquum, et romano adhuc stante apud occidentales imperio compositum videbam, protinus ad exscribendum incubui, tam impense mihi favente, quem iam honoris causa appellavi, archii Praeside, ut codicem ad hospitale meum cubiculum festinandae scriptionis causa deferri voluerit: quod ego beneficium haud equidem minoris feci,

*) Hoc Maji prooemium cum orbis descriptione et demonstratione provinciarum typis repetendum curavimus e Class. Auctt. e Vat. codd. editorum T. III p. 385 — 415.

quam hilare prandium caenamque et reliqua comitatis officia ab illis RR. monachis mihi tunc certatim exhibita.

Iam vero de hoc geographico opusculo quum postea Romae meditarer, cognovi id a Mabillonio olim in Cavensi bibliotheca visum, sed unico verbo appellatum op. cit. p. 118 sic: *in bibliotheca Cavensi pauci supersunt codices, Hilarius de trinitate et de synodis, liber de geographia antiqui auctoris, vitae patrum Cavensium* etc. Neque plura ait Rozanus op. cit. p. 100: *le livre de Beda de temporibus, des extraits de celui de etymologiis de S. Isidore de Seville, et de plusieurs autres ouvrages composent ce recueil, qui termine, iunioris philosophi totius orbis descriptio.* Denique Muratorius S. R. I. tom. VII. p. 915 ex eodem codice chronicon Cavense divulgavit, sed tamen geographicum tractatum ibi inesse nescivit. Ego vero de hoc opusculo, ut dixi, meditans, comperi id abs Iacobo Gothofredo anno MDCXXVIII Genevae partim editum graece et latine; sed primo acephalum, quia deerat ei titulus operis et auctoris, parsque etiam ipsius operis usque ad locum qui a nobis infra indicabitur; deinde latinus textus prorsus a nostro laudabili diversus apud Gothofredum est, barbarus scilicet, pessimus, deformis, ineptus, inextricabilis, ab homine nempe profectus qui, ut ait Gothofredus, neque graece neque latine sciebat. Codicem corruptissimi operis habuit olim in Gallia F. Iuretus, cuius apographum ad Salmasium transiit, qui eius bis meminit in notis ad Solinum p. 986 et 1299. A Salmasio accepit Gothofredus editor, qui de auctoris nomine frustra disquisivit; nunc autem *iuniorem philosophum* appellare semet ipsum videmus, quia nimirum respicit ad antiquiores a se nominatos philosophos Berosum atque Apollonium. Ceterum recte demonstravit Gothofredus vixisse hunc auctorem sub imperatore Constantio, Constantini magni filio, id quod nos quoque suis apte locis palam faciemus.

INCIPIT LIBER

IUNIORIS PHILOSOPHI

IN QUO CONTINETUR TOTIUS ORBIS DESCRIPTIO.

1. Post omnes admonitiones, quas tibi commendavi de studio vitae tuae, carissime fili, incipiens [1]) nunc volo tibi exponere historias plurimas, quarum ipsemet a) aliquas vidi, ceteras vero ab eruditis auditas percepi, quasdam lectione didici. Haec igitur sensibus comprehendens, non solum multa utilia cognosces b), sed etiam ornare sapientiam ex huiuscemodi rerum varietatibus praevalebis. Quaerentes autem scribere, debemus dicere primum, quomodo mundus a Deo fuerit institutus: dehinc quae gentes ab oriente usque ad occidentem constitutae sint: post hoc quanta sint genera barbarorum: deinde omnem Romanorum terram: quot sint in omni mundo provinciae, vel quales in substantia ac potestate: quae civitates in singulis provinciis habeantur: et quid in unaquaque provincia aut civitate possit c) esse praecipuum: munificum enim hoc opus et studiosum mihi esse videtur.

2. Unde ergo nos oportet incipere, nisi [2]) *abs Iudaeorum libris? namque aliarum gentium historici*, qui de his scribere *conati sunt, nihil sincerum* dicere potuerunt: solus autem Moyses plenus Iudaeorum propheta quod est certum scripsit. De provinciis vero et temporibus sequentia dixit Berosus Chaldaeorum philosophus [3]), cuius litteras

---

a) Cod. *eiusdem* pro *ipsemet*. b) Cod. *cognoscebis*, qui est barbari amanuensis soloecismus vel incuria. c) Cod. *potest*.

1) Num *incipiens* referendum potius ad *fili*, ita ut sit nomen proprium INCIPIENS?

2) In summo codice versus aliquot madore extabuerunt. Ego igitur supplementa haec adieci inclinatis litteris.

3) Berosi, qui vixit Alexandri magni temporibus, praeclara atque copiosa chaldaici chronici fragmenta habes apud Eusebium a me editum chron. lib. I.

secuti sunt Manethon aegyptius propheta [1]) et Apollonius [a]) similiter Aegyptiorum philosophus [2]), Iosephus quoque vir sapiens Iudaeorum praeceptor [3]), qui captus a Romanis scripsit iudaicum bellum. Post istos [4]) vero Menander ephesius, et Herodotus et Thucydides similia conscripserunt, sed non valde de antiquis. Et haec quidem illi. Ego autem de quibus memorati scripserunt, experiar tibi breviter exponere.

3. Gentes aiunt esse Camarinorum in partibus orientis, cuius terram Moyses Eden nominando descripsit: unde et fluvius maximus exire dicitur, et dividi in quatuor flumina, quorum nomina sunt haec Geon, Phison, Tigris, et Euphrates [5]). Isti autem homines, qui praedictam terram inhabitant, sunt valde pii et boni, aput quos nulla malitia invenitur neque corporis neque animi. Si aliquid vis certius discere, dicunt eos quod neque pane hoc nostro communi utantur, nec aliquo simili cibo, nec igne quo nos utimur; sed panem quidem eis plui [6]) per singulos dies asserunt, et bibere de agresti melle et pipere. Ignis autem eorum solis esse perhibetur flagrantiae, ut statim quod e caelo in terram diffunditur, potuissent omnes exuri, nisi se cito in fluvium mitterent, in quo tamdiu volvuntur, donec idem ignis in locum suum denuo revertatur. Sunt [7]) autem et sine imperio semet ipsos regentes; in quibus sicut

a) Cod. *Apollinius*.

1) Nempe *sacerdos*. Sic enim loquebantur Aegyptii. Vide Macrob. saturn. VII, 13; Clem. alex. strom. I, 14. 15; Laërt. lib. III, 8; Iul. Valer. de reb. Alex. lib. III, 92.

2) Sine dubio Apollonius ille aegyptius, chronici cuiusdam auctor, quem auctorem bis commemorat Theophilus ad Autolyc. lib. III, 16. 26. quique aiebat, aetate sua iam effluxisse post orbem conditum myriades annorum quindecim, et tria millia supra septuaginta quinque annos. *Ταῦτα μὲν οὖν*, inquit Theophilus, *Ἀπολλώνιος ὁ αἰγύπτιος ἱστορεῖ*.

3) Vulgo *rabbinus*.

4) Nempe post Moysen et Berosum; nam ceteri adseclae duorum illorum fuerunt. Neque Menander post Iosephum fuit; etenim a Iosepho citatur lib. I, 18 contra Apionem.

5) Haec de sacris bibliis sumuntur; sequentia vero vel Iudaeorum corruptis traditionibus, vel potius, ut noster innuit in prohoemio, ex Beroso consecutisque historicis ethnicis vel fabulosis.

6) Imago sumpta de sacris bibliis. Intelligitur autem *δροσόμελι*, *manna*.

7) Hinc incipit graecus latinusque textus a Gothofredo editus; graecus quidem, ut videtur, originalis; latina autem interpretatio tam barbara, tam corrupta, tamque ab hoc nostro textu diversa, ut nihil dissimilius esse possit.

nulla malignitas invenitur, ita neque pulices neque peduclos neque cimices aut aliquid quod est noxium habere possunt. Vestimenta eorum sordidare nesciunt; quod si contigerit, per ignem solis loturam expectant: ardens enim melior fit.

4. Sunt autem aput eos lapides pretiosi [1]) et varii, hoc est smaragdi, margaritae, hyacinthi, carbunculus, et sapphirus in montibus. Quibus omnes secundum hunc modum habundant: decurrens enim fluvius diebus ac noctibus, montem abscindit, et illius crusta aquarum impetum trahit. Astutia vero gentis hanc invenit artem, per quam quae inde exeunt haberè possit: facientes retia, et in angusta fluvii loca ponentes, ea quae de superiori parte descendunt, sine ulla difficultate suscipiunt.

5. In tanta ergo felicitate viventes, nec laborant aliqua infirmitate aut aegritudine *vexantur*; solum quod de corpore exeunt; sed diem obitus *ante mortem* habentes praecognitum: omnes enim centum annorum moriuntur, et maior minoris mortem non videt, nec parentes filios plangunt. Cum ergo unicuique illorum dies mortis coeperit propinquare, facit sibi sarcophagum ex aromatibus varium, quoniam aput eos aromata multa sunt: et cum viventi ultima venerit hora, omnes salutans omnibusque vale dicens, in eodem se sarcophago ponit, et ita cum securitate maxima naturae debitum reddit. Et haec quidem huius gentis bona. Habitatio autem eorum est mansionum LXX [2]).

6. Post hanc gentem ex alio latere Brachmanas referunt habitare, qui et ipsi cum sint sine imperio, vicinorum bonitatem tenentes, feliciter vivunt. Et est habitatio eorum mansionum V.

7. Post hos alia gens quae vocatur Emer, et ipsa sine imperio vivens, regulariter transigit, et habitat terram mansionum XLVII.

8. Post hos regio, quae appellatur Nebus, ubi iam tyrannorum principatus a) invenitur, et regitur a maioribus, et est mansionum LX. Isti et seminant et metunt: nam supra dictae gentes, sine Camarinis, pomis transigunt, et

---

1) Respicit iterum ad sacra biblia noster auctor. Nam genes. cap. II, 12 ubi de illis quatuor fluminibus et de Eden sermo est, dicitur: *et aurum terrae illius optimum est; ibique invenitur bdellium et lapis onychinus.*

2) Mansio intelligitur unius diei iter.

a) Cod. *tyrannorum principum.*

cibo mellis utuntur et piperis: Camarini autem super haec bona, sicut ante diximus, et panem caelestem accipiunt cotidianum: quia nec ira nec iudicium nec cupiditas nec rixa nec dolus a) est apud illos nec aliquod malum.

9. His adiacet regio Dysap, quam regunt inhabitantes, quomodo et vicini. Est autem haec regio CC mansionum.

10. Post haec gens quae appellatur Choneum b), cuius homines eodem modo viventes ad similitudinem vicinorum: est enim aput eos indifferens vita. Habitant terram CXXX mansionum.

11. Deinde Diva c) gens, quae similiter a maioribus regitur, habens terram mansionum CCXX.

12. Sequitur India maior, unde sericum d) et omnia necessaria exire dicuntur. Hi similiter proximorum more viventes, bene transigunt, et habitant terras magnas et bonas mansionum CXX. Quibus adiacet foris una regio, quae dicitur fortes habere viros et valde industriosos in bellis, et in omnibus utiles: unde India minor petit auxilium quotiens ei a Persis bellum movetur: qui omnibus habundant, et habitant terram CL mansionum.

13. Post hos est India minor, cuius gens regitur a maioribus. Est autem aput eos elephantorum innumera multitudo. Ab his Persae accipiunt elephantos: et habitant terram XV mansionum.

14. Post hos sunt Persae Romanis propinquantes, quos historiae tradunt pessimos esse et fortes in bellis, qui non cognoscentes dignitatem naturae, sicuti muta animalia, matribus et sororibus nefando concubitu sociantur. Data propinquis gentibus potestate negotii, bonis omnibus habundare videntur.

15. His sociatur Saracenorum gens, arcu et rapinis vitam suam transigens, qui similes Persis impii et peiores sunt, sponsiones non custodientes neque belli neque alterius negotii; quibus mulieres imperare dicuntur.

16. Post hos terrarum nostrarum secuntur initia. Habes ergo in primis Mesopotamiam et Osdroënam. Et Mesopotamia quidem habet civitates multas et varias, quarum excellentes sunt hae, Nisibis et Edessa, quae maxime

---

a) Cod. *dolor*. Sed gr. δόλιον.

b) Ita cod. cavensis. At iuretianus *Ioneum*.

c) Cod. gr. Δίβα. d) Cod. cavensis *siricum*; cod. iuret. gr. lat. *triticum*.

viros habent optimos in negotio, et valde praecipue venantes, et divites, et omnibus bonis ornatos. Accipientes enim a Persis, ipsi in omnem terram Romanorum vendunt; et ementes quae necessaria sunt, iterum tradunt, extra aeramen et ferrum: has enim species duas, hoc est aeramen et ferrum, non licet hostibus dare. Istae autem praedictae civitates gubernaculo Dei stare videntur, et imperatoris prudentia: habentes autem muros inclytos, virtutem Persarum semper in bello dissolvunt; ferventes rebus, et transigentes cum omni provincia. Deinde Osdroëna et Edessa [1]) et ipsae civitates splendidae.

17. Deinde iam Syriae regio omnis, quae dividitur in Syrias tres, Phoenicen, Palaestinam, et Coelen; habentes civitates varias excellentes et magnas; quarum prima Antiochia civitas regalis in omnibus, ubi et dominus orbis terrarum sedet [2]), civitas splendida et operibus publicis eminens, et multitudine populorum ornata, undique accipiens, omnes sustinet, habundans omnibus bonis. Tyrus quoque civitas in omnibus felix, spissior populis, viros habet ex negotio divites et potentes in omnibus. Post ipsam Berytus civitas valde deliciosa et auditoria legum habens, per quam omnia Romanorum judicia stare videntur. Similiter et Caesarea civitas deliciosissima, cuius tetrapylum [3]) nominatur ubique, quod unum et novum spectaculum praebet. Laodicea vero civitas optima, quae similiter omnia negotia suscipit, et Antiochiae mittit. Deinde Seleucia civitas magna, quae omnia bona suscipit, et ipsa similiter praedictae Antiochiae mittit. Quam ob rem Constantius a) imperator maximum montem secavit, et introducens mare fecit portum bonum et magnum, ubi venientes naves salvantur [4]). Similiter aliae civitates Ascalon et Gaza in negotiis eminentes et habundantes omnibus bonis, mittunt omni regioni Syriae et Aegypto vinum optimum.

---

1) Atqui *Edessa* supra appellata est, Osdroëna autem provincia, non urbs. Textus editus gr. et lat. *Osdroënae Edessa et ipsa civitas splendida.* Neutrum satis placet, quia duas Edessas non novimus.

2) Constantium Antiochiae diu sedentem heic intelligendum late demonstravit Gothofredus ex legibus indidem datis, et ex Iuliani imp., Libanii, Athanasii, Augustini, Socratis aliorumque testimoniis. Valentem quoque moratum aliquamdiu Antiochiae scimus; sed tamen cetera nostri operis indicia Constantium designant.

3) Aedificii genus appellationi suae conveniens, quale etiam Constantinopoli fuisse legimus.

a) Cod. cavensis, itemque iuretianus gr. lat. *Constantinus.*

4) De hoc Constantii opere Hieronymus in chronico (ed. Roncaliae) ad an. Christi 351, Constantii undecimo, ait: *magnis reip. impensis in Seleucia Syriae portus effectus.* Alia rei testimonia cumulat Gothofredus.

Neapolis civitas gloriosa et valde nobilis. Tripolis et Scythopolis et Biblus et ipsae civitates industriosae. Heliopolis Libano monti proximans, mittit pulcherrimas mulieres, quas libanitidas appellant. Sunt iterum optimae civitates Sidon, Sarepta, Ptolemais, Eleutheropolis et Damascus.

18. Quoniam ergo ex parte supra dictas descripsimus civitates, necessarium mihi videtur, ut etiam quidnam unaquaeque civitas proprium habeat, exponamus, ut qui legit, certam earum scientiam habere possit. Scythopolis igitur, Laodicea, Biblus, Tyrus, Berytus, omni mundo litteraturam mittunt. Sarepta vero, Caesarea, Neapolis, et Lydda, purpuram praestant: omnes autem fructiferae vino, oleo, et frumento. Nikolaorum a) vero palmulas invenies habundare in Palaestina regione, in loco qui dicitur Hiericho: similiter et Damasci minores palmulas sed utiles, et pistacium et omne genus pomorum.

19. Iam nunc dicendum est, quid etiam in se singulae civitates, de quibus loquimur, habeant delectabile. Habes ergo Antiochiam in ludis circensibus eminentem: similiter et Laodiceam, et Tyrum, et Berytum, et Caesaream. Et Laodicea mittit aliis civitatibus agitatores optimos, Tyrus et Berytus mimarios, Caesarea pantomimos, Heliopolis choraulas, Gaza paumacarios b), Ascalon athletas, luctatores, castabala, pyctas. Omnes autem temperato *aëre utuntur*. *Atque haec* quidem ex parte *de* Syria dicta *sint* ut potuimus.

20. Habes *autem* ex laeva parte Syriae Aegyptum c) et totius Thebaidis partes; quae regio Aegypti Nilo flumine circumdatur, quo irrigante fructus uberes nascuntur, sine oleo tantum: nam triticum et hordeum et legumen et vinum in habundantia profert: et viros nobiles habet. Quidam autem et litteras ab eis inventas esse dicunt, alii a Chaldaeis, alii a Phoenicibus, alii autem Mercurium inventorem asserunt litterarum: et multis multa dicentibus, nemo quod verum est dicere potuit. Tamen viris sapientibus d) praeter omnem mundum Aegyptus habundat: in metropoli enim eius Alexandria omnes gentes invenies, et omnia philosophorum praecepta, omnemque doctrinam. Itaque aliquando certamine facto Aegyptiorum

---

a) Cod. *nikolaum*. Confer Gargilium ff. 26.

b) Iuret. cod. gr. ἀχροαματικοὺς, lat. *pammacharios*.

c) Cod. *ex parte* pro *Aegyptum*.

d) Cod. *viros sapientes*.

et Graecorum, quis eorum musium accipiat, argutiores et perfectiores Aegyptii inventi sunt, et post victoriam musium ad eos pertinere iudicatum est. Et impossibile est in quacumque re invenire sapientes quomodo Aegyptii. Et ideo omnes philosophi ibi semper morati meliores fuerunt. Non enim est in eis aliqua impostura, sed unusquisque eorum hoc se pollicetur implere, quod certe se novit scire: propter quod non omnes omnium, sed unusquisque sua per suam disciplinam ornat negotia.

21. Alexandria autem, quam superius nominavimus, civitas est valde maxima et eminens in dispositione [1]), habundans omnibus bonis et escis: nam piscium tria genera comedit, quod altera provincia non habet, stagnale, marinum, et fluminale. Haec cum Indis et barbaris negotia gerit: medica [a]) aromata et diversas species pretiosas omnibus regionibus mittit. Sed et in hoc valde laudanda est, quod omni mundo sola chartas [2]) emittit; quam speciem licet vilem, sed nimis utilem et necessariam, in nulla provincia, nisi tantum apud Alexandriam, invenies habundare; sine qua nullae causae, nulla possunt impleri negotia. Hanc igitur universo orbi ministrans, plurimum utilitatis praestare videtur. Cuius adiacentia Nilo rigante copiosas afferunt fruges, ubi una mensura centenario fructu multiplicata respondet: unde Constantinopolis Thraciae et omnis oriens pascuntur. Nam in illa civitate propter populi libertatem cum timore et tremore iudices res *controversas rectissime definiunt*: quisquis enim iudicium ibidem a iustitia *deflectit*, motione populi facta, aut igni aut lapidibus *necatur*. Est ergo in omnibus et civitas et regio inreprehensibilis, philosophis et medicis habundans. Aëres vero valde temperatos habet. Haec de praedicta regione dixisse sufficiat.

22. Iterum a dextris Syriae supra invenies Arabiam, cuius est maxima civitas Bostra, quae maxima negotia habere dicitur, propinqua Persis et Saracenis, in qua publicum opus tetrapyli mirabile nominatur.

23. Deinde regio Ciliciae, quae faciens multum vinum, laetificat provincias plurimas. Habet autem civitatem bonam et magnam, quae Tarsus vocatur. Post hanc supe-

---

1) Id est *structura*, ut constat infra, ubi de Nicaea.

a) Cod. *merito* pro *medica*.

2) Id est *papyros*, quas reapse *chartae* nomine appellabant veteres.

rius habes Cappadociam, quae viros habet nobiles [1]), in qua est civitas maxima quae vocatur Caesarea, quae frigora magna habere dicitur. Haec ubique leporinam vestem emittit, et babylonicarum pellium et divinorum animalium pulchritudinem. Inde obviat Galatia provincia optima sibi sufficiens, quae, plurimam vestem emens ac vendens fisco, bonos milites praestat. Habet et civitatem magnam Ancyram, quae divinum panem et eminentissimum a) dicitur manducare.

24. Iterum Phrygia [2]), et ipsa regio bona, quae fortes possidens viros, habet maximam civitatem quae Laodicea dicitur, de qua vestis exit nominata, quae dicitur laodicena. Huic superius Armenia minor coniungitur, quae equites et sagittarios utiles mittit. Deinde Paphlagonia et Pontus, quae viros eminentes et divites habent, sicuti Cappadoces et Galatae, doctrina quoque et omnibus bonis ornatae sunt: mulieres vero nimis candidas habent, et viros prudentes et valde fideles, naturae in se bonum habentes. Post Ciliciam occurrit b) Isauria, quae viros fortes et latrocinantes emittit. Post quam est Pamphylia regio optima et valde sibi sufficiens, oleum multum faciens et replens alias regiones. Duas habet Pergen et Siden splendidas civitates. Post hanc Lycia regio sibi sufficiens habet montem maximum nomine Caucasum, quo non alius, ut aiunt, maior sub caelum. λυκία

25. Post Lyciam maxima Asia, quae omnibus provinciis eminet, et habet innumerabiles civitates, maximas vero et circa mare multas quidem habet; ex quibus Ephesum nominare necessarium puto: haec portum dicitur habere praecipuum. Similiter autem et Smyrna civitas splendida. Regio autem tota frugifera, vina varia proferens, oleum quoque, orizam, alicam, et purpuram bonam.

26. Post hanc sequitur Hellespontus, regio frugifera frumento, vino et oleo, ornata civitatibus antiquis, Cyzico, Troia, et Ilio, quae et positione et magnitudine et ornamento et formonsitate c) omnes laudes superare potest. Et ibi enim pulchritudo mulierum laudabilis est. Post Helle-

---

1) Etiam S. Gregorius nazianzenus in laudatione S. Basilii ait Cappadocas σεμνούς.

a) Cod. *vehementissimum.*

2) Loquitur de Phrygia magna.

b) Cod. *currit.*

c) Ita cod., qui est archaismus.

spontum sequitur admirabilis Bithynia omnem fructum habens. In hac sunt maximae civitates Nicaea et Nicomedia. Sed dispositionem Nicaeae civitatis difficile est in aliis urbibus invenire: regulam enim putat aliquis impositam civitati, ita ut omnia aedificiorum culmina aequali decorata libramine splendidum intuentibus praebere videantur aspectum. Similiter et Nicomedia omnibus bonis habundans: diligenter in ea spectaculum exhibetur.

27. Post Bithyniam sequitur Thraciae provincia, et ipsa dives in fructibus, et viros eiciens fortes in bello. Habet civitates splendidas Constantinopolim et Heracleam: quam Constantinopolim, cum esset aliquando Byzantium, Constantinus imperator condidit, et suum cognomen civitati imposuit. Heraclea vero excellentissimum opus habet in theatro, et regale palatium. Nam Constantinopoli circense opus perniciosa et saevissima contentione spectatur. A Thracia vero obviantem invenies Macedoniam. Haec habundans omnibus bonis eicit ferrum, plumbum a), lardum, et caseum dardanicum, adiacet enim ei Dardania; et habet civitatem splendidissimam, quae est una eminentium, vocabulo Thessalonicam. Post Macedoniam Thessalia, quae multo habundans tritico, habet montem excelsum, qui vocatur Olympus.

28. Post Thessaliam Achaiae, et Graeciae, et Laconica, *et Attica*, quae sola in se studia habens, sufficere sibi *vix* potest. Est enim provincia brevis et montensis, quae fruges gignit, oleum perraro paucum, et mel atticum, et magis fama doctrinae et oratorum gloria decoratur. Habet autem civitates optimas Corinthum et Athenas. Corinthus negotiis viget: habet et opus praecipuum amphitheatrum: Athenae vero sola studia litterarum. Laconica crocino b) tantum lapide, quem dicunt lacedaemonium, ornari putatur. Post Achaiam Epiri partes, et civitas Ephyrus. Post hanc Nicopolis, quae pisce multo marino c) habundat. Post hanc paulo superius Dalmatia est, negotiis vigens, et species tres utiles mittens, caseum, tigna et ferrum: et habet civitatem splendidam quae vocatur Salonae. Dyrrhachium vero propter malitiam habitantium destructa est, et in profundum Deo irascente submersa non comparuit 1).

---

a) Cod. cavensis et Iureti *plumam*. Sed gr. μόλυβδον.
b) Cod. Iureti. gr. lat. *cronico*.
c) Cod. *piscem multum marinum*.
1) Hieronymus in chronico anno Christi 350, Constantii imp. decimo ait: *Dyrrhachium corruit terrae motu*.

29. Sequitur Calabria frumentifera in omnibus bonis. Post hanc Brutia, quae vestem et vinum multum et optimum mittit. Post hanc Lucania regio optima, et omnibus bonis habundans, lardum multum aliis provinciis mittit; quoniam montes eius et variis habundant animalibus et plurimis pascuis a). Post hanc sequitur Campania provincia non valde magna, sed sibi sufficiens, et viros divites habens.

30. Post hanc ITALIA 1) sequitur, multas habens et varias civitates, et plena omnibus bonis. Sunt igitur in ea vinorum genera multa, picenum, sabinum, tiburtinum, et tuscum. Nam et Tuscia illi provincia adiacet.

31. Super hoc maximum possidet bonum ROMAM splendoribus divinorum aedificiorum ornatam: omnes enim imperatores ob gloriam suae virtutis unusquisque illorum proprium opus suo nomine dedicarunt. Quis enim Antonini dinumeret opera! Quis Traiani vel ceterorum explicet in operibus publicis ornamenta? in qua et circenses bene dispositos invenies ordines habundantissimo aeramine decoratos. Habet et fluvium utilem sibi, qui a Tiberino Tiberis vocabulum sumpsit; nam prius Albula dicebatur; qui incidens urbem pervenit in mare, et per ipsum omnia ascendunt quae e peregrinis veniunt regionibus decem et octo milibus *passuum*. Et sic civitas omnibus bonis habundat. Habet autem et senatum maximum virorum divitum et eloquentium. Quod si per singula probare volueris, invenies omnes iudices et potestates.

32. Sequitur Tuscia, quae inter omnia bona fertur, quod ex ea haruspices primum prodierunt. Sequitur Aquileia et Mediolanum b) civitates splendidae et divites opum.

33. Post Italiam superiora currentes, quas praetermisimus provincias memoremus, Moesiam scilicet et Daciam provincias, sibi quidem sufficientes, frigora autem magna habentes, quarum est Nayssos civitas opulenta. Deinde Pannoniae regio, terra dives in omnibus non solum fructibus et iumentis, sed et negotiis et mancipiis, in qua semper imperatorum est habitatio delectabilis. Habet autem maximas civitates Sirmium et Noricum, unde et vestis norica exire dicitur. Haec Pannoniae regio. Quae adia-

---

a) Cod. *plurima pascua.*

1) Ita litteris magnis in codice, uti etiam ROMA.

b) Cod. *Mediolanus.*

cet trans flumen Danubium, gens barbarorum et Sarmatum a).

34. Post Pannoniam Galliarum provincia, quae maxima est, et propter imperatorem quo semper eget, in multitudine omnibus bonis habundat, sed plurimi pretii: cuius maxima civitas Treviri b) dicitur, in qua dominus gentis inhabitat 1): est enim mediterranea. Habet alteram iuxta mare priori similem civitatem, quam Arelata vocant, quae accipiens omnia mundi negotia supra dictae civitati emittit. Omnis autem regio viros habet fortes in proelio, et nobiles in omni negotio. His adiacet gens multa Gothorum.

35. Post Gallias Hispania, terra lata, dives et maxima, viris doctis et omnibus bonis ornata, quae omnibus negotiis pollet, oleum vero multum et liquamen emittit, vestem quoque variam, et iumenta; lardoque et sparto c) habundans, non solum omnia bona sed et praecipua habet. Inde oceanus esse dicitur, cuius partes nullus hominum potuit enarrare: est enim eremi solitudo, et sicut aiunt, ibi est finis mundi.

36. Deinde gyrante circulo a partibus austri invenies Mauritaniae terram, in qua gens inhabitat hominum barbarorum, vitam et mores feros habentium. Haec provincia in vestibus negotiatur et in mancipiis, frumento multo habundat. Habet et civitatem bonam, quae dicitur Caesarea. Post Mauritaniam sequitur Numidia fructibus habundans: negotia autem haec habet vestis variae et animalium optimorum.

37. Abhinc d) provincia Africae, regio dives in omnibus invenitur: omnibus enim bonis ornata est, fructibus quoque et iumentis, et paene ipsa omnibus gentibus usum olei praestare potest: quae multas et differentes possidens civitates, unam habet praecipuam et admirabilem valde, quae vocatur Carthago; quam condidit mulier tyria, nomine Dido: quae cum Libyam venit, locum emit quantum corium bubulinum circumtenere potuit: quae, ut Virgilius

---

a) Ita uterque cod. pro *Sarmatarum.*

b) Cod. *Tyberim.*

1) Ammianus Marc. lib. XV dicit *Treviros domicilium principum clarum.* Praeter principes vetustiores, Constantinum quoque, Constantini magni filium, fratremque ejus Constantem, ibi moratos, demonstrat Gothofredus.

c) Cod. *lardumque et spartum.*

d) Cod. *ab hanc.*

ait, cognomine Byrsa, id est corium. Haec dispositione valde gloriosissima constat, quae in directione vicorum et platearum aequalibus lineis currens, magnum adhuc super omnia bonum habet in portu, qui securitatis est plenus, et novo visu Neptunum sine timore navibus praestare videtur. Praecipuum vero aliud in ea opus invenies publicum, vicum argentariorum. Hoc autem in ea culpabile repperitur, quod contentiose nimis spectant [1]). Ipsa autem regio Africae est valde bona, dives et ampla: homines autem indignos habens patriae: dolosi enim esse dicuntur, alia quidem dicentes, et alia facientes; licet inter plurimos malos pauci boni possint forsitan inveniri.

38. Deinde post omnem Africae regionem adiacet terra deserta valde latissima in partibus austri, ubi aiunt barbarorum gentem pessimam habitare, qui Mazices et Aethiopes vocantur. Post quos pentapolitana regio sequitur, modica quidem sed dives fructibus et iumentis, quae duas habet civitates antiquas, Ptolemaidem et Cyrenen, quas dicunt aliquando regnasse. Post quam altera provincia, quae Libya dicitur, ab occasu [2]) Alexandriae proxima, quae non accipiens aquam e caelo, inops est valde, et viros paucissimos habet, sed bonos, prudentes et pios. Unde autem eis hoc bonum? Puto quod ab eruditione divina [3]). Deinde locus sequitur Alexandriae. Haec est autem totius orbis terrae descriptio, quam ex parte potuimus enarrare.

39. Nunc iam etiam de insulis pauca dicamus. Habes ergo ab oriente primam insulam et maximam Cyprum, quae non eget alterius provinciae in his quae ad faciendam navem sunt necessaria: in se enim habere omnia perhibetur, hoc est ligna diversa, aeramentum, ferrum, picem, linum, et restium usum: et aliis multis bonis a) dicitur habundare. Deinde Euboea, quam esse valde nobilem ferunt, et multis bonis ornatam. Post ipsam insulas invenies Cycladas, quae licet multae sint, omnes tamen suum iudicem habent: quarum aliquas et nomine memorare necesse est.

40. In primis ergo Rhodum ponamus, in qua civitas maxima fuit, quae ab ira Dei subversa est [4]). In hac sta-

---

1) Intelligo *spectacula*, sicuti supra dictum de Constantinopoli. Cod. *expectant*.

2) *Occasus* dicitur de situ Alexandriae.

3) Intelligo religionem christianam.

a) Cod. *alia multa bona*.

4) Terrae motu scilicet, anno Constantii imp. octavo, ut Cedrenus narrat.

tua mirae magnitudinis, quam Colosseum nominant, posita est. Sequitur Delus, quae in medio Cycladum sita, in qua Latona enixa est Apollinem et Dianam. Inde Tenedus, inde Imbrus, quae Imbrus multam vestem leporinam eicit, propter habundantiam animalium quae in eadem fuit. Inde Lemnus adiacet, et ipsa moderate sibi sufficiens, et vinum plurimum ferens [1]), Macedoniae mittit et Thraciae regioni.

41. Post Cycladas Cretam invenies insulam magnam, quae centum numero civitatibus ornata refertur, et est in omnibus dives et valde mirabilis, quae etiam vinum optimum ferens, habet *inter* alias maximam civitatem quae vocatur Gortyna, in qua et circenses, et viri ex parte eruditi esse dicuntur. Inde Cythera, Zacynthus, et Cephalonia, habentes habundanter omnia bona.

42. Post has optima sequitur et maxima Siciliae insula, quae propter soliditatem terrae differens ceteris insulis invenitur: multa enim et magna bona generans, omnibus mittit: lana quoque, frumento, et iumentis habundat. Habet autem eruditos et divites viros graeco latinoque sermone. Inter ceteras vero tres habet splendidas civitates, Syracusas, PALARMUM [2]), et Catinam, in quibus et spectacula circensium exhibentur. Habet et montem qui Aetna vocatur, qui diebus ac noctibus ardens, in circuitu suo vites optimas nutrit, quae vinum bonum afferre dicuntur.

43. Post Siciliam Stoechades. Deinde Sardinia, et ipsa fructibus divitissima et iumentis, et nimis splendida. Deinde Britannia insula valde maxima et praecipua, omnia in multitudine proferens, viros quoque pugnatores et fortes.

44. Et haec quidem secundum possibilitatem humanam descripsimus. Si enim latuerunt nos aut provinciae aut civitates aut insulae, non multae ut mihi videtur; latuerunt autem pro eo quod impossibile est homini omnia nosse: solus enim Deus, qui universa creavit, potest omnia nosse.

---

1) Iam inde a troicis temporibus, teste Homero iliad. VII. fin.

2) Ita cod. litteris magnis. Iam vero iuretianus cod. gr. lat. memorat quidem Syracusas et Catinam, sed *Panormum*, seu *Palarmum*, silet. Ego igitur suspicor, cavensem antiquum monachum *Palarmum* addidisse codici suo quem conficiebat, postquam urbis eius magnitudo dignitasque claruerat.

DEMONSTRATIO PROVINCIARUM

EX ANTIQUISSIMO CODICE EXCERPTA (1).

1. India-ulterior finitur ab oriente oceano eoo (a), ab occidente flumine Sintho (2), a septentrione monte Tauro, a meridie oceano serico; cuius spatia habent in longitudine milia passuum IVM XXX et CCC, in latitudine XIM et CC. Ganges flumen ibi est et regio ubi piper nascitur, et elephanti, dracones, sphynges, pittaci.

2. Media, Parthia, Appiana, Carmina, Persis, finiuntur ab oriente flumine Sintho, ab occidente Mesopotamia, a septentrione monte Tauro, a meridie mari persico; quarum spatia habent in longitudine milia passuum XI et CCC XX, in latitudine milia passuum DCCCXI.

3. Mesopotamia finitur ab oriente flumine Tigri, ab occidente flumine Euphrate, a septentrione monte Tauro, a meridie mari persico; cuius spatia habent in longitudine milia passuum DCCC.

4. Syria finitur ab oriente flumine Euphrate, ab occidente mari aegyptio, a septentrione quod inter Cyprum et Syriam est mari, a meridie Arabia quae est inter mare rubrum et sinum persicum; cuius spatia in longitudine milia passuum CCCLXX, in latitudine milia passuum CLXXXV.

5. Insula Cyprus finitur ab oriente mari syrio, ab occidente pamphylio, a septentrione Aulone Ciliciae, a meridie mari phoenicio; cuius spatia habent in longitudine milia passuum CLXXV, in latitudine milia passuum CXXV.

6. Armenia finitur ab oriente mari caspio et quae circa gentes sunt, ab occidente mari pontico,, a septentrione iugis montis Caucasi, a meridie monte Tauro; quae patet, quantum cognitum est, milia passuum CCCCLXXX.

7. Insula Rhodus cum Samo, Chio, et quae sunt Cyclades, finiuntur ab oriente littoribus Asiae, ab occidente mari icario, a septentrione mari aegaeo, a meridie mari carpathio; quae patent in longitudine milia passuum D, in latitudine milia passuum CC.

---

(1) Opusculum hoc commemorat Bandinius in catalogo codicum bibliothecae laurentianae T. III latin. p. 333.

(a) Cod. *aegeo.*

(2) Indo scil., cuius unum ex ostiis *Sinthum* dicebatur.

8. Dacia et Getica finiuntur ab oriente desertis Sarmatiae, ab occidente flumine Vistula, a septentrione oceano, a meridie flumine Istro; quae patent in longitudine milia passuum CCLXXX, in latitudine, quantum cognitum est, milia passuum CCCLXXXIII.

9. Sarmatia et Scythia taurica finiuntur ab oriente iugis montis Tauri, ab occidente flumine Borysthene, a septentrione oceano, a meridie provincia pontica; quae expanduntur in longitudine milia passuum DCCCCLXXX, in latitudine, quantum cognitum est, milia passuum CCCLXXXIII.

10. Insula Creta, et quae circa sunt, finiuntur ab oriente mari carpathio, ab occidente mari cretico, a meridie mari libyco. Creta patet in longitudine milia passuum CLXXIII, in latitudine milia passuum sex (1).

11. Macedonia et Hellespontus et pars Ponti finiuntur ab oriente mari pontico, ab occidente desertis Dardaniae, a septentrione flumine Istro, a meridie aegaeo; quae patent in longitudine milia passuum CCCXXXII.

12. Epirus, Achaia, Thessalia finiuntur ab oriente mari aegaeo, a septentrione montibus Pelio et Olympo, a meridie mari siculo et libyco; quarum spatia in longitudine milia passuum DCCX, in latitudine CCCLXXVI.

13. Insula Sicilia, et quae circa sunt, finiuntur ab oriente et occidente, item septentrione, mari tyrrhenico, a meridie mari africo. Sicilia patet in longitudine milia passuum a Peloro usque ad Pachynum CLXXXVII, in latitudine milia passuum CLXXXVIIII.

14. Pars Italiae finitur ab oriente mari adriatico et freto quod est inter Siciliam et Italiam, ab occidente urbe Roma, a septentrione sinu adriatico, a meridie mari tyrrhenico. Patet in longitudine milia passuum CCCXLVIIII, in latitudine milia passuum CCXXIIII.

15. Pars Italiae ad alpes finitur ab oriente Istria et Carnia, ab occidente iugis alpium, a septentrione sinu adriatico, a meridie mari ligustico et tyrrhenico; cuius spatia in longitudine milia passuum DCCCXX, in latitudine milia passuum CCCXXX.

16. Insula Corsica finitur ab oriente promontorio sacro, ab occidente Proturiano (2), a septentrione ligustico, a

(1) Ita codex.

(2) Ita cod. Num *Mariano* vel *Alcriano*? quamquam haec loca Corsicae orientalia sunt.

meridie mari africo; cuius spatia in longitudine milia passuum CXXX, in latitudine milia passuum XX.

17. Sardinia ab oriente Corsica et mari sardico, a septentrione mari tyrrhenico, a meridie mari africo; patet in longitudine milia passuum CCXXX.

18. Illyricum et Pannonia ab oriente flumine Drino, ab occidente desertis in quibus habitant Boi et Quadi (1), a septentrione flumine Danubio, a meridie mari adriatico; quae patent in longitudine milia passuum DCXX, in latitudine milia passuum CCCXXXII.

19. Germania, Rhaetia, ager noricus, ab oriente flumine Vistula et silva hercinia, ab occidente flumine Aeno, a septentrione oceano; a meridie iugis alpium (2) et flumine Danubio; quae panduntur in longo milia passuum DCXXII, in lato milia passuum CCCXXVIII.

20. Gallia comata finitur ab oriente flumine Rheno, ab occidente saltu pyrenaeo, a septentrione oceano, a meridie Gallia narbonensi et aquitanica.

21. Gallia narbonensis et aquitanica finiuntur ab oriente alpibus, ab occidente saltu pyrenaeo, montium catena, et a meridie mari gallico; patet in longitudine milia passuum CCCLXXIII, in latitudine milia passuum CCXL.

22. Hispania citerior finitur ab oriente saltu pyrenaeo, ab occidente Oretania, a septentrione oceano, a meridie mari hiberico: cuius spatia in longo milia passuum DXXXV, in latitudine milia passuum CLXXXIII.

23. Asturia et gallocca Lusitania ab oriente Cantabria et Oretania, ab occidente oceano; patent in longo milia passuum DLXXX, in latitudine milia passuum DLXXXV.

24. Hispania ulterior ab oriente Oretania, ab occidente oceano, a septentrione fluvio Ana, a meridie mari hiberico; cuius spatia in longitudine milia passuum CCCCLXXX, in latitudine milia passuum CCLXXXIII.

25. Getulia et Mauritania finiuntur ab oriente flumine Ampsaga (3), ab occidente oceano et Calpe; cuius spatia in longo milia passuum CCCCLII, in latitudine milia passuum CCCCLXX.

26. Africa, Carthago, Numidia finiuntur ab oriente syrti minori, ab occidente fluvio Ampsaga (4), a septentrione mari africo, a meridie oceano aethiopico: cuius spatia in longitudine milia passuum CCCCXX, in latitudine milia passuum CCC.

---

(1) Cod. *Camni.* (2) Cod. *Achem.* (3) Cod. *Amsamo.*
(4) Cod. *Amosca.*

27. Africa, Cyrenaica, superior Libya, finiuntur ab oriente Catabathmo, ab occidente syrti minore, a septentrione mari cretico; cuius spatia in longitudine milia passuum DCCCCLXXX, in latitudine milia passuum CCCCXC.

28. Aegypti pars inferior et maracotis Libya finiuntur ab oriente Arabia, ab occidente Libya deserta, a septentrione mari quod aegyptium vocant, a meridie Aegypto superiore et desertis. Habet in longitudine milia passuum CIXI, in latitudine milia passuum CLXXX.

29. Arabia, Aethiopia, et Aegyptus superior, et sinus arabicus et persicus, ab oriente maritima Perside et Carmina, ab occidente Libya deserta, a septentrione Syria, a meridie mari rubro; patent in longitudine milia passuum CIXI, in latitudine milia passuum CLXX.

30. Britannia in longitudine milia passuum DCCC, in latitudine milia passuum CCC.

31. Epitome totius mundi. Finitur ab oriente et occidente oceano, a meridie atlantico, a septentrione oceano britannico.

Duplex ille commentarius ineditus in *Boethii libros de consolatione philosophiae*, aliquoties a nobis in notis criticis in subsidium adhibitus, continetur in codice Gottingensi membranaceo saeculi XII, tam minutis litteris exarato, tanto vetustatis situ oblitterato, tot denique scripturae compendiis decurtato, ut summa ubique oculorum acie in eo legendo opus sit. Codex est quadratus, foliis 43, vers. 46, duplici ordine singulis paginis exarat., in cuius fine leguntur verba: *Expliciunt glosulae boetii.* In bibliothecam regiam Georg. Aug. translatus est hicce liber, cujus et notitiam et usum debemus *Reussio*, viro illustrissimo, anno 1787 una cum illo codice, qui mythographum tertium continet. Quum autem uterque commentarius a me transscriptus publica luce dignissimus sit, geminum eius prooemium speciminis loco hic ex parte typis exprimendum curavi.

I.

In summa pagina prioris commentarii litteris fere evanidis secunda manu scriptum est: *prohoemium in librum de consolatione philosophiae incipit.*

Boethius ille nobilissimus civis Romanus fide catholicus extitit. Qui contra Nestorium et Eutychem, duos hereticos, quum non esset qui eis responderet, de fide catholica disputavit et in communi concilio hereticos comprobavit. Deinde tempore Theodorici, regis Gothorum, rempublicam Romanam obtinentis, et omnes bonos crudeliter sine alicuius contradictione deprimentis, Boethius iste virtute fidei armatus, obiecta auctoritate sua periculis quos tyrannica ra-

bies invascrat liberabat. Erat enim tantae auctoritatis, ut ei quum defenderet nullus nocere auderet. Videns igitur Theodoricus Boethium solum tyrannidi suae se opponere, coepit callide quomodo eum perderet inquirere. Sed quum in eum nullam causam inveniret, duas falsas confinxit, scilicet eum impedisse delatorem, accusationem senatus scriptam ad se deferentem, et litteras ad Alexim Constantinopolitanum imperatorem pro liberatione rei publicae misisse. His autem de causis sine accusatione convenientis personae indefensus et absens reus est iudicatus et Papiam in exilium est relegatus. Hic vero suam prosperitatem praeteritam secum reputans et praesentem adversitatem considerans, vidit aliquem minus peritum simili casu usque ad desperationem posse deprimi. Ut ergo quo se unusquisque consolaret haberet, si aliqua adversitas commutabilitate fortunae contingeret, philosophicam consolationem composuit *etc. etc.*

II.

In summa pagina posterioris commentarii eadem manus scripsit haec: *anicii. manlii. severini. patritii. viri. clari. illustris. boecii. exconsulis ordinarii. liber incipit.*

Theodericus, Gothorum imperator saevissimus, Romanis semper invisus fuit. Qui quum eos saepissime bello temptavisset, tandem devicit et Romam cepit, ibique multa nefaria erga rempublicam fecit. Quae quum vidisset Boethius nobilissimus, et magis rectitudinem reipublicae quam imperatorem colens, quantum potuit ei restitit; tandemque dicitur apud Constantinopolim litteras misisse, conquerens de Romanae reipublicae vastatione. Sperabat enim auxilio Graecorum libertatem Romanis posse restitui. Erat enim inter Constantinopolitanos et Romanos coniuncta amicitia. Nam Constantinus, eorum imperator, Romanum imperium apud Constantinopolim quadam religione transtulerat. Hae vero litterae quum comprehensae essent et ad imperatorem relatae, tunc propter hoc tunc propter alia jussus est ab omnibus suis proscribi, exulari et tandem apud Papiam in exilium trudi. Qui quum in carcere positus consolationem tantae suae ruinae quaereret, quippe qui ante consul factus filios etiam suos consules et omnia alia prospera vidisset; visum est ei, nulla re magis quam scribendo solatium quaeri posse. Sic etenim et prospera praeterita ad memoriam duceret et mala praesentia oblivioni traderet *etc. etc.*

NOTAE CRITICAE

IN

MYTHOGRAPHOS VATICANOS.

INDEX CODICUM.

A.

Codex Vaticanus mythographi I, membranaceus, cujus scriptio ad X vel XI saec. referenda videtur Majo, qui tamen accuratiorem hujus libri descriptionem in aliud tempus distulit. Fuit olim Christinae Suecorum reginae.

B.

Codex Vaticanus mythogr. II, saec. XI vel XII, membranaceus, cum mythogr. I uno volumine compactus. Duplicem lacunam, quae in hoc libro (fab. 146 sqq. et 190 - 205.) comparet, Majus ex altero ejusdem mythogr. codice chartaceo saec. XV supplevit, sed in reliquis lectionis varietatem non excerpsit.

C.

Servii cod. Guelferbytanus, membranaceus, forma maxima, saec. XIII (7, 10. Ms. Aug. No. 815. in Eberti catalogo, p. 153.) foliis 152, versuum 52, duplici ordine singulis paginis splendidissime exaratorum. Deficit in verbis ad Ae. 12, 164: *ita dicemus unas bigas, unas.* Plurimas mihi obtulit lectiones egregias.

D.

Servii cod. Guelferbyt. chartaceus saec. XIV, forma maxima, foliis 257 diversis manibus exaratis (44, 23 Ms. Aug. No. 816. Ebert.). Tria folia postrema continent Virgilii vitam, quae explicit: *multis versibus admiramus.* Fuit olim Matthiae Schenckii, cujus signum prima pagina exhibet.

E.

Fulgentii cod. Guelferbyt. (Gud. No. 331; ap. Ebert. No. 212.) membr. saec. X, quadratus, foliis 68, versuum 20. Postrema 6 folia plura aenigmata inedita versibus heroicis conscripta continent, et disputationem regalis et nobilissimi juvenis Pipini cum Albino scholastico. Praestantissimis Fulgentii codicibus accensendus est. Fuit olim Frid. Lindenbrogii.

G.

Fulgentii cod. Guelferb. (Gud. No. 333; ap. Eb. No. 213.) membr saec. XII, quadratus, foliis 44, versuum 36. Postrema 11 folia inedita continent, item fol. 19. *de terrae motu* etc. Fuit olim in museo Bernhardi Rottendorfii, 1651.

H.

Cod. Gottingensis mythogr. III, membran., quadratus, saec. XIII, foliis 34, versuum 36 duplici ordine singulis paginis exar. Deficit in medio cap. 8 et in extremo cap. 9. Fuit olim cod. Hamelensis, an. 1787 Gottingam translatus. Vid. Götting. gel. Anz. 1833 p. 89 sq. Capitum distributione omnino caret hic liber praestantissimus. Incipit sine titulo.

L.

Cod. Gothanus mythogr. III, membran. (II, No. 136.) saec. XIII, quadratus, foliis 162. Mythogr. incipit inde a fol. 103 minutissimis litteris (versuum 46.) exaratus. Eadem manus huic operi praefixit caput de ventis, cui adscripta est orbis terrarum delineatio, additis nominibus duodecim ventorum. Mythogr. incipit sine titulo. Singulorum capitum initia rubris litteris distincta sunt, omissis titulis. Vid. Götting. gel. Anz. 1833 p. 441 sq.

M.

Cod. Vatic. mythogr. III, membran. saec. XII, cui Fulvius Ursinus quondem possessor sua manu inscripsit: *Incertus de diis gentium. Fulv. Urs.* Continet capita XIV, quibus quintum decimum addit alius cod. Vatic. membran. saec. XIV. Uterque codex reginae Suecorum olim fuit. Deinde tertius codex Palatinus, chartaceus, quem et ipsum Majus repperit, omittit caput 10 et 15. Denique mythogr. III compendium, ipsis protographi retentis verbis, in Vaticano quodam membranaceo magnae molis historiarum variarum codice continetur. Majus primum illum codicem solum expressisse videtur excepto capite ultimo. Ex reliquis discrepantias lectionis excerpere neglexit.

N.

Cod. Parisiensis mythogr. III, saec. XIII, membran., quadratus, foliis 72, versuum 37, duplice ordine singulis paginis exaratorum; cui titulus: *Anonymi Mythologicon libri.* Diversa manus primae paginae superscripsit: *de Idolis et astris incognitus author.* Deinde alia manus: *Valerius Soranus.* Singula capita in hoc codice in plures distribuuntur sectiones, quibus praefixi sunt peculiares tituli. Vid. Götting. gel. Anz. 1833 p. 881 sq.

NOTAE CRITICAE
IN MYTHOGRAPHUM PRIMUM.

1. Vid. Serv. ad Virg. Ecl. 6, 42, quem laudat mythogr. III, 10, 10, ubi eadem fabula iisdem verbis narratur; cf. mythogr. II, 64 v. 42 sqq. et 65 v. 20 sqq.

v. 4 *factos hom.*) *factum hominem* L. — *a se*) omittit C L, quae ratio sane non displicet. — 5 *qui*) *et* B C D L M. — 6 *est*) om. C D. *furatum* M; *fuisse* L; *est furatus* B. — 7 *rem*) *causam* B C D L M. — *duo*) om. L. — *febres et maciem id est morbos*) Correxi ex Horatii carm. 1, 3, 29 sq., quem locum afferunt C D L M. Innuit autem mythogr., ignis usu morbos *omnino* terris immissos esse, nec febres tantum et maciem in specie; itaque recte *febres* et *maciem* per *morbos* explicat. — *febres, id est macies, et morbos* A; *maciem id est morbos* B; *febres et morbos* C; *mulieres* (cui superscriptum est *febres*) *id est macies et morbos* D; *morbos et febres* L; *morbos et mulieres* M. Caeterum C D L M et alii Servii codd. addunt: *sicut et saffo et esiodus memorant* etc., de quibus vide ad III, 10, 10. — 8 *quoque*) *etiam* C D L M; *autem* B. — *Caucaso monte*) *monte Caucaso* C D L M. *monte Scythiae Cauc.* B. — 9 *religarunt*) *religaverunt* C D M; *religatus fertur ad fatum* L. — *adhibita etiam*) *et adhibita est* C D L M. *adhibens ei aquilam* B. — 10 *quae*) *ut* L M. — *ejus* om. M. *ejus cor* C D. — 11 *unde*) Recte C D hic inserunt: *etiam Prometheus dictus est* (*a Graeco προμήθεια* L M.) *ἀπὸ τῆς προμηθίας, id est* (*a* addit D) *providentia. Hic pr. astr.* etc. — *et Pr. d. a prudentia* B; *sapientia* L. — 12 *et*) om. C D L M; *autem* B — *invenit vel Assyriis indic.* L. — *residens*) *rem id est* C; *rem idem* D. — 13 *Caucaso*) *Atlante* M. — *monte altissimo Caucaso* C D B L. *monte* om. M. — *cura comprehenderat*) *c. et sollicitudine prenderat* C D; *prehenderat* B; *perviderat* L M. Deinde plura interponuntur in B C D L M, de quibus vid. ad II, 65. — 14 *quod est*) *q. ἄχος Graece est* C; *quod acea est* D. *quia atrox e.* L M. *quia acris sollic. est* B. *nimia* unus exhibet A. Ἄχος sane est sollicitudo, cujus sedem Homerus in corde plerumque esse dicit. Itaque astrologiae studium istud ἄχος est, quod exedit Promethei cor. At cur *aquila?* Num astrologiae studium auctor sibi finxit aquilam? Etsi res ita bene procedit, haereo tamen in nomine ἄχος, quod ab hoc loco alienum esse videtur. Cor mihi exeditur idem est, inquit, ac acri sollicitudine affectus sum. Quod ut melius intelligatur, non video cur Graeca voce opus sit. — *qua*) *quia* C. — 15 *affectus*) B D; *assecutus* A; *effectus* C; *defectus* L M. — *siderum omnes motus deprehenderat*) *sid. et om. depr. mot.* C; *sidereos depr. mot.*

B; *siderum om. depr. et mot.* L M. — *deus est et rationis* L, qui *fatum* habet pro *saxum.* — *colligatus* L. — 18 *praeterea*) *etiam* addit D. — 19 *unde . . . furatus*) omittit B. — *Nam*) *ad haec* B; *sed et* L M. — 20 *eodem*) *eo* B L M. — *monstrata*) *demonstrata* B. — *praefuit* L. — *olim*) abest a reliquis codd. — 21 *bene eo*) *eo bene* B C D L. — 22 *pernic.*) *eorum* addunt reliqui codd. — 23 *Tullo*) *Tullio* A M. — *qui*) om. A. — *ideo*) i. e. ob malum ignis usum; *eo* B C D L M. — *igni*) om. L M. — 25 *morbus hom. dicitur immissus*) Reliqui codd.: *morbi h. dicuntur* (*esse* M.) *immissi*; quae lectio sane est praeferenda. Caeterum L omittit *sicut in Liv. . . . usus est.* — Liv. 1, 31.

2. Serv. ad Ge. 1, 12. mythogr. II, 119. III, 5, 4.

v. 27 *Quum*) *in acropoli Thebarum arce* addit B et schol. ad Stat. Th. 12, 632 p. 422 ed. Tiliobr. — 28 *ejus*) *illius* L; *illius ex* B. — *appell.*) *civitas appellaretur* D; *civitatis ap.* C; *civ. diceretur* B H L M. — 29 *mun. mel.*) *mel. mun.* H L M. — *mortalibus*) *diis* A. — *obt.*) *opt.* C. — 30 *litore*) *lictore* C; *lit. cum tridente* B. — *bellis*) *bello* H L M. — *procr.*) Reliqui codd. *produxit.* — *jacta h.*) Ita C. *jactata* h. A B D M; *hasta jacta* L. — 31 *oleam*) *olivam* B C D H L M. — *melior*) om. L. — *ut*) H; om. L cum schol. ad Stat. l. l. *et* B C D M. *habita* addit B. Ut equus bellum indicat, ita oliva pacem.

3. Serv. ad Ecl. 6, 74. et Burmanni cod. G. ad Ge. 1, 404 cf. mythogr. II, 169. 123.

Scyll.) codd. *scill.* — *Crataeidis*) *cretidos* A B; *chreteidos* C; *creteidos* D. Emendavi ex Hom. Od. 12, 424 et Gelenii codd. Plinii N. H. 3, 10 § 73. ed. Sillig, ubi ante *Silligium* vulgaris lectio erat *Cratais*, et ap. Vet. Dalech: *Cratis*, unde fictum est *Cretis, idos.* Ovidio (Met. 13, 749) genuinam lectionem restituit Heins p. 352, ut Hugo Grotius Martiano 6 p. 205 pro *Crathide.* Cf. not. var. ad Solin. 2, 22 p. 46 ed. Goez. et Lactant. narr. fabb. 13, 9 p. 878 ed. Stav. Caeterum *Nymphae* addit B, quae vox abest a C D, qui *filia pulcherrima* exhibent; *fluminis* est ap. Hygin. fab. 199 p. 330 Stav. quod non mutaverim propter Plin. Solin. et Martian. ll. ll., ubi Crataeis Italiae fluvius laudatur. — 4 *nacta*) *irata* B C D, quae lectio minime est spernenda. — 6 *parte*) *sui parte* C D. — *commut.*) *mut.* B C D. qui iterum plura hic inserunt, de quibus vid. ad II, 169. — *est a Sc.*) *a Sc. est* D. — 12 *obtulit*) opt. B C. — 13 *habuisset*) *haberet* D. — 15 *deor, mis.*) *mis, deor.* B. qui plura hic subjungit.

4. Serv. ad Ecl. 6, 78. mythogr. II, 217.

19. *Ter.*) *Thereus* A. — *Thra.*) *tra.* D. — 20 *Procnen*) Codd. constanter *Progne*, ut est apud Majum. — 21 *per*) *pŏst* B C D. — *sibi*) *ut sibi* C. — 22 *accersiret*) A C. *accersire* B D. Lindem. ad Cic. de inv. 2, 31 et Doederl. Synon. 3, 282. Erravit typotheta noster in *accerseret.* — *adduxit*) C; *abduceret* A; *adducit* B D. — *ling. absc. ne fac. ind.* B. — 24 *querelam*) *rem* B C D. — *sorori mis.* B. — 25 *Ityn*) *hytym* C; *itim* D. — 26 *fil*) *fil. suum* B. — *postea*) *et postea* C. — 27 *upup.*) *oppup.* D. *itis* D. *ytys* C. — *phasian.*) *phassam* B; *fassam* D; *fasan* C. — 28 *hirund.*) *arund.* D. — *philomena* D.

5. Serv. ad Ecl. 9, 93.

v. 30 *Cycl.*) *cicl.* C. — *Galateam*) *galatheam* A C D, et sic infra. — *quae*) *qui* C. — *quum*) *tum* D. — 31 *Polyph.*) *polif.* C. — 33 *ab Acide*) *ab aci*

C. *acinea* D, cui eadem manus superscripsit *latine.* — *Acis*) Ovid. Met. 13, 896. Fast. 4, 468. Sil. Ital. 14, 221. Claudian. rapt. Pr. 3, 332. Vibius Seq. p. 4 ibiq. Oberl. p. 66. alii. Quin etiam Graeci scriptt. constanter Ἄκις scribunt, ut Theocr. 1, 69 et Nymphodorus in schol. p. 836. Kiessl. Nomen sortitus est hic fluvius a *sagitta*, quia summa velocitate ex Aetna prorumpit, schol. Theocr. l. l. Eustath. ad Dionys. perieg. 976 p. 171 ed. Hudson. Caeterum Ἄκις ποταμὸς inter proverbia est ap. Diogen. 2, 74, Apost. 2, 25 et Arsen. p. 35: ἐπὶ τῶν ἄγαν ψυχρῶν. ψυχρὸς γάρ ἐστιν οὗτος. Cf. Hesych. v. Ἄκις. Ob hanc frigiditatem hodie vocatur *freddo.* Quae quum ita sint, vitiosam judicavi lectionem *acilius* A D, et *acinius* C.

6. Serv. ad Ge. 1, 20. mythogr. II, 178.

v. 35 *est*) omittit B. — *Hic*) omittit B. — *amavit*) *adamavit* B. — 37 *extinc. est*) *est extinc.* B C D. — 38 *cypr.*) *cupr.* B C D. — 39 *ejus*) *sui* C. — *convertit*) *vertit* C; *evertit* D. — *quam*) *quem* A, nisi typotheta apud Majum peccavit; *quam etiam* B. — *solatio*) *sol. extincti* B.

7. Serv. ad Ge. 1, 39. mythogr. II, 100.

v. 2 *rapt. a Plut. Pors.*) *Pros. a Plut. rapt.* B; *filiam* addunt C D. — 3 *comperit*) *repperit* C. Subjungit A: *quia a Plutone sive Orco fratre Jovis rapta fuerat;* quae verba et per se sunt rejicienda, nec a B C D agnoscuntur. — 5 *posse eam*) *eam posse* B. — *gustasset*) *gustavisset* C D. — *autem*) *autem jam* B C D. — 6 *Ely.*) *eli.* C; *aeli.* D. — 7 *Ideo*) *unde* B C D. — 8 *potuit*) Addunt C D: "*Hinc ait Lucanus* (6, 740): Quae te detineant (detineat C.) ethnea dapes. *Quam necessitatem modo virgilius proserpinae tribuit voluntati*„. Pro his B habet: *Indignata Ceres convertit Ascalaphum in bubonem;* quae verba repetit schol. ad Stat. Th. 3, 511 p. 109. Tiliobr. — *Ceres*) *a Jove* addunt B C D. — 10 *et*) *quae et* B C D. — 11 *sex def.*) *et sex d.* C. — 12 *scilicet*) *scil. ut* B. — 13 *deffic.*) *et defic.* B. — *videatur*) *esse vid.* C D. Caeterum de posteriore hujus fabulae parte, quae sub Servii nomine apud mythogr. III quoque legitur, vid. inf. ad III, 7, 2.

8. Serv. ad Ge. 1, 163.

v. 15 *Eleusis*) *Eleusin* C D. — 19 *fovit*) *fodit* C; *ponit* D; hoc confirmare videtur Apollodori (1, 5, 1) κατεπόθη, illud Hygini (147 p. 257 Stav.) *obruebat*, quod exhibet etiam Serv. ad Ge. 1, 19 schol. ad Stat. Th. 2, 382 p. 63. et mythogr. II, 97.

9. Serv. ad Ge. 1, 399. schol. ad Stat. The. 9, 361 p. 318. mythogr. II, 175.

v. 24 *Alcyon.*) *alcionen* D; schol. St: *Halcyonem.* — 25 *prohib. esset*) *proh. isset* B D; *proh. esset et isset* C; *prohiberetur ire* schol. St., quae lectio omnino erat praeferenda, vel illa mutanda in *prohibitus esset ire.* — *Apoll.*) *appoll.* C D. — 27 *Alcyonem*) om. C. et schol. Stat. — *fuiss. del.*) *del. fuisset* B C. — *praec. in pel.*) *in pel. praec.* B. — 29 *alcy. voc.*) *voc. alciones* C; *halcyones* schol. St. Deinde subjungunt C D: "*Sane sciendum est, quia quum de muliere dicimus* haec alcione (alcyones C.) facit; *quum de avibus*, hic et haec alcyone (et hi et hae alcyones *addit* D)". Quae sequuntur, absunt a B. — 30 *mari*) *mare* C. — *hieme*) hyeme C D. — *diebus*) om. D. — 31 *in mari nih.*) *nihil in m.* C D. — *Inde*) *unde* D. — *et dies ipsi*) *etiam ipsi di.* C D. — *alcyonia*) *alcyonii* D.

10. Serv. ad Ge. 1, 378. mythogr. II, 95.

v. 34 *filiam suam*) om. C D. — 35 *Tunc eam* C D. — *Lici* A; *licii* C D. — 36 *prohibere coeperunt et conturbantes ped. fontem quum contra eam* etc. B C D. De Lyuco (*Lycus* A.) nihil nostri nobis offerunt codd., nec dubium est, quin plures hic inter se confuderit fabulas mythographus, quippe qui cum Servio ad Cererem transtulit, quae Lotonae vulgo tribuuntur (Menecrates Xanthius et Nicander ap. Anton. Lib. c. 35 p. 236 Verh. Ovid. Met. 6, 317); neque tamen eum latuisse videtur veritas, quam profert infra 31 et 187. Caeterum Servius Ovidium hanc de Cerere fabulam narrare dicit; at recte Ovidius de Latona illa refert; haec autem de Lynco (in quibus magna est confusio) Cereri tribuit (5, 650).

11. *Titanas* et *Gigantas*) *et* de meo addidi, quandoquidem voces *Titanes Gigantes* nusquam ita conjunctae reperiuntur, ut altera adjectivi vicem obtineat. Mythogr. II, 53 affert *Titanas, qui et Gigantes dicuntur.* Hinc aliquis conjicere possit, auctorem supra scripsisse *Titanas* sive *Gigantas*, ex vulgari harum nominum confusione. Verum si quis scribendum esse censet *Titanas γηγενεῖς*, me non habebit refragantem. — *id est Ceres*) Etsi Ceres saepius pro *terra* ponatur, in hac tamen fabula omnes utramque deam accurate distinguunt. Itaque et verba ista, et quae sequuntur: *irata ob sui atque Tantali derisionem* (quis enim umquam hanc finxit irae causam?) aut a scriptore antiquitatis ignaro profecta sunt, aut alludunt ad fabulam nobis hodie ignotam. — 5 *ejus*) Num Tantali? At legendum haud dubie est *sui* (eadem confusio extat sup. 6, 39.), ut habet mythogr. II, 53, 29. Caeterum veriora de his rebus docet C (ad Ae. 6, 580): *eadem* (sc. Terra; *id est* D) *primo* (*primum* D) *titanas* (*enim* addit D) *contra saturnum genuit, gigantas postea contra Jovem. Et ferunt fabulae, titanas ab irata contra deos terra in* (*ad* D) *sui* (*ejus* D) *ultionem creatos.* — 10 *Gigantibus inaud.* etc.) Distinguere h. l. videtur auctor inter Gigantes et Titanes. Sed quae sequuntur, iterum confusa sunt. — *Aetna*) *Aethna* A constanter. Idem cod. omittit copulam

12. Serv. ad Ge. 3, 7.

v. 17 *Gigas*) Recte om. C D. — *volens deor. temptare div.* C D. In Maji cod. est *probare* — 18 *Pelopem*) om. C D, qui addunt *invitatis eis* (*eis* om. D). De verbis "*Unde pro . . . contingat*" quae absunt a C D, vide ad myth. II, 102, 25. In iis autem quae deinde sequuntur, verborum ordinem variant C D: *a quo omnes dii abstinuerunt, excepta cerere, quae brachium ejus consumpsit.* — 22 *punito*) *petente* A C. — *fil. ej.*) *ej. fil.* C D. — *ei eb. br.* C D. — *corp. univ.* C D. — 26 *tamen*) *tantum* C D.

13. v. 28 *Tityus*) *Titius* cd. Maji; *titios* D ad Ae. 6, 595, ubi C *tytyos* offert; uterque Servii codex Tityum Terrae filium, vel a Terra nutritum dicit. — De *Dianae sagittis* silent C D, qui et reliqua variant.

14. v. 34 *Gigas*) Gigantibus Ixion ab aliis scriptoribus non annumeratur. — *oppos ei* etc.) Cd: *appos.* omisso pronomine *ei. Obtulit* in eadem re est ap. Serv. ad Ae. 6, 286, et *opposuit* ap. myth. II, 106. — 36 *conjugio*) *stupro* est ap. Serv. ad Ae. 6, 601. — *ut rotam* etc.) Haec cum vulgari fama non congruunt, qualis est ap. Serv. l. l: *ab irato Jove ad inferos trusus est, et illic religatus ad rotam circumfusam serpentibus*; cf. myth. II, 106.

15. Schol. ad Stat. Th. 4, 551 p. 147, mythogr. II, 21.

Cyrce schol. St. constanter. — *Aeaea*) Ita emendavi. Cd. Maji et schol. St: *Maeonia;* sed *Aenariam* (de qua Plin. N. H. 3, 6 § 82. Sillig) affert Hyg. 125 p. 220. Stav. — *sedens* om. sch. — *Ulixes*) Schol: *Ulysses.* — *Eurylochum*) Schol St: *Eurilocum.* Caeterum B verborum ordinem subinde variat. — 4 *misit*) *praemisit* B. — 5 *in feras*) De meo addidi. — *quos*) *quos, mox* B. — *Sed*) om. B. — 6 *nunciavit*) Leg. *nuntiavit.* — *proficiscebatur*) sch. St: *proficiscitur;* B: *cui soli ad e. proficiscenti* Merc. *rem. d. et qu. C. dec. monst.* — 8 *postquam*) *posteaquam* sch. St. — *accepto*) *suscepto* B, qui et alia variat in sequentibus. — 11 *fact. esse*) *esse factum* sch. St. — 12 *vero*) om. schol. — *rem habuit*) *concubuit* sch. — *et . . . ex ea*) *ex qua* sch. — *Teleg.*) *Telleg.* sch. — *cuj. m. post oc. oc.*) om. sch.

16. Schol. ad Stat. Th. 2, 96 p. 49. mythogr. II, 84. III, 4, 8. Fulg. 2, 8.

Omnes quos memoravimus scriptores Ovidium in primis secuti esse videntur; cf. Hyg. 75. Lactant. fabb. narr. p. 806. Stav. In omnibus autem quamvis idem est narrationis tenor, verba tamen non ita congruunt, ut pro uno eodemque fonte haberi possint. — 15 *silvam*) Ita Ovid. Alii montem Cyllenen vel Cithaeronem afferunt. — 16 *feminam*) Sic emendavi. Cod: *feram.* — *octo*) In temporis spatio definiendo scriptores inter se dissident — 18 *naturam*) *figuram* B et schol. St. *formam* H L M. *speciem* Hyg. — 19 *lis*) *jocosa lis* Ovid. *jocosa altercatio* Hyg. — 25 *ei praebuit*) Pronomen *ei* supplevi; vid. Lactant. p. 806. et myth. III, 4, 8, 10. — *praescientiam*) *scientiam* Lact. et H L M.

17. Lactant. narr. fabb. 1, 6. p. 791 Stav.

impatiens) Lact. addit: *in deos querimonia delata.* — 28 *ad Lyc. reg. Arc.*) Lact: *ad Lycaonis regiam.* — *qui ipsi quasi*) Lact: *cui Lycaon tamquam.* — 29 *hum. membra dev. app.*) Lact: *prius hum. memb. dev. velut hospitali humanitate app.* Caeterum ejeci pronom. *ei* (quod Maji cod. habet) ante *apposuit.* — 31 *sed*) om. h. l. Lact. et ante voces seqq. *in lupi* collocat, quibus addit *saevi.* — 32 *adhuc*) om. Lact.; Maji cod. *et adhuc.* — 33 *servat*) Lact: *servaret.* Quae sequuntur congruunt cum Serv. ad Ge. 1, 138 fin. — 34 *Lycaon*) *Lychaon* C; *licaon* D. — *habuerat*) *habuit* C D. — *Callisto*) *calisto* C D. — *et postea* A C D. sed copulam ejecimus. — *transtulit cael.*) *eam posuit* C; *transtulit* D a seriori manu margini adscriptum; *caeleste* om. C D.

18. Lactant. narr. fabb. 1, 10. 13 et 14. p. 793 sq.

vel Iasi) Ita conjecimus pro *Janis*, ut est in cod. Majus proponit *Argivorum.* Lact: *amnis;* Serv. ad Ae. 7, 790: *Argivorum fluminis.* — *spec. s.*) *suas specie* Lact. — *praecelleret*) *praecederet* Lact. — *a*) *ab* Lact. — *admotis*) *ammotis* Lact. — *procuderet*) id est *procrearet, excitaret*, ut *procudere prolem* ap. Lucr. 5, 854; et *ignem ignes procudunt* ap. eund. 2, 1112. Nolo huc trahere Hor carm. 4, 15, 19 *ira procudit enses.* Lact: *incideret*, omissa praepositione *in*, ut *amorem incidere* 14, 1. — Lact: *est transf.* — Lact: *cujus fallaciam Juno quum intellexisset.* — 2 *petiit*) Lact: *petit.* — *vaccam*) Lact: *eam;* sed de lectionis varietate vid. Muncker. — 3 *eo quod*) Lact: *quia.* — *esset*) Lact: *erat.* — 4 *cernuntur*) Lact: *essent.* — 5 *st. pr. puell. tr.*) Lact: *proderet puellam, tribuit confestim.* — *autem*) om. Lact. — *ne pell. ej.*

am.) *ne amplius ej. pell.* Lact. Majus defendit *pelex — Jove pot.*) *cum Jove concumberet* Lact. — *Arg.*) *Arestoris filium* addit Lact. — *cust. praef.*) *ei praeposuit* Lact. — *jus Jov.*) *patris j.* Lact., qui addit: *et a casu ejus Argiphontes est cognominatus.* — 8 *quia ob*) Ita Giselinus Lact. ed., ubi vulgaris lectio est *quem ob.* — *sibi m. e.*) *ille occiderat* Lact., qui habet etiam *in volucrem pav.* — *amissa lum. exo.*) *quibus amissa lumina indicaret, ornavit* Lact., quae lectio est praeferenda. — 11 *peragr.*) *percucurrisset.* Lact. — 12 *est*) om. Lact. — *Ibi*) *ac* Lact. — *pr. fo. rec.*) *in pristinam fig. reversa* (*est* Venet. ed.) Lact. — *atq. nom. Is.*) *Isidis deae nomen accepit, linigeraque est appellata.* Istud *nominabatur* mutandum est in *nominata est.*

19. Serv. ad Ge. 2, 389 et mythogr. II, 61 v. 15.

Icarus) *Atheniensis* addunt C D. — *Erigonae*) D, *erigonis* C. — *indicasset*) *indicaret* C D. — *ebriati*) *debriati* C D. — *crediderant*) D, *crediderunt* C. — *erigonem* C D. *fil. ejus* C. *quae et ejus com.* C. — 20 *deor. voluntate* B C D. — *astra*) *castra* C. — 21 *ille*) *est* addunt C D. — 22 *per*) *post* B C D. — 23 *furore quodam* B C D. — 24 *ad laq. comp. Unde consultum orac. respondit etc.* B — 25 *erigonis* C D. — 27 *ut et*) *ut etiam* B C D. — 28 *ea*) om. C. — *elem.*) *alim.* D. — 29 *ad quem*) *atque* C. — *hac atque illac* C D. — 30 *et per*) *et* om. B C. — 33 *moverent*) *ora* addit A. — *Unde*) *et* addit C. — 34 *oscillar.*) *oribus cillerentur* C; *ora cillerentur* B; *cillerentur* D. — *ora* om. B C, qui cum D subjungunt: *nam cillere est movere; unde et furcillae* (forc. D) *dictae sunt, quibus* (a quib. C) *frumenta cillentur.* De reliquis vid. ad II, 61 scholion.

20. Serv. ad Ae. 2, 116, mythogr. II, 202.

Prior hujus fabulae pars ad verbum cum Servio non congruit. Aulis h. l. vocatur *insula*, ut ap. Serv. ad Ae. 4, 426: *Aulis insula est, in qua conjurarunt Graeci, se non ante reversuros, quam Troja caperetur.* Ita et supra *Maeonia* dicta est *insula*, et Colchis a myth. II, 134 v. 5. et p. 253, 31. — 41 *ventos esse plac.*) *placandam esse Dianam* B C D. — 2 *Minerva*) *numinis* (i. e. Dianae) *miseratione sublata est* B C D. Alii scriptores Iphigeniam a *Diana* servatam esse constanter tradunt. — 4 *Scytharum*) om. B C D. — 5 *Dictyn.*) *dyctymnae dyanae* C; *dictinae d.* D. — 6 *humano*) *romano* D. — *et maxime hospitum*) om. B C D. *Oresten* C. *accepto*) om. D. — 8 *curandi*) *carendi* B C D. Majus conjecit *cavendi;* Burmanus *curandi.* — *gratia* B; *causam* C. — *fidissimo*) om. B C D. — 12 *pingitur*) addunt C D; *propter quod et lucifera dicitur* (*sed etiam a fasce lignorum* D). Caeterum novissima hujus fabulae verba corrupta exhibet B; vid. ad II, 203.

21. Serv. ad Ge. 3, 7. mythogr. II, 146.

Hippodome C; *ypodome* D. — *oenomii* D. — 15 *creatos*) *procreatos* B. — 16 *curule*) *currile* C; *currule* D. *ad curule cert. provoc.* B. — 18 *victos*) *victor* C D. — *ypodamia* D. *Postea quum Pelopem, Tantali filium, qui aptos curuli certamini equos acceperat, quorum cursu omnes anteiret, am. Hip.* etc. B. — 19 *amoris*) *coitus* C D. — 20 *Pelope a puella*) *pelopia puella* C. — 21 *ejus marito praec. in m. est* C; *est* om. D; *in m. praec.* B. — 22 *cui et n.* B; *reposuit* D. — *myrteum* C. *mirteum* D.

22. Schol. ad Stat. Th. 4, 306 p. 134. mythogr. II, 147.

26. *mare*) *pelagus* Schol. St. et B. — *lege*) Majus conjecit *luce.* — 27 *qua*) *quae* B. *patris orbit.* B. — 28 *Atreo scilicet* B. — 2[illegible]

disrump.) *dirump.* Schol. Stat. *violarent* B. — *Quum igitur* etc.) *Thyestes enim quum* sc. etc. B et schol. St., qui reliqua omittunt. — 31 *aurei vell.*) *vell. aurei* B et schol. — 32 *regnum*) *regiam* B et schol. — *cust.*) *plurimum cust* B et schol. — *Europam*) Leg: *Aëropam;* Eurip. Hel. 398. Or. 18. Apollod. 3, 2, 2. schol. ad Soph. Aj. 1297, ad Arist. Vesp. 759. R. 873, ubi *Ἀντιόπην* vulgo legunt; Hyg. 86. Gell. 7, 3. Lact. narr. fabb. 12, 1 p. 869, ubi olim *Europes* edebatur; alia lectionis varietas ap. Serv. ad Ae. 11, 262, ubi *Merope* in C, et *Maeropa* in D extat. — 33 *sui*) *Atrei* addit B. — *sperabat*) *speravit* B; *judicavit* schol. — 34 *ille*) *Atreus* B. — *posteaquam* sch. — *eum*) *fratrem* B. — *cum filiis duob. suis* schol. — 35 *ad e. mis.*) *eum vocavit* B, qui *"eique ad se vocato"* cum schol. omittit. — 36 *suos*) *ejus* schol. Recte! — *eidemque*) *cui* schol. — 37 *ost. fer.*) *fer. ost.* schol. Caeterum hanc sententiam *eidemque ... feralis* om. B; qui tamen cum schol. subjungit: *quo* (*fraterno* add. B.) *facinore* (*quum eum punisset* add. schol.) *sol dicitur ab eorum se regionibus avertisse* (*vertisse* B); de qua re vid. Serv. ad Ae. 1, 568. — 38 *ultionem*) *delectatione* schol. *hoc motus dolore Th. quum* etc. B. — 39 *p. eum*) *illi* addit schol. et B, qui legunt in seqq. *posse venire.* — 40 *filia*) *sua* addit B. — *Pelopia*) Ael. V. H. 12, 42. *Pelopeia* schol. hic et p. 39. 91; et sic apud Luc. scribitur. — *esset*) *fuisset* schol. et B. — *ille cito*) *illicitos* schol. *illico* B. — *amplexum* B. — *invadit*) *invasit* B et schol. — 42 *incestus*) om. sch. et B. Male! — *Atr. vero* etc.) *qui Atreum quum* (*quum* h. l. om. schol.) *in vindictam patris* (*quum* h. l. inserit schol.) *adolevisset, occidit* B. — *Inde et*) *Idem etiam* B, *Idem autem* sch. *Agamemnona* sch. *adulterata uxore ejus Clytaemnestra prostratum interemit* B; *occidit*, (*ut ipse Virgilius* Ae. 11, 266: *Ipse Mycenaeus magnorum ductor Achivôm*); *qui postea ab Or. filio Ag. c. e. q. adulterasset occisus est.* — Caeterum B plura hic de Agamemnonis morte affert.

23. Schol. ad Stat. Th. 2, 281 p. 58. ad Ach. 1, 65 p. 433. cf. myth. II, 134.

Phryxus quum Maji codd. scribunt tum schol. Stat, qui etiam ad Theb. 5, 475 p. 184 eandem Phrixi genealogiam affert; omittit tamen *fratres*, et pro *regis* habet *Aeolo geniti*, et pro *Nephelae* offert *Nephiles.* De inepta scribendi rationi *Φρύξος* vid. *Heyn.* ad Apollod. p. 134. — *Helle*) *Helles* sch. — 8 *insania Lib. abj.*) *insania a Libero objecta* schol. — *Nephele*) *Nebula* schol. — 12 *Aeetam*) *Oetam* A, ut et schol. Sic et alibi. — 13 *Nephele quae et*) om. B et schol. — *concita*) *excitata* B; *concitata* schol. Recte! — 14 *nec*) *ne repet. lar. mar.* schol. *nec ad lar. m. remeare vellet* B. — 15 *Phr. et Hel.*) om. B et sch. — *nom. Inon.*) *Inonem nuncupatam* B; *Ino quae* schol. — 17 *rogavit*) *petiit* B et sch. — 18 *innata*) *orta* B. — *Quum*) *autem* addit B — 19 *eum*) *enim* schol. — 20 *fil. N.*) *Nubis fil.* B et schol. — *nam et ip. td. eos fr. inc.*) omisit schol; *ipsa namque dictum habuit* etc. B. — 21 *Pater*) *vero* addit B; *nam et ipse p.* sch. — 22 *commisit arbitrio* B et sch. Quae sequuntur in cod. B. cum initio hujus fabulae congruunt. — 24 *aur. vell. habent.*) *memoratum* schol. simpliciter. — 26 *se cum ea*) *secure eam* schol. — 27 *mare*) *maria* sch. — *Helle*) om. schol. — *et nomen ponto dedit; nam*) om. schol. — 28 *nam ex illa H.*) *qui locus ex ea Ellesp.* sch. — 29 *immol.*) *quo vectus erat, mactavit, et ejus vellus consecrant Marti* schol. — 30 *insom.*) *informis* sch. — *Aeeta*) *Oeta* schol. *Oeeta* A. — 31 *Phrix.*) *hunc* sch. — *filiamque*) *ei* recte addit sch. — 32 *accep.*) *suscep.* sch. — *verit.*) *est* addit sch. — *a*) om. schol. — 33 *a diis*) *ex prodigiis* schol. — *ab*) *ut ab advena,*

Aeoli prog. recte schol. cum mythogr. II, 136, 39. — 36 *Hos) quos* schol. — *Postea* etc.) Hanc sententiam contraxit mythogr. noster.

24. Pelias et Iason.

v. 41 *vel Peleus, rex Peloponnesi*). Haec ineptissima sunt, et obelo notanda. — 42 *Aeson, qui Aeson) Iason, qui Iason* est apud Majum. — 1 *dejiceret*) *deiceret* Cod. — *Colchos*). Hanc nominis formam *Colchi, orum*, quae et terram et populum designat, constanter mythogr. servat (cf. Serv. ad Ecl. 4, 34 ad Ge. 2, 140. Hyg. f. 89.); vulgari illa *Colchis, idis* ne semel quidem usus est. — 2 *detulisset*) Leg: *deferret — in qua Jupp.* etc.) Haec a vulgari fama aliena sunt. — 4 *esse*) *fore* haud dubie leg. — 5 *Argo, a qua dicti* etc.) Probus ad Ecl. 4, 34: *Argo a celeritate dicta est. Sic et Homerus, qui νῆας ἀργοὺς celeres dixit. Inde* arguti, *qui multum ac celeriter loquuntur, ut* arguta *hirundo;* cf. schol. ad Stat. Th. 5, 475 p. 184. — 6 *Typhis*) Ita Maji cod. et D ad Ecl. 4, 34, ubi C et *tyfys* et *typhin* exhibet, sicut myth. II, 135, 27 *Tiphi*. Vera nominis scriptura est *Τῦφυς*, Paus. 9, 32, 3. Apollod. 1, 9, 22. Apollon. Rh. 1, 105, ad quem locum sch. *Tiphyn* ab Aeschylo *Iphyn* appellatum esse refert; atque *Iphis* in codd. est Hyg. f. 18, etsi f. 14 p. 43 Tiphys nominatur; cf. schol. ad Stat. The. 5, 413 p. 181. — 10 *Pelias) Peleum* intelligit, qui cum Telamone affuit Herculi Trojam expugnanti, Pindar. N. 3, 33 sqq. Boeckh.

25. Serv. ad Ge. 2, 140.

rapiendum) tollendum C D. — *quod dicav. marti frixus* C D. — *eo obtentu* etc.) Ordine non satis perspicuo rem exponit mythogr. Servius haec non agnoscit. — 17 *ut tauros subjug.)* Perperam haec res primo loco memoratur, quum in primis subsequantur verba: *dentes serit junctis tauris.* — 20 *homines) armati sunt, qui primum fecerunt impetum in Iasonem frustra; postea mut.* etc. C D. — *se)* Supplevi e C D; abest enim a Maji cod. — 21 *Aeeta) Oeeta* A; *etas* C; *aeces* D. — 22 *eum*) *fuisse* addit C D. — Caeterum C plura h. l. subjungit, quae in vulgaribus Servii edd. non leguuntur: *et aliter. ut factum est in colchide, et hic est ydrus, quem chadmus in boeciam occidisse fertur, cujus dentes ipse partim ibidem sevit, partim etes in colchide, ex quibus utrique seges armatorum hominum nata est. Tauri autem hi sunt, quos ignem flantes ete imperio Iason junxit unguento usus quod ei medea dederat.* — 23 *Iason, aureo* etc.) Reliqua absunt a Servio. — 25 *tunicam*) Ita schol. Cruq. ad Hor. Epod. 3, 13. Plurimi et pallam et coronam venenis infectam memorant. Sed ridiculum est, quod mythogr. tunicam *allio* infectam fuisse dicit; id enim Horatius per jocum statuerat; cf. mythogr. II, 138. *Lanam* Nessi sanguine tinctam fuisse dicit Acr. ad Hor. Epod. l. l.

26. *Penthesileae*) Leg: *Praxitheae;* vid. Eurip. ap. Lycurg. adv. Leocr, T. 3 p. 261 ed. Oxon. et ap. Plut. parall. p. 310 d. (fr. p. 160 Matth.) Apollod. 3, 15, 1. Hinc corrig. Philarg. ad Ge. 4, 464 *Praxiotelis*, et *Terriginae* ap. Serv. ad Ae. 12, 83. — *nupta*) Num *rapta?* — *Zeten*) *Zetum* A, et schol. ad Stat. Th. 5, 432 p. 183 et ad 12, 630 p. 422. *Zethum* infr. 204 fin. et B 142, 7. cf. myth. III p. 173, 37 et p. 174, 11. quos locos emendavimus, siquidem in codd. partim erat *Zetus* partim *Zethus*. *Ζῆθος* Palaeph. 23. cf. Maji Interpp. ad Virg. G. 4, 463 et Philarg. l. l. Serv. ad Ae. 3, 209. Fulg. 3, 11. *Ζήτης* Ap. Rh. 1, 211. Apollod. 1, 9, 16 § 8. cf. Hyg. f. 14 p. 49 Stav.

27. Serv. ad Ae. 3, 209. mythogr. II, 142.

fuit et *hic* om. B C. agnoscit D, qui habet etiam *archadiae.* — *suis lib.*) D; *lib. suis* B C. — 38 *Harpyias*) *arphas* C; *arpias* D; —

Caeterum initium hujus f. est etiam ap. sch. ad Stat. Th. 8, 255 p. 285. — *abriperent*) *corriperent* C; *arriperent* A B D. — 40 *Colch.*) *cholch.* C. — *hosp. susc.* B. — *et*) *etiam* B C D. — 2 *Zeten*) *Zetum* C; *Zethum* A B D. — *calaim* C — 3 *arphias* C; *arpias* D. — *pellere compulerunt* C, omissa praepositione *ad.* — *ei miser.*) B, qui post *Orithyiae* addit: *Erechthei filiae, quam Boreas e flumine Elisso* (Ilisso) *rapuit.* — *strictis*) *instructis* C. — 4 *pulsas*) *pulsae* B C D. — *archadia* D constanter — 5 *vellent ult.* B. — 4 *admoniti* B C D. — 7 *volatos* D. — 8 *dedit.*) C D inserunt: *quod Apollonius* (2, 273 — 300) *plenissime exequitur.* Reliqua absunt a B. — *Jovis canes* C. — 9 *esse dic.* C D, qui deinde subjungunt: *unde etiam epulas dicuntur abripere* (perhibentur arripere D.), *quod est furiarum, ut* (Virg. Ae. 6, 606): et manibus prohibent contingere mensas. — 9 *finguntur*) *dicuntur* D. — 10 *quia*) *qui* C D. — *partis*) *a partis* D. — Deinde plura interponuntur in C D: *Item has* (ipsas D) *furias esse paulo post ipse* (idem D.) *testatur ut* (dicens D.) Ae. 3, 252: vobis furiarum ego maxima pando. *Furias autem canes dici, et Lucanus testatur dicens* (om. D.) *ut* 6, 733: stygiasque canes in luce superna destituam; *et in sexto Viriglius* (257, ut C): visaeque canes ululare per umbram adventante *(adveniente* D.) dea. — 11 *et aves)* Copulam omisit Maji cod; sed C D addunt: *ut ipse in duodecimo* (846) *ostendit.* — 12 *effig. inv.* C D, qui iterum addunt: *has Virgilius tres dicit, oello* (hello D), *oquipete* (occipite D), *celaeno; Apollonius duas, quem in XII Virgilius sequitur* (845, reliqua om. D) *ut*: sunt geminae pestes. *Strophades a conversione volatus, id est στροφή, nomen insulis dedit.*

Diversis modis haec fabula narratur a mythogr. III, 15, 3 et ab Hyg. f. 80. — *Dianisam*). Novum est hoc nomen. Lairam (pro quo *Ilairam* substituit Micyllus), *Dianae* sacerdotem vocat Hyg. Hinc orta est *Dianisa*. Hilaira (Ἱλάειρα) vulgo appellatur, Prop. 1, 2, 15, ubi codd. et *Elairam* et *Ilairam* offerunt. *Mollisenam* offert mythogr. III. (*Μνησίλεως* est Phoebes et Pollucis filius ap. Apollod. 3, 11, 2.), qui Zetypum rusticum utriusque filiae patrem laudat, quem Leucippum fuisse vulgaris est fama. Apollinis filias Cypricorum carminum auctor eas fecerat (Paus. 3, 16, 1, qui earum mentionem quoque facit 2, 22, 5. et 4, 31, 12. cf. praeterea Apollod. 3, 10, 3. et 3, 11, 2. Theocr. 22, 137 sqq. schol. ad Il. 3, 243 p. 109 a, 24 ed. Bekker. ad Pind. Nem. 10, 112 p. 782 ed. Heyne. Tzetz. ad Lyc. 511 p. 659 sq. Muell. Chil. 1, 48). — *Lyncei*) Hic *Sicidas* vocatur a mythogr. III. — 13 *videndi potestas*) ἀκριβὴς ὄμμασι Λυγκεύς Theocr. 22, 194. — 14 *telum*). De hoc telo inevitabili alii silent. Ejusmodi hasta erat Cephalo (supra 44). Caeterum apud Ovidium (F. 5, 711) Lynceus Castorem interficit (ita et Theocr.), Pollux Lyncea.

78. Cygnus et Leda.

Ledae virginis). Quemnam auctorem hic secutus sit mythographus de *virgine* Leda, non constat. Uxorem Tyndari cum reliquis scriptoribus laudat infra p. 64, 28; et sic mythogr. II, 132. — *fugere aquilam*) ὑπ' ἀετοῦ δίωγμα φεύγων Eurip. Hel. 20. — *Mercurium*) *Venerem* ad partes vocat Hyg. P. A. 2, 8 p. 441. — *ovum, unde tres*) Infra p. 64, 29 duo ova memorat idem noster, cum quo mythogr. III, 15, 3 facit, uterque iterum cum Fulgentio 2, 16 p. 694 et schol. ad Stat. Ach. 1, 180 p. 438 congruens. At mythogr. III p. 163 rursus cum nostro loco consentit. Nihil de ovo dicit mythogr. II, 132. Helenam solam illinc natam esse tradit Hyg. P. A. 2, 8 p. 442.

79. Schol. ad Lucan. VIII, 475 p. 639 ed Weber. Solinus 32, 17 p. 202. ed. Goez. Isidor. Orig. 8, 11 §. 86. ed. Arev.

Paulo fusius rem tradit Solinus, cum quo cf. Plin. N. H. 8, 46 § 184 ed. Sillig. — *Aegyp.*) *Nilus* Guelf. schol Luc. — 30 *quem*) omisit Solin. et Plin. — *Apin*) *Apim* codd. Solin. Plin. et schol. — 31. *albae macula notae* Maji cod; *notae albae macula* Solin. *macula albae notae* schol. Hinc correximus, etsi apud Plin. est *albicans macula*. — 32 *corniculatae lunae fac.*) *corniculantis l. speciem* Solin; illud confirmat Apulej. *de deo Socr.* p. 117 ed. Rulnk.; hoc Ammian. M. 20, 3. Luc. schol. verba transponit *fac. c. l.* — Taurum *lunatum* Isidis Apim appellat schol. Stat. Th. 3, 478 p. 104. Accuratissimam hujus tauri descriptionem vid. ap. Plin. l. l. et ap. Herodot. 2, 153. 3, 28. cf. Paus. 1, 18, 4. 7, 22, 4. Historicam in hac re explicanda iniit rationem Varro ap. Augustin. de civ. dei 18, 5. — 33 *ad*) om. schol. — *colit*) Mela 1, 9 hunc taurum

caelesti igni concipi ex Aegyptiorum sententia tradit. Hinc Paulin. Nolan. Nat. XI. S. Fel. ed. Murat. 85: *Aegyptus in Apide demens.* — *eo quod*) *quia* Guelf. schol. — 34 *signa*) *qui Aegyptiis motu corporis sui et quibusdam signis futura praedicit* schol. Stat. — *autem*) *etiam* et *enim* schol. Luc. — *Memphi*) schol. Stat: *Memphis* (ita et schol.) *nascitur*; sed leg. *Memphi*; *in Memphi* schol. Caeterum Prob. ad Virg. Ge. 1, 19: "Constat arasse, inquit, primum Osirim duobus bubus, quorum nomina nunc sunt sacra sub iis, qui religionis causa eodem vocabulo appellari videntur, Apis et Memphis; quorum alterum Memphitae colunt Apim, alterum Hieropolitae Memphim". — 35 *vitae*) *aevi* schol. — 35 *mersus*) *immersus* schol. et Solin; *mersumque in sacerdotum fonte enecant* Plin. — 36 *non*) om. schol. — 37 *etenim*) *enim* schol. — 38 *Memphim* schol. et Solin. et Plin. — *prosecuntur* cod. Maji. — *repente lymphati* Plin. — *praecinunt*) *procinunt* Plin. Chiffl. *ventura* addit Solin; *futura* Plin., qui tamen cum Solino hoc non sacerdotibus, sed pueris bovem gregatim sequentibus tribuit. — 39 *omina*) *omnia* est in Sol. Goez. Quae sequuntur desunt in cod. Guelf. schol. Luc. — 40 *clientis consulentis* schol. *consulentium* Solin; *Responsa privis dat, e manu consulentium cibum capiendo.* — *Hujus c.)* Hanc clausulam agnoscunt schol. Lucan. et Isidor.

80. Tydeus et Polynices.

Maji codex constanter scribit *Polinices.* — *Cassiopeiae*). Haec vulgo Cephei uxor est et Andromedae mater (Heyne ad Apollod. p. 309.). Tydei mater ab Apollodoro appellatur (1, 8, 4) Periboea, ab aliis Althea, vel Euryboea; v. Hyg. interpp. p. 139 Stav. Caeterum Scaliger ad Manil. p. 459 istud nomen ubique scribendum censet *Cassiepea*, non *Cassiopea*; atque sic Staveren scribit in Hyg. P. A. 2, 10 p. 443. Sed *Cassiopia* idem excudendum curavit in Lact narr. fabb. 4, 19 p. 815. *Καασιέπεια* est ap. Aratum 189 ejusq. schol. p. 86, 2. Bek. Vid. Hyg. interpp. p. 120. — *Melanippum*) Maji cod. *Maniplum. Menalippum* exhibet Hyg. f. 69 p. 139. et schol. ad Stat. Th. 2, 113 p. 50 et p. 25, cf. Heyne ad Apollod. p. 52. At *Melanippus* et Tydeus mutuis vulneribus concidunt in bello Thebano (Apollod.); in qua narratione schol. Stat. Th. 3, 544 p. 108 nobis iterum *Menalippum* offert. Sic et *Melanippe* et *Menalippe* saepius confunduntur. — De diversis hujus fabulae narrationibus vid. Heyne ad Apollod. p. 244 sqq.

81. Varro ap. schol. ad Stat. Th. 8, 198 p. 282 sq. mythogr. II, 85.

"Varro divinarum rerum de Brancho ita refert: *Olus quidam decimus ab Apolline quum in peregr.* etc." Ita schol. Sed mythogr. II pauca et variat et transponit in seqq. Incipit fere ut schol. qui, *Branchus*, inquit, *Apollinis est filius, et ipse futurorum peritissimus deus; ut Stat. alibi* 3, 478: Patrioque aequatus honore Branchus. — 17 *Synichr.*) *Simerum* Varr. — *Ille*) *qui* Varr. — *patroni*) *Patronis* B et Varr. — 18 *illius*) *suis* Varr. — 19 *prendiderunt*) *prehenderunt* Varr; *prehendiderunt* B. Istud mutare non audeo. — *illum*) *veste* addunt Varr. et B. — 20 *Dum*) *dumque* Varr; plane omisit B, qui legit: *Illi pugnando.* — *ut illum p. m. offerrent*) *uter . . . offerret* Varr; *uter patri illud munus offerret* B. — *et quum jam e.*) *et essent f.* Varr; *quum essent* B. — 22 *fugerent*) *territi* addit B. — 23 *Patron* Varr. et B. — *Simerum* Varr. — 24 *audierant* B. — *Patroni* B et Varr. — *Patron Simerum* Varr. — 25 *filio suo* Varr. — *nimio . . aff.*) om. B. — *suam ducendam*) om. B. — 26 *Illa ab eo impraegnata* B. —

27 *suas*) om. B. — 28 *ideo inf. ed.* Varr. — *natus* B. — 29 *in*) om. Varr. — *sibi uterum a sole viderat penetratum* B. — 30 *osc. fuisset* Varr. De re vid. Lucian. dial. Deor. 2, 2. et Strab. 14 p. 634 c = 941 b. — 32 *est*, *quod*) om. B. — 33 *nominatum* B. — *Branchiodon*) Leg. *Brachidarum vel Βραγχίδων*. Vulgo *Branchiadon*. Illud est apud Conon. narr. 33, qui posteriorem hujus fabulae partem et ipse enarravit, ac Branchi patrem non *Simerum* vel *Synichronem*, sed *Smicrum* appellat. Branchi originem Strabo a Machaereo Delphico, qui Neoptolemum Achillis fil. interfecerat, derivat (9 p. 421 c = 645 a.). De ejus oraculo idem Strab. 14. 634 b = 941 a: *μετὰ δὲ τὸ Ποσείδιον τὸ Μιλήσιον ἑξῆς ἐστὶ τὸ μαντεῖον τοῦ Διδυμέως Ἀπόλλωνος τὸ ἐν Βραγχίδαις*, cf. Callisthenem ap. Strab. 17. 814 b. = 1168 d. Plin. N. H. 5, 59 § 122 Sillig: "Posidonium promontorium et oppidum, oraculum *Branchidarum* appellatum, nunc Didymaei Apollinis". Hinc Curt. 7, 5: *templum*, inquit, *quod Didymeon appellatur*. Oppidum, quod et ipsum Branchidae vocabatur, Branchidarum gens sacerdotalis incolebat. *Θεὸς ὁ ἐν Βραγχίδῃσι* Herod. 1, 157. Paus. 9, 10, 2. vel *ἱερὸν ἐν Διδύμοισι* Herod. 6, 19. cf. Paus. 2, 10, 4. spoliatum Strab. 11. 517 d. = 787 c. — 33 *pariter phil.*) *philesio pariter* rectissime Varr; plane omisit B. *Ἀπόλλων φιλήσιος* Macrob. Sat. 1, 17 p. 304 Zeune; cujus tamen interpretatio "*quod lumen ejus exoriens amabile amicissima veneratione consultamus*" a veritate alienissima est. Vid. etiam Plin. N. H. 34, 8. — 34 *sive certamine puer* om. B. — Cf. sch. ad Stat. The. 3 479 p. 105.

82. Cf. mythogr. II, 56.

Elidis) Maji cod: *Elidorum*. Secundum Apollodor. 1, 9, 7 primum Thessaliam incolit Salmoneus, deinde Salmoniam (Steph. B. v.) urbem condit in Elide. — 40 *per aer. pont.*) Cod. *per aera*. Majus correxit. Etsi Serv. ad Ae. 6, 585 pontem memorat, Apollodorus tamen nihil de ponte dicit. — *faces*) Cod. *fasces*. Correxit Majus. — Hujus fabulae varietatem exposuit Heyne ad Apollod. p. 59.

83. Serv. ad Ae. 6, 582 et ad Ge. 1, 280. schol. ad Lucan. 6, 410 p. 460 ed. Weber. cf. mythogr. II, 55.

Ifimediam) C D. *Ifimidiam* cod. Bc. ap. Web., ubi et alia lectionum monstra apparent, *Estimiam* sc. et *Isimeniam*, et *Ismena* cod. B. La. — *Aloëus fluvius concubuit cum Terra i. Ope, matre deorum, et genuit Gigantes;* cod. Voss. 1 ap. Web. — 3 *duos pep.*) *pep. duos filios* Witt. et Voss. ap. Web. — *Othum* C. — *et*) om. D. — *efialten* C D. — *digitis*) "Voss. *singulis mensibus* (Witt. *cotidie*) *n. d. c*; Lc. *una quaque die tribus palmis crescebant*". Ita Weber. — 4 *ĭtaque*) C D; *Maji* cod: *namque*, quod in rasura est in Bc. F. ap. Web; Voss: *Unde sua magnitudine freti Jovem de superis regnis detrudere conati sunt*. Witt: *al. i. fr. c. voluerunt*.

84. Serv. ad Ae. 7, 678 mythogr. II, 184.

Haec fabula, a Catone olim tradita, hodie in Maji quoque Interpp. Virg. ad Ae. 7, 681 legitur: "Cato in Originibus ait, *Caeculum virgines aquam petentes in foco invenisse, ideoque Vulcani filium existimasse; et quod oculos exiguos haberet, Caeculum appellatum. Hic collectis pastoribus Praeneste fundavit*. Varro a Dipidiis pastoribus educatum, ipsique Dipidio nomen fuisse, et cognomentum Caeculo tradit libro qui inscribitur *Marius aut de fortuna*." — 14 *Prae-*

veste) Solin. 2 § 9 p. 42 Goez: "Praeneste, *inquit*, ut Zenodotus, a Praeneste Ulyssis nepote Latini filio, ut Praenestini sonant libri, a Caeculo, quem juxta ignes fortuitos invenerunt (ut fama est) Digitorum sorores". Gens Caecilia originem suam ab isto deducebat Caeculo (Fest. 3 p. 60 ed. Dac.)

85. Serv. ad Ecl. 6, 48. mythogr. II, 68.

Proethides C; *pretides* D. — *preti* C D. — *regis Argivorum* abest a C D. — *et stheneboeae* C D. Recte. Maji cod: *sanabilia*. Correxit editor. — *sive anthiopae* C D. — *secundum homerum* C; *sequundum* D. At Homerus *Antiam* vocat; vid. supr. ad 71. — *uxore ejus*) omittunt C D. — *natae*) om. C D. — 23 *nomina*). Haec omittunt C D; sed glossa eadem affert in edd. Serv: Lysippe, Ipponoë, Cyrianassa; Leg: Lysippe, Iphinoë, Iphianassa, secundum Apollod. 2, 2, 2. — Deinde C D pergunt: "Hae se quum Junoni in pulchritudine praetulissent, illa irata hunc errorem earum immisit mentibus, ut se vaccas putarent, adeo ut plerumque mugirent et timerent aratra. Has Melampus postea purgasse perhibetur".

86. Lactant. narr. fabb. 5, 5 p. 820 Stav.

Regis) *qui Macedoniam possedit* Lact. — *Enipes*) Leg: *Euippes*; Lact. et Ovid. Met. 5, 303. — *provocarunt* Lact. — 33 *adversos* in ed. Stav. — 34 *terruisse*) Leg: *terruisset* cum Lact. — *ubi Juppiter* Lact. — 38 *Aetnae montis silice*) Turpissimam librarius huic loco inussit maculam, quae citissime delenda est. Lege cum Lact: *Aetnae monti Siciliae*.

87. Serv. ad Ge. 1, 8 secundum quosdam codd.

Abest haec fabula a C D. — *Orista*). Novum nomen. Glossa cod. bibl. Leid. Serv. ad Ge. l. l: "Ovista filius Ynen regis pastor, *inquit*, quum videret caprum saepius a grege discere (discedere) et plenior (em) reverti, secutus uvam depascentem invenit, quam decerpsit ac gustavit. Cujus dulcedine inductus eam expressit; et quum humorem ejus bibisset, quem (*eum*) et suavem sensit, ac per hoc de Achilo flumine, in cujus ripa uva fuerat inventa, aquam miscuit vino; atque ita quum potum optimum fecisset, speciem uvae et potum optimum obtulit regi, qui (*quem*) quum ille probasset, uvam inventoris nomine vocari jussit, vinum Graeco verbo Ynon a suo nomine appellavit". Libarii errores e nostro mythogr. corrigendi sunt. Inde autem quod gloss. *uvam* inventoris nomine vocatam esse animadvertit, manifestum erit, *Uvistam* legendum esse, vel *Staphylum*, ut conjecit Munck. ad Hyg. f. 129 p. 233 Stav. Sane Staphylum (Bacchi filium, Apoll. 3, 996 ibiq. sch. Tzet. ad Lyc. 570 p. 681.) in hac re ipse memorat Serv. ad Ge. l. l. et Prob. ibid. — Orestes Acheloi fil. occurrit ap. Apollod. 1, 7, 3 § 5. — *Oenei*) Cod: *Oeni*. Oenus est nomen fluminum Norici et Laconicae (Tzetz. ad Lyc. 550 p. 678) et montis in Arcadiae et Sicyonis finibus siti.

88. Lactant. narr. fabb. 11, 3 p. 863, cf. Serv. ad Ae. 10, 142. mythogr. II, 117. III, 10, 8.

10 *in Tmolo monte*) *Tmolum montem Lydiae comitatus Bacchis peteret* Lact., ad quem l. Muncker: "Ita reposui, *inquit*, ex Ms. pro *Ciliciae*, quod perperam edd. repraesentant. Vibius Sequester: *Tmolus Lydiae, vino insignis*. Idem: *Hermus Lyciae*. Leg: *Lydiae*". Adde Solin. 40 p. 238 Goez: *Mons Lydiae* Tmolus, *croco florentissimus*. — 11 *nutritor ejus*) *ei aufugit* Lact., ubi Staveren: τὸ *ei*, inquit, deest

Colon. sed et facile deleri potest, nisi substituas *eum.* Vid. Muncker. ad Hyg. f. 258'. — *a Phryg.*) *quem Phryges captum ad Midam regem adduxerunt* Lact. — 12 *Silenus autem*) om. Lact. — 13 *acceptus est*) *exceptus est* Lact; quae verissima est lectio. — *Est ob ben.*) Ms. cum vett. edd. Lact., ubi recentiores scripserunt: *Quod ob beneficium.* Muncker conjicit: *id ob ben.* — 14 *arbitrium*) *optandi .. veniam* Lact. quod Muncker explicat per potestatem vel *χάριν*, atque affert Prudent. hym. ad Cer: *Fit ligni venia mel velut Atticum;* infra 14, 4: *optandi veniam tribuit.* Hyg. f. 191. Salust. Jug. 79. Vict. Ill. 2. — *petere*) *peteret* Lact. — 15 *Ille ut quaeque contigisset aurum fierent* Lact. ed. Venet. cum Ms; quae haud dubie manca sunt. Micyllus dedit: *Ille ut quaeque contigisset aurum fierent petiit.* Muncker proponit: *Ille petiit, quaecunque contigisset, aurum fierent.* — *Quod*) *ei* addit Lact. — 16 *Nam . . . efficiebatur*) desunt Lact. — 17 *Cui petenti*) *Cui deus pet.* Lact. — 18 *ut*) omisit Lact. — 19 *cui se supponeret*) *Ibique se lavaret* vulgo ap. Lact., ut dedit Raenerius. Venet. et Micyll. cum Ms: *se supponeret.* Sed depravatum istud esse Muncker judicat, qui proponit: *ejusque fonti se supponeret.* — 20 *Quo f.* etc.) Lact: *unde aqua aurei coloris esse coepit* ex edd. conjectura. Ms. *esset* cum Venet. Muncker conjicit: *extitit.* Caeterum haec clausula leg. etiam ap. schol. Cruq. ad Hor. epod. 15, 20 et ap. schol. ad Lucan. 3, 209 p. 205 Weber.

89. *Post mortem Ul.)* Hanc temporis definitionem unde hauserit myth. me plane fugit. — *Penelope*) Herod. 2, 145. Hyg. f. 234. — *sibi*) Expectaveram *ei* i. e. *Mercurio* — *Tegeam*) Il. 2, 607. Cod. *Tegeum*, quod Majus retinuit. — *Tegeeus)* Vulgo *Tegeaeus.* Interpp. ad Ovid. F. 1, 545. 627.

90. Lactant. narr. fabb. 11, 4. mythogr. III, 10, 7. Fulg. 3, 9 p. 726.

23 *oblectaret*) Lact. subjungit: *elatus gloria agrestium Nymharum.* — *evocavit) devocavit* Lact., qui deinde pergit: *Judice ergo Tmolo, cujus mons erat, quum Ap.* etc. — 30 *regi) supra dicto* addit *Lact.*, quod Muncker magno molimine defendit. — 30 *deus iratus.*) Ita Ms. et Venet. Sed vulgo legitur: *Apollo ob eandem stultitiam, quam et supra gesserat in Liberi patris voluntate, iratus.* — 31 *aures ejus asininae ut essent sempiterno effecit* Lact., ubi Muncker istud *sempiterno* exemplis allatis illustrat. Reliqua hujus fabulae pars abest a Lact. codd., sed apparet apud Fulg. 3, 9 p. 726 et mythogr. III, 10, 7. — *Ille) Is* L M. — 32 *praec. ei*) *promittens* Mod. *ei* (eique L) *ut taceret partem pollicens regni.* — 33 *defodit, et inde fossae terrae d.* L. *et in defosso rem d.* M. — 32 *ejus)* Immo *suum* est in Cod. Leid. Fulg. — 34 *defosso terrae*). Non satis placent haec, etsi Fulg. auctoritate firmata. Leg. *in defossam terram.* — 37 *Quidam)* Ut mythogr. II, 116. et alii quos afferunt interpp. ad Fulgent. 3, 9 p. 731. — 35 *pastor*) *quidam* addit L. — *fistulam* L. — 36 *quae percussa sonuit* L. *rex*, inquit, *Mida* M. — 37 *Marsiam* B M constanter.

91. Lactant. narr. fabb. 6, 1 et 2 p. 825 et 827, cf. mythogr. II, 70.

Hippopes filia) Maji cod: *edmonis et Hippopis fil.* At legendum est cum Lact: *cujus mater genita Hypaepis;* Ovid. enim Met. 6, 13: *parvis habitabat Hypaepis.* Unde Heins. et Raener: *Hypaepis urbe*

parva genita. De hac urbe agit Paus. 5, 27, 4, et Mannert. 6, 368. 382. — 3 *quumque*) Copulam om. Lact. — 4 *festis diebus*). "Sic et Veneta et Ms. Perperam Micyll. *istis diebus.* Raenerius utramque vocem omisit". *Muncker.* — 5 *gloriata est) gloriabunda, q. m. decuit, elocuta est* Lact; quo loco Muncker illud *elocuta est* exemplis illustrat. — 5 *Minervam) a qua docta fuerat* addit Lact. — 6 *inter) in* Lact. *Eo consilio* dicendum erat mythographo, vel *ob hoc.* — 7 *venit*) *venerat* rectissime Lact. — *audaciam*) *audaciae impetum odio futurum comp.* Lact., ubi Muncker: "Haec, *inquit*, est lectio Micyll. editionis. Venet. et Ms. *otio futurum.* Legerim *exitio futurum.* Raenerius duas istas voces omittit". — 8 *in certamine).* Ita et Veneta et Micylliana. Ms. *in certamine propositum*, quod deinde mutatum est in *proposito*, ut hodie legitur in edd. — 9 *op. proposito)* Colon. *posito.* — 10 *pulsa*). Ita Veneta quoque ed. Lact. Sed cod. Neapol. *compulsa.* Vulgo *percussa.* — 11 *Sed in ultimo casu, propt. st., quod a dea acc.* Lact. — 12 *suum*) Leg. *sui* cum Lact. *Effectus* h. l. est utilitas. —

92. Fulgent. 1, 27 p. 659, mythogr. II, 154. III, 13, 3.

Atmetus G constanter. — *Alcesten* A M; *Alcestem* E; *Alcestam* B G L N; *Alcestim* Hyg. f. 50 et 51. et Albri. 22 p. 932 Stav. — *in*). Haec vox in rasura est in E. — *conjugium* L M. — *petit* G. — 16 *proposuit* B. — *sibi*) om. L M. — 17 *suo curru)* Leg. *currui* cum B E G L N; *currui suo* M. — *adjungeret* L M. — *accepisset* E G; *is eam conjugem duceret* (*acciperet* L) M; *ipse)* om. B. — 18 *Is)* om. B; *is igitur Adm.* E G; *Adm. igitur* L M N. — *atque) et* B G M L. — *petiit*) *petit* A; *in auxilium poposcit* B; *auxilio pop.* M. — *qui*) *et* E G; *illique ad currum ejus* L M N. — 19 *aprum et leonem* L. — *Itaque*) *Ita* B; *Is itaque* L M N. — *Alcestam* B E G. — *conjugium*) *conjugio* E G; *conjugem* L M N. — 20 *Quumque* B E G L M N. — *Admetus decidisset* E G; *caderet* B; *cicidisset* L. — Sequentia B variat. — 21 *Apollinis miserationem precatus est*, (*invocavit* Albr. 22 p. 932) *qui respondit*, (*cui sic r.* Albr.) *nil se ei p. p.* M; *se nil ei conferre posse* L. — 22 *si*) om E et Albr. — *quis* (*aliquis* Albr.) *de prop. se* M; *pro eo de pr. se morti* (sic et M) *vol. ob.* L et Albr. — 24 *q. u. ejus libentissime facit* L M N; *fecit* E G. — 24 *Tricerberum*) *Cerberum* L M. — *canem*) om. L M; *ad abstrah. Cerb. ad inferos desc.* L. — *de*) E G; om. Maji cod. — 26 *levat*) *reduxit* L M N. — De reliquis vid. ad II, 154.

93. Schol. ad Stat. The. 3, 353 p. 99. mythogr. II, 140.

Meropes) *Bithynis* Apollod. 1, 9, 20; *Bithynis Melie* Apoll. Rh. 2, 4. cf. schol. ad Eur. Or. 930. Hyg. f. 17. p. 60. Val. Flac. 4, 118. Ovid. am. 3, 6, 25. Prob. ad Ge. 3, 1. Serv. ad Ae. 5, 373. schol. ad Stat. l. l. — *Merope*, Amyci mater, infra I, 107 recurrit; et apud mythogr. II, 140 *Melope* vocatur. Nihil mutandum esse conseo. *Bebr*) *ciorum*) Ita et infr. 1, 107 et schol. Stat. Hic Bithyniae populus vulgo *Bebryces* appellatur; *Bebrycii* novum est. — 30 *effracta*) Quaenam ista est lex? An legere praestat *efferata*, vel *effrenata*, vel *fera lege?*

94. Vid. supra 53 et Hyg. f. 260.

Neptunus). Vid. Apollod. 2, 5, 10 § 11 et Serv. ad Ae. 10, 551. Tzetz. ad Lyc. 866. 958. 1232. — Butes Argonauta a Venere servatus

(Apoll. Rh. 4, 914) Erycis pater est ap. Steph. B. v. Ἔρυξ, schol. ad Theocr. 15, 101. Diodor. 4, 13. Tzetz ad Lyc. 175 p. 437 Müll. — *in Sicilia regn.*) Elymorum imperium tenebat Eryx circa monten Erycem, ubi et urbs Eryx erat condita (Thucyd. 6, 3. Steph. B. etc.) — *Hercules*). Paus. 3, 16, 4. 4, 36, 3.

95. Serv. ad Ecl. 8, 55, mythogr. II, 172.

cytharedus D. — *atarenti* C. — *cum multis opibus peteret* B C D. — *et videret sibi i. m. t. insid. a. n.* B; *a nautis insid.* C D. — *petit* A C D. — 4 *ut) quod cythara* D. — *paul. caneret* B C D — 5 *Quo facto* etc.) *Ad cujus sonum quum* etc. B C D. — 6 *se exc.* B — *super*) Leg: *supra* cum B C D. — *ita ad Taen. lit. vectus)* om. B. C D. —

96. Serv. ad Ecl. 9, 13, mythogr. III, 3, 9.

Epiro) Majus *Cypro!* Illud est in C D; *in nemore Epirotico* H L M N. — *finguitur* C. — *thessala* C H L M; *tessala* D; *thessalica* A L. — *peliades* omnes codd. — *et vatic.*) Copulam om. C L. — *vocantur* C D H L M N.

97. Schol. ad Stat. Th. 4, 570 p. 147, mythogr. II, 74.

Nyctei) Nyctaei schol; *regis* addunt schol. et B, qui et Epaphi parentes affert; cf. Hyg. f. 7 ibiq. interpp. — *Epapho*) *Epopeo* legendum esse censuerunt Hygini editores secundum Apollod. 3, 5, 5 § 5. schol. Apoll. Rh. 4, 1090 et Paus. 2, 6, 2. Cf. Heyn. ad Apollod. p. 237. — 17 *est ejecta vi* schol.; *vi* om. Hyg. et B, qui *quam pulsam*, inquit, *Juppiter in Satyrum, vel ut alii dicunt, in taurum versus compressit et gravidam fecit.* Hoc Jovis facinus et schol. Stat. Th. 9, 423 p. 320 et mythogr. p. 64, 7. tradunt. At idem schol. ad Ach. 2, 66 p. 442 Jovem in habitum Dianae se vertisse narrat. — 18 *Dyrcen* schol. et Majus. — *uxorem*). Plura hic excidisse et Hyg. et schol. et B fidem faciunt, addentes: *cui* (*quum* addit B) *suspicio incidit* (*incidisset* B), *virum suum* (*Lycum* addit B) *clam* (om. B) *cum Antiopa* (*prius amata* addit B) *concubuisse. Itaque* (om. B.) *impetravit* etc. — *a famulis* schol. — *Antiopam*) *eam* schol. et Hyg; *pelicem* B. — 19 *postquam . . . instabat* Hyg., qui sequentia variat. — 20 *cinc. eff.* B. — *Citherone* schol. *seu Aracyntho*) deest B et schol. — Virgil. Ecl. 2, 24: *Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho.* cf. Prop. 3, 13, 41. et Prob. et Serv. ad Ecl. l. l. Steph. B. v. Acarnaniae mons est ap. Plin. N. H. 4, 2 § 6 Sillig, et ap. Solin. 7, 3 p. 72 Goez. — 21 *partus* B, qui sequentia variat. — *natosque*) Copula deest schol. — *Zetum* sch.; *Zeton* Hyg. — 22 *quidam*) om. schol.; sed Hyg: *Quos pastores p. s. educarunt.* Omnino desunt haec B. — 23 *quum*) om. schol.; qui habet *agnovit*, at Hyg: *Qui postquam matrem agnoverunt.* — *illi*) *qui* schol. *illi . . . . . interfec.* absunt ab Hyg. — 24 *ad taurum indomitum deligatam* Hyg. — Reliqua desiderantur in schol. — 25 *sanguine*) *corpore* Hyg. — *palus*) Immo *fons.* — *citharae*) *Lyrae* mentionem facit B et Prob. ad Ecl. 2, 24. Male! — *citharizare*) Corn. Nep. Epam. 2, mythogr. III p. 210, 5, — 27 *montes et silvas ac saxa ac lapides*) Quanta haec est confusio! — 29 *Zethus*). De hac *Zethi* arte nil vulgo traditum reperimus. — 30 *Dircaeus Amph.*) Simili ratione Hor. 4, 2, 25 Pindarum vocat *Dircaeum cygnum*, ubi cf. Arcon. et schol. Cruq.

98. Serv. ad Ge. 1, 403. Copiosius fab. narrat mythogr. II, 39.

Nyctymene A; *Nictymone* C; *Nictimine* D. — *rem habuit*) *concubuit* C D. — *facinus*) *esse* addit C. — *in silvis se abd.* C. — *deorum voluntate* C; *per deorum voluntatem* D. — *omnibus avibus* C D. — *admirationi*). Immo *abominationi*.

99. Serv. ad Ge. 1, 437 et ad Ae. 5, 823; cf. mythogr. II, 168.

Anthedone civ.) Ita D; sed C *antenode;* A et Majus *Athedone*. At ejusmodi errores haud raro inveniuntur. — *in littore* C. — *illi*) *illic* D. — *rursus pet.* recte C D. — De variis hujus fabulae narrandae rationibus vid. Obss.

100. Serv. ad. Ge. 3, 268, mythogr. II, 72.

Potnia) Maji cod. *Othma*. Illud praeter C D Probus quoque repraesentat ad Ge. 3, 255. Vulgo Potniae, ut ap. Paus. 9, 8, 1. Steph. Byz. v., quod Burmannus restituere volebat Servio. — *equabus*) *ejus* addunt B C D. — *fororem*) Leg. *furorem*. Erravit typotheta. — *et eum*) *quae mox* B, qui om. *morsibus* et reliquam fabulae partem. — *laceraverunt* C. — *hoc autem* C D. —

101. Serv. ad Ae. 1, 505, mythogr. II, 67.

Nostri codd. hanc fabulam non agnoscunt. — 11 *nomine*) om. B; verba transponit Serv. — *impatientis*) Serv. codd. *impatiens;* editiones *impotens*. — 13 *atque animalia*) perperam om. B; Serv. insuper addit *omnia*. — 14 *vocaret*) *convocaret* B et Serv. — *quibus*) *Quo facto* B; *sed omnibus quos Mercurius monuerat convenientibus, sola Chelone, irr. et detr. n. nectens moras adesse contempsit* Serv. — 15 *venire*) *nuptias adire* B. — 16 *venisse notavisset* Serv. et B. — *denuo*) *jussu Jovis* B. — *aedes*) *moenia* B. — 17 *Chelonis*) Leg. *Chelones* cum B et Serv. — *super*) *supra* B et Serv. — *mare*) *fluvium* Serv., quod praeferendum est. — *ipsamque* recte B et Serv. — *vertit* B et Serv. — *nos*) *Latine* addit B et Serv. — 19 *fecitque ut* etc.) *et, ut ... portaret, fecit* B. — *pro poena*) *ad poenam* B; *velut damnum suum* addunt Serv. codd., quod edd. mutarunt in *domum suam* — *prona*) om. B. — 20 *unde et* B. — *impositum* est B et Serv.

102. Fulg. 1, 2 p. 626, myth. II, 1. III, 1, 9.

Pollucis.) Ita E M L N; *Polluris* A B G H. Illud reperitur etiam ap. anonym. auct. in Scaligeri Lectt. Auson. 2, 29, atque confirmatur a Fulgentio (cf. myth. III, 1, 9.), qui *Pollucis* (Polluris G.) *filius*, inquit, *sive a pollendo, sive a pollucibilitate*. Idem paulo inferius (cf. myth. III, 2, 6 fin.): *Pollucis* (Polluris G.) *quasi poli filium*. Error satis antiquus est, quo *Pollucem* pro *Tellure* acceperunt. Patrem sane intelligit B, qui habet *Caeli vel Polluris fil.* — Polluces, non Pollux. Castoris etiam frater appellatur a Plauto in Bacch. 4, 8, 52. cf. Varr. L. L. 4, 10 fin. *Acmona* Croni patrem vocat Eustath. ad Il. p. 1150, 59. — *Opis*). Vid. interpp. ad Hyg. f. 139 p. 243, et Staver. ad Fulg. p. 627. — *ferens*) Ita et B E G. Fulgentii edd. perperam *gerens*. — *sic*) i. e. *falcem ferens* etc. — *tres filios*). Omittit filias Vestam, Cererem et Junonem. — *Juppiter p. n. resecavit*). Confundit auctor hic et f. 105 celebratum istud Saturni facinus in Caelum patrem commissum cum Tita-

nomachia, qua Saturnus cum reliquis Titanibus a Jove victus ac in Tartarum detrusus est. Recte tamen sentit noster 104 et Serv. ad Ae. 3, 707 et 5, 801, ubi aperitur etiam fabulae sensus. — *nata est Venus.*) Erinnyes quoque inde natas esse Hesiod. Theog. 185 sq. Apollod. 1, 1, 4 et alii tradunt. Cum nostro facit Serv. ad Ae. 3, 707. — *sibi divis.*) Serv. ad Ae. 1, 139. — *infernum.*) *Infernus* vox est Christianorum theologorum, quae etiam in paucis codd. Non. 4, 226 (est locus Varronis) reperitur. *Inferni* (Prop. 2, 1, 37 et 2, 21, 49) et *inferna* (Tac. H. 5, 5. et Senec. Her. F. 423) magis nota sunt vocabula.

103. Serv. ad Ge. 3, 93. mythogr. II, 62.

Dum) omisit D. — *filira* C; *philira* D. — *rem haberet*) *cohiret* C; *coiret* D. — *Opis* C, ut et alibi. — *veritus*) *timens* B. — *convertit se in eq. . . . qualem.*) Ita C D; Majus: *quale.* — *potuit numen* (nomen D) *imitari* C D. — Clausulas diversissimas reperies ap. B et C D. Hi *sane Opis* (ops D), inquiunt, *quum de uxore Saturni dicimus,* o *corripitur, ut opis* (ops D.) *opis; quum vero de nympha dicimus opis,* o *longa est, ut* (Virg. Ae. 9, 867): Opis ad aethereum pennis aufertur Olympum. — *adinventor*) ἐφευρετής ap. Cyprian. ep. 68, 10. Vox rarissima.

104 Serv. ad Ae. 3, 104, schol. ad Stat. Ach. 2, 190 p. 446, mythogr. II, 16. III, 15, 10.

Themideo). Novum adjectivum. *Themide* C et schol.; *Themi dea* D; *habuit in responsis a Themide* M. — *postquam . . . comperit* C D et schol. — 13 *ex rea* D. — 14 *ejus*) om. C D et schol. — 16 *coribantes* C D. — *tinnitu aeris*). Ita C et schol.; *tin. aeri* D. — Majus *tonitru*, omissa voce *aeris.* — 17 *deûm* C D. — Quae sequuntur desunt C D et schol. — *ejus*) Leg. *suum.* — *Nymphis*). Hinc emendandus schol. ad Stat. Th. 4, 785 p. 158. — *gemmam*) *lapidem* M et Hyg. P. A. 2, 43 p. 499. Serv. ad Ae. 8, 322. μέγαν λίθον Hes. Theog. 485; *veste involutam* add. schol. Stat. Th. 4, 785 p. 158. — 20 *celsam*). Ita A; pro quo Majus conjecit *caelatam*, quod non displicet. — *Abidir*). Ita et M. Vulgo apud Prisc. 5 p. 647, 47. cf. 689, 45 et 747, 14. scribitur *Abadir.* Plurali numero *Abaddires* dixit Augustin. ep. 17 ad Max. Madaur. Graeci hunc lapidem βαίτυλον vocant; Etym. M. Gud. Phavor. Hesych. et Zon. v. cf. Zoëga de obel. p. 201. — *cujus nat. s. v.*) Res profecto maxime mirabilis!

105. Juppiter, Saturnus et Venus.

Venus nata). De hac re diximus supra 102. — 28 *latuit*). Inde *Latium* dicta est terra; vid. mythogr. II, 1. Serv. ad Ae. 1, 6. 8, 322 (ubi Varro laudatur). 12, 820, ibique Catonis Origines et Saufeji sententi. de *Cascis* seu *Aboriginibus.* Saturnum Italiae imperium tenuisse (Serv. ad Ae. 7, 179 Fulg. 1, 2 p. 627) cum Jano, postquam a Jove e Creta expulsus fuerat, aliorum scriptorum est opinio; Serv. ad Ae. 8, 319. — 32 *Ζεύς*) Serv. ad Ae. 1, 388: *Nihil est aliud*, inquit, *vita quam reciprocus spiritus; unde et Juppiter, quo constant omnia, Ζεὺς vocatur, ἀπὸ τῆς ζωῆς, id est vita.* Cf. mythogr. III, 3, 1. Serv. ad Ae. 1, 47 et Fulg. 1, 2 p. 629.

106. Mythogr. II, 161.

Prior hujus fabulae pars nova est. — *uxor duc.* B. — *traditur*). Haec nec Latina sunt nec vera. Lege *traditur Terra genisse ferens aurea poma cum ramis;* vid. B. — *Inde*) *Quae Juno admirans petiit*

B. — 38 *usque ad*). Leg. *juxta* cum B. Schol. ad Lucan. 9, 357: *juxta Lethon hortus fuit Atlantis, cujus Hesperides sunt filiae.* — 38 *Cujus Atlantis autem* B, qui deinde nomina profert. — Reliqua consentiunt cum 38 supra. — 40 *Hercules* etc.) Vid. ad II, 161 et schol. ad Stat. Th. 2, 280 p. 58.

107. Fulgent. 1, 3 p. 630 sq. cf. mythogr. II, 9. III, 5. 1.

v. 2. *nube tonans*). Haec derivatio a Fulgentio et mythogr. II et III aliena est; sed legitur apud Isidor. Orig. 8, 11, 38 p. 382 Arev. Varro Neptunum vocatum ait, quod terras *obnubat*, a nuptu, id est opertione (4, 13); cf. Isidor. Orig. 13, 7, 2 p. 113 Arev. — 3 *Ποσειδῶνα*) Majus *Posidonium*, ut H; *possidonian* E; POSIDONAM exhibet G, qui cum E addit: *quasi pionidonan, quod nos latine facientem imaginem dicimus* etc. Eandem etymologiam habet mythogr. III, sc. *ποιῶν εἰδη*. — 4 *propter aquarum elementa*.) Quomodo hoc Neptuni officium cum ejusdem etymologia *nube tonans* conciliari possit, difficile est intellectu. — 5 *natura*) om. B H L M N. — *ut sit*) *id est* E G; plane om. B. — *sunt enim* (sc. aquae) *liquidae* etc. — 6 *Huic*). Ita et G; sed E *hinc et*, *huic autem* L; plane om. B. — *Neptuno*) om. H L M. — *Amphitriten* B; *Amphitrididem* H; *Amphitritidos conjug.* L M; *amphitridem* E G. — *conjug.*) *uxorem* B. — 7 *deputamus* H L M. — *circumcirca*) *circum* B H L M. — 8 *omnibus*) om. B H L M. — *tribus*) om. E. — (*Qui Neptunus* etc.) Pro hoc appendice (vid. supr. 93.) ab hac fabula alienissimo Fulgent. et myth. III aquarum, reliqua elementa circumdantium, rationem dilucidant.

108. Fulgent. 1, 4 et 5 p. 631 sq. mythogr. II, 10 sq.

Terrarum praesul.) Mythogr. III, 6, 1. — *Orcum*) Isidor. Or. 8, 11 § 42 p. 383 Arev. Aliam etymol. vid. ap. mythogr. III, 6, 1. et B. — *abditum*) *abdicatum* E G; edd. Fulg. *addictum*, quod docte defendit Muncker. Illud glossa explicat per *adjunctum*, *traditum*. Rationem autem, cur Pluto tenebris addictus sit, hanc reddunt E G et mythogr. III, sc. *quod sola terrae materia sit exactis elementis obscurior.* — *Hujus pedibus*). Mythogr. III, 6, 22. — *accidenti*). Haec per partes explicantur a reliquis mythographis.

109. Fulgent. 1, 6. mythogr. II, 12. III, 6, 23. schol. ad Stat. Theb. 1, 477 p. 28.

dictas Eumenidas) omittunt E G et schol. — B et hoc et plura de Furiarum genealogia habet. — *esse . . . deservientes* schol. — *Alecto*) *Allecto* A B; *Alecto quae* schol; *allecto*, *allecto enim* E G; *id est* B; plane om. H L M N. — *Tisiphone.*) Graeca proferunt reliqui libri, quos cf. — *altera* vel *secunda*, et paulo post *tertia* desideratur in hac fabula, pro quibus numeris E G bis exhibent *autem*, quod edd. in *alia* et *tertia* mutarunt. Tisiphone per *ultrix vox* redditur a schol. ad Luc. 6, 730, et per *furibunda vox* a Fulgent. p. 758. — *thesiphone* A L. — Aliam explicationem tentavit Isid. Or. 8, 11 § 95 p. 393 Arev. — *Hae pro crin.* etc.) Pro his prolixiorem nominum istorum interpretationem exhibent reliqui libri. —

110. Fulgent. 1, 7. mythogr. II, 14. III, 6, 23.

Parcae ... nulli parcant). Vid. Serv. ad Ecl. 4, 47, quem tamen locum mei codices non agnoscunt; sed legitur quoque apud Isidor. Or. 8, 11 § 93. — *Clotho* etc.) *Unde est* praemittit B. Hunc versum omittunt Fulgentii codd. et Lactantii Instit. 2, 10 p. 246. Buenem.; ac recte quidem omittunt tamquam ἄμετρον. Homerum auctorem laudat mythogr. III. — *bajulat*) *bajolat* B et L. Doederl. Synonym. 1, 151. — *evocatio* etc.) Schol. ad Lucan. 2, 15 p. 109 sq. Weber. — Plura de his offerunt mythogr. II. III.

111. Fulgent. 1, 8, mythogr. II, 13.

Stymphalides). Vid. supra 56. — *in inferis vigiliis deputantur*) *inferis Virgilius deputat* Fulgent. rectissime. Virgilii locus est Ae. 6, 289. cf. Serv. ad Ae. 3, 209. — *Ocypete*) *Ocypite* A B; *ocypaeto* G. — Pro *Aello* Hyg. p. 14 *Podargen* habet. *Aellopum* vocat idem Hyg. f. 14 p. 49. — *Celaeno*) *Acheloë* Hyg. De hoc nominum varietate vid. Apollod. 1, 9, 21 § 7 ibique Heyn. Tzetz. ad Lyc. 167. schol. ad Il. 16, 150.

112. Fulg. 1, 9, myth. II, 15 et 25. III, 7, 1.

Ceres enim) *graece* addit G, omittit E. *Graece χαῖρον* explicat Majus. Indicaverat Muncker. — *Haec et Vesta* etc.) Haec et reliqua absunt a Fulg. — *Duana*) Isidor. Or. 8, 11, 56 p. 386 Arev. schol. ad German. Progn. fr. p. 111 Buhle. — *Virgilius*) Ae. 4, 511. ibiq. Serv. et Isidor. l. l. § 57. — *Latonia virgo*). Alludit mythogr. ad Prudentii versus (contra Symmach. 1, 365 sqq.), a myth. II, 25 allatos, cf. schol. ad Germ. p. 111. Buhle.

113. Fulg. 1, 11, mythogr. II, 18 sqq. III, 8, 1. Isidor. Or. 8, 11 § 53 sq.

v. 12 *ponunt*) *voluerunt* E G, qui etiam etymon *τοῦ Ἀπόλλωνος* indicant, ut est ap. mythogr. II, 19. III l. l. et schol. ad Germ. Arat. p. 109 Buhle. — *Hunc etiam* E G. — *eo quod*) *seu quod* etc. E G, qui duplicem rationem reddunt, quae extat etiam apud myth. II, 19 et III p. 202, 25. — 13 *manifestat* E G B L M H et schol. Germ. — *in lucem*) om. B; *in luce* schol. Germ. — 14 *solum*). Hanc derivationem non agnoscit B. Affert eam et schol. Germ. — *Titanem*) *Titan* Isid; sed. leg. *Titanem* sive *Titanum*; nam utrumque dicitur, et *Titan* et *Titanus*. — 15 *qui adv. Jov.* etc.) Serv. ad. Ae. 6, 580. Caeterum haec et quae sequitur sententia desideratur apud Fulgent. — *Ipsum Phoeb.* etc.) Hinc corrigendus est mythogr. II, 19. vid. Isidor. § 54. Aliam derivationem tentavit Cornificius apud Macrob. 1, 17 p. 300 Zenne. — 21 *quadrigam adscribunt*). Hae voces exciderunt apud schol. Germ. — *scribunt* E G, quod tuetur Muncker. — 22 *quod quadrifido* etc.) Alteram causam Fulgent. ita profert: *quod aut quadripartitis temporum varietatibus anni circulum peragat, aut quod quadrif.* etc. Noster contraxit et vices mutavit. — Mythogr. III et schol. Germ. post *peragat*, addunt: i. e. *verni* (veris), *aestatis*, *autumni et hiemis*. — *metiatur*) *metitur* pessime schol; qui deinde cum E G pergit: *Unde et ipsis* (*ipsius*) *equis condigna nomina posuerunt*. (Vid. infr. II, 21. III 8, 6.) Haec vel simila h. l. excidisse videntur. — 23 *Aethon*) *Actaeon* E G; *acteus* H; *acurteon* L. — Alium horum nominum ordinem exhibet Fulgent. et alii scriptores. — 24 *Lampus*) *Lampos* E; *Lampro* schol. Germ. — *eritreus* E G; *ericteus* L. *rubeus*). Ita L quoque *rubeus* H M N; *ruber* schol. Germ. — 25 *sol*) excidit apud schol. — 26

splendens) *lucidus* schol. Explicationes horum nominum sunt apud reliquos scriptores a nobis laudatos. — 27 *occasui* schol. — *vespere*) *horae nonae proclivio* (proclivior E) *vergens* E G et schol; qui tamen recte legit cum B *nona hora*. — *sol*) om. B E G — *pronus*) om. B. —

114. Fulg. 1, 14, mythogr. II, 24. III, 8, 18.

Magis succincte enarrata sunt a nostro myth. quae Fulgentius uberiore explicatione persequitur. B verborum ordinem subinde variat. — 31 *adiciunt* A B E G. — *quia*) *ea de causa quod* B; *illa videlicet causa quod* E G. — *sunt*) *sint* E G, qui cum reliquis Fulg. codd. h. l. plura inserunt, quae B ex parte agnoscit. Numeros et Graecas voces noster in seqq. item omisit. A B tamen artes et scientias a singulis Musis inventas singulis adscripserunt, quae explicatio abest a Fulgentio. — 33 *cognitio*) *cogitatio* B E G H L M N, quod verissimum judico. — 37 *multam memoriam faciens* E G; *plura recordans vel multae memoriae* B. — 39 *instructionem formans* B. — 40 *sonoritas caelestis vel bona vox* B.

115. Hygin. P. A. 2, 40, Fulg. 1, 12. schol. ad Germ. Arat. 427 p. 88 ed. Buhle; cf. mythogr. II, 22. III, 8, 14.

v. 3. *tutelam* E G. De re ipsa v. Albric. p. 902. Stav. — *ponunt*) *volunt* G. — *sive*) *vel* H M; plane om. L. — 4 *contra flagrantium rerum naturam* L. — *ipsis*) om. B H L M. — *aestivis*) *aestatis* L. — *ovipar. p. f.*) *foetus ova pariat* B; *ovipares* etc. G; *producat* H M; *producit* L, qui *foetus* om. Deinde Fulgentii codd. subjungunt: *Unde et Petronius* (fr. p. 878 Burm. ed. II):

Sic contra rerum naturam munera notae
Corvus maturis frugibus ova refert.

— *sive quod*) *vel quod* H M; *verum etiam quod* L, qui tamen cum reliquis myth. III codd. in seqq. diversam sequitur narrationem. — *oroscop. lib.* E. — *libris*) E G addunt: *secundum Anaximandrum sive etiam secundum Pindarum.* Quae deinceps leguntur apud nostrum, extant apud Hyg. l. l. — 8 *a fonte*) sc. aquam petitum. Maji cod. *aquarum.* Schol. Germ. *ad fontem* sc. missus; quam lectionem tueri conati sunt Muncker et Staveren. — *arbores . . . immaturas*). Ad arbores rettulit auctor, quod proprie de ficis erat dicendum; quae ratio offendit Schefferum. Sed nihil mutandum est. Ovid. Fast. II, 253 sqq. eandem fabulam tradit, laudatus a myth. III, 8, 14. — 9 *naturescerent* Maji cod. — 11 *compluribus* Hyg. — 12 *vidit*) *eum* addunt Hyg. edd; sed abest ab Hemst. cd. — 13 *amisso*, Hyg; *admisso ejus* i. e. *peccato.* — *dixit se*) *dicitur quod diu moratus sit* etc. Hyg. At haec constructio: *dicitur . . . Apollinem . . affecisse* Latina non est. Legendum saltem est cum Hemsterh. *Apollo* pro *Apollinem. Pro* i. e. propter cratera amissum. — 16 *posset* Maji cod. — Hic plura de Cratere ad sidera relato inserit Hygin. — *Istrus*). Ita correxi pro *Histrius*, quod est ap. Majum et in Veneta et Vitt. 3. Hygin. ubi et *Ister* et *Histrus* libri repraesentant. Graecam terminationem recte tuetur Muncker. Ἴστρος rerum et Atticarum et sacrarum scriptor notissimus est. — *Coronidem* etc.) Hic incipit mythogr. II, 22. schol. ad Stat. Th. 3, 506 p. 206 et Hygin. f. 202. — 18 *Phlegyae fil.*) *Coronei fil.* dicit Lactant. narr. fabb. 2, 7 et 8 p. 758 sq. Sed vid. ibi Munck. — 19 *Elati fil.*) Maji cod. *Semealti.* Hic Elati filius ap. Hyg. P. A. l. l. *Ischys* vocatur, apud eundem tamen f. 202. *Chylus*; ap. B

et schol. St. *Lycus. — concubuisse.*) Hygin. P. A. sic pergit: *Quod quum videret corvus, Apollini nuntiasse.* — 22 *Coronidem*). Ita Majus, cujus cod. habet *sein.* Sed *Ischyn* Hyg. P. A; Idem tamen f. 202 (cf. B et schol. St.) et *Chylam fulmine* interfectum et Coronidem percussam ex ejusque utero Aesculapium exectum dicit. Cf. Serv. ad Ae. 6, 618.

116. Fulgent. 1, 13. Serv. ad Ecl. 3. 63. Cf. mythogr. II, 23. III, 8, 4.

Ladonis.) Daphne *Penei* plerumque filia vocatur, ut ab ipso Fulgentio et myth. II et III. Sed Pausanias (10, 7, 4), Palaephatus (50.), Philostratus (Apoll. Ty. 1, 16.), Arrianus (ap. Eust. ad Dionys. perieg. 916, cf. 416), schol. ad Il. 1, 14, Geopon. 11, 3, Serv. ad Ae. 3, 91. 2, 514, schol ad Stat. Th. 4, 290 et 830 p. 133 et 160. etc. *Ladonis* filiam esse tradunt. — *Et sic poëtae d.*) Ad somniorum interpretes provocat Fulgentius et myth. II. III, unde locus noster haud dubie est emendandus. Poëtarum narrationem intelligit illam quae praecedit; deinde subjungit *τῶν ὀνειροκριτῶν* sententiam, quae ex parte omissa est.

117. Serv. ad. Ecl. 3, 63, mythogr. II, 181,

iacinthum C D. — *tam ab Jove* C. — *laxaretur*) Leg. cum C D B *laetaretur.* — *exerceretur*) Leg. cum A B C D: *exercetur.* — *interemptus* A B C D. — *neminis*) *sui* addunt B C D. — Caeterum schol. Stat. Th. 4, 222 p. 130 miris modis hanc fabulam narrat. Pro *Boreae* enim *disco* nobis offert *Zephyri vertiginem*, qua Hyacinthum illum percussum esse dicit, *quod se Apollini praetulisset.*

118. Cf. Serv. ad Ae. 10, 189, mythogr. II, 57.

Phaëtonta) Leg. *Phaëthonta.* — *sive Eridanum*). Quis Phaëthontem umquam vocavit Eridanum? — *qui susc. Hip.*) Hoc iterum a veterum narrationibus alienissimum est. Aesculapium myth. cum Phaëthonte confundit — *fluvium Italiae*) sc. Eridanum, qui est Padus. — *a luce . . . Phaethon* etc.) sc. *ἀπὸ τοῦ φαίνειν*, vel potius *ἀπὸ τοῦ φάος* et *αἴθω*, ut Serv. dicit ad Ae. 5, 105, ubi ipse sol hoc nomen sortitus est (Sil. It. 11, 371 Val. Fl. 3, 213 Orph. fr. 7.), quod Homerus quoque Soli tribuit. — 1 *mixta*). Ubinam, quaeso? — 3 *Lampetusa*) *Lampetie* habet B, Ovid. Met. 2, 349 et Hyg. f. 154. Apud Homerum eadem nomina Solis filias designant, quae in Trinacria patris armenta pascebant (Od. 12, 132). Pro *Phaëthusa* in A est *Fletusa.* — *in populos*) vel *alnos*; utrumque tradit Virgilius Ecl. 6, 62 et Ae. 10, 190; illud Apoll. Rh. 4, 604. Hyg. f. 152 p. 264 et f. 154 p. 267. schol. Germ. Ar. 365 p. 84 Buhle. Caeterum alii tres memorant Heliades, alii septem, alii aliter. — 4 *Hac ira*). Leg. *Ob hoc ira c. A.* Caeterum ob interfectum a Jove Aesculapium Apollo Cyclopas occidisse vulgo dicitur. — 7 *quatuor*) *decem* memorat Probus ad Ge. 3, 2; novem Serv. ad Ae. 7, 761; alii aliter, vid Oudend. ad schol. Luc. 6, 368 p. 455 ed. Weber. — 7 *Carotam.*) *Amphrysum* flumen Thessaliae plerique memorant scriptores, ut Serv. Prob. et Maji interp. ad Virg. Ge. 3, 2, schol. ad Lucan. 6, 368, ad Stat. Th. 5, 434 p. 183 et ad 6, 375 p. 214. — 8 *ubi quam plures*) Leg. *ibique plures.* Nam illud *quam plures* non intelligo.

119. Cf. mythogr. II, 42. III, 9, 1-3, Isidor. Orig. 8, 11 § 45-49.

Homo nescio quis et antiquitatis et Latini sermonis omnino rudis initium hujus fabulae consarcinavit. — 10 *Cyllene.*) Ita correxi; Majus

Cilleo. Schol. ad Lucan. 1, 662 Cyllenen (*Cilene* B ap. Web.) *insulam* nominat, ut supra noster *Colchidem insulam* dixit. Bc. ap. Web. *Cylleo* scribit. — 11 *ita . . quod*) Constructio plane nova. — 13 *virgam caduceam.*) Hoc adjectivum in lexicis desideratur. — *grossiori.*) Vox medii aevi — 15 *Mercurius* etc.) Hic incipit Isidorus. — *medius.*) Hinc *medicurrias* ap. Arnobium 3 p. 118. Isidorus plura hic intertexit de Ἑρμῆ et mercium praeside etc. — 16 *unde et velox* etc.) Serv. ad Ae. 4, 239. — 21 *serpentes devidit* etc.) Hic fab. incipit Serv. ad Ae. 4, 242. — 22 *veneri.*) h. l. esse videntur *dissidia*, *bella*, propter seqq. At exempla desidero. Rem explicat Serv. ad Ae. 8, 138. — *ac dissidentes*) om. C D. — 23 *Livium*) sc. in deperditis libris. Qui enim adhuc extant, laudant tantum caduceatorum officia in induciis indicendis et in colloquiis proponendis (26, 17. 31, 38. 32, 32. 33, 11. 37, 45.). *secundum Plinium* est in cod. L myth. III p. 215, 18; vid. Plin 29, 12 (3); *libium* C. — 24 *bella) bellum indicebatur* L. — 25 *caduceatores componebatur* H L M N. — *Hermes*) Leg. Ἑρμῆς cum L et D. — Graeca verba corrupta sunt in omnibus meis codd. — 26 *Qui ob virt.* etc.) Lactant. *de ira dei* 11 § 12. Institt. 1, 6 § 3, ubi *ob virtutem* om.

120. Fulgent. 2, 15. Cf. mythogr. II, 29. III, 12, 5.

v. 33 *cum*) om. E. — *veniens*) i. e. *quum venisset.* Soloecam orationem notat Muncker. — *illa)* deest E G. — *crepuit*) i. e. *rupta est*, ut Pallad. 4, 10 init: *poma crepant*; et Virg. Ae. 5, 205: *remi crepuere.* — 34 *foemore* E. — *misit*). Muncker conjecit *insuit*, non abnuente Staverenio. — *postea Maroni* E G. Nescio cur Fulg. editores scripserint *Maroni postea.* — 37 *Ino*) *hino* E G. — *agaue* G. — *quae Agave* etc.) Haec apud Fulg. transposita reperiuntur ad finem, ibique in reliquis quoque aliis est verborum ordo. — 38 *quattuor* G constanter fere. — 40 *rerum oblicio* E G, qui cum myth. III p. 245, 43 singulis nominibus numeros adscripserunt. — *Juno autem* etc.) Hic eadem fabula iteratur, quae extat apud Lactant. narr. fabb. 3, 3 p. 805 sq. — 41 *Hermiones*). Lact. Ms: *Armoniae;* editi libri *Hermionae* vel *Hermiones.* Cadmi uxorem *Hermionem* ubique vocant nostri mythographi, quum tamen Harmonia scribendum sit, ut edidit Muncker hic et Hyg. f. 6. — 43 *ut se fallacia sine invidia cujusquam ulc.* rectissime Lact., qui sequentia pluribus exequitur: *ad eam venit, persuadetque ei, ne alio Jovem apparatu recipiat, quam quo solitus sit apparere Junoni; quo ut illius auctoritas gravis, proinde ips. c. i. e.* — 2 *proinde*) i. e. *unde, quo.* — 3 *impetrasset a cupiente* Lact. — 4 *tecta ejus deceptae optatis flammis aduri* Lact. — 5 *utero gravidae* Lact. — 6 *eripit* Lact. — 8 *perfrequentarent* Lact. Ms. Venet. et Micyll. *frequentabant* Raener. *perfrequentabant* Giselin. — *Septem enim* etc.) Hic explicit Lact. Quae sequuntur congruunt cum Hyg. P. A. 2, 21 p. 469. — 9 *eaedem N. D.*) Has *antea* Nymphas Dodonidas appellatas esse scribit Hyg., qui earum etiam nomina recenset, omnesque *praeter Ambrosiam* ad *Tethyn* profugisse narrat. — *Dodonides*) Majus *Dodonidae.* — 13 *Hinc Liber*). Haec iterum leguntur apud Fulg. p. 693 et myth. III p. 244, 46 sqq. (cf. myth. II, 80 fin.), cum antecedentibus autem non cohaerent. *Hinc* ad seqq. spectat. — *Dionysius* Majus et Fulgentii edd. — 14 *cinulentia* G, qui cum E et L M alteram explicationem subjungit: *sive etiam, quod vino efferatae mentes mulceantur; unde et L. d.* etc.

121. Serv. ad Ae. 4, 196, cf. mythogr. II, 80.

seu Dionysus) om. C D; Majus *s. Dionysius.* — *xero lybiam* C; *sero libiam* D. — *impl. aux.* C D. — *sequutus est*) *ab harenis* addit C. Recte! — *ab eo deinc. Jovi*). Haec emendanda sunt ex C D: *Unde factum est* (*est* om. D) *jovi ammoni* (*ammonio ab arena dicto* D) *simulacr. c. c. a.* — *notis*). Ita correxit Majus pro cod. lectione *natis.* Notas arcanas vel hieroglyphicas intelligit. At genuinam lectionem servarunt C D: *satis*, quod tamen plane omisit schol. ad Lucan. 3, 292 p. 218 Weber, ubi additur: *sicut involuta sunt cornua arietis.* Idem schol. hanc fab. tangit ad 4, 673 et ad 9, 512. In India hoc prodigium factum esse narrat Hyg. f. 133, in Oriente schol. ad Lucan. 9, 512. De re cf. schol. Germ. 223 p. 61 Buhle, ad Stat. Th. p. 104, et Hyg. P. A. 2, 20 p. 467.

122. Cf. mythogr. II, 171.

Mythographus II ad verbum quidem non consentit cum I; attamen manifestum est, utrumque ex uno fonte hausisse. — 28 *expergefactus* B. — *rogavit* B. — 29 *quo volueris* B. — 31 *tigrides sibi sacratas* B — 32 *quo terrore* B. — 33 *dedere*) *et facti sunt delphini* addit B, et Lact. narr. fabb. 3, 9 p. 808 insuper *aves;* sed hic error est; vid. Muncker.; in indice est *naves.*

123. Serv. ad Ae. 3, 14, mythogr. III p. 245, 35.

ligurcus rex tracie C; *ligurgus* D. — *habet fab.* C D. — *ejus amputat vites*). Haec exciderunt in D. — *sua incidit*) *sibi succidit* C. *incidit* est etiam ap. schol. ad Lucan. 1, 575 et 3, 431. — *revera autem* C D; — *acriores* C. — *a Demosthene*) Leg. *de Demosthene* cum C D L N; istud vitium servant A et M. — *bene dictum* D. —

124 Isidor. Orig. 8, 11 § 71-75 ed. Arev.

ingeniorum) i. e. *rerum ingeniose excogitatarum*; Isid. Orig. 19, 20: *Minervam ... multis ingeniis praedicant.* Apud Tacitum quoque *ingenium* dicitur pro eo quod ex ingenio oritur, ut Hist. 2, 71. 3, 28. Apud Augustin. de civ. dei 18, 8 *multorum operum inventrix* appellatur Minerva. — 1 *manus artium variae*) *munus artium variarum* Isid. Alias derivationes tentarunt myth. III, 10, 1, Cicero, Arnobius, alii. — 4 *dicitur app.* etc.) Augustin. de civ. dei 18, 8. — 5 *ab insula Pallene*) *in Thracia* addit Isid. Est autem chersonesus, non insula. — 6 *πάλλειν*) *τὸ δόρυ* addit Isid. et Serv. ad Ae. 1, 39. — 7 *occiderit* C D et Isid. *interfecerit* myth. III, 10, 1.

125. Fulgent. 3, 9, mythogr. III, 10, 7. II, 115.

v. 9. *ex ossa* G. — *irbias* E. — *invenit*) *fecit* E. — *cum quib.*) *de quibus* E G, defendente Munckero; praepositionem omisit L et M. — 10 *cecinisset deorum* E. — *concinisset* M; *concinuisset* L N. — 11 *Tritonem* E; *Tritonam* G, quod probat Muncker. — 12 *est, et*) om. E G. — *turpem*) *ex flatu* addit L. — *dum t. adj. buc. infl.*) om. L M N. — 13 *jecit*) *abjecit* vel *projecit* conjecerunt Damsterus et Goesius; vid. Munck. *abjecit* est in L M N. — *Marsias* E G M N; *Marsya* B. — 15 *et ambo*) om. E G. — *diligunt* E G; *elegerunt* L M. — 16 *Cujus jud.* etc.) Hic Fulgentii narratio discrepare incipit a nostro mythographo, sed consentit cum myth. III. — 17 *et enudatus*) Lact. narr. fabb. 6, 5 p. 830, qui in seqq. ad verbum cum nostro congruit, legit:

ac cute nudatus est; ubi Muncker: "Ms. Venet. ac Micyll., inquit, *a cute nudatus est tergore.* Lege, *a Scythe*, vel *ac a Scythe nudatus est tergore*". Istud *cute* retinendum esse arbitror. — *sanguinis sui)* Lege *ejus.* — 18 *fons inde* etc.) Schol. ad Lucan. 3, 206 sqq. — 19 *Juvenalis*) 9, 2. — 22 *ut*) *ita ut* Lact. — 23 *creverit*) *increverit* Lact. — *quod*) *ejus nomine in Phrygia* addit Lact. — 25 *alias.*) Vid. supra 90.

126. Serv. ad Ge. 2, 84 et 4, 111, mythogr. II, 179 et 38. III, 8, 1 et 6, 26.

v. 2 *seu Hyadas*). *Πληϊάδας* et Hyadas bene distinguit Hes. *ἔργ.* 613. 381. 570. 617. Quinque Hyadas nominatim affert ap. schol. ad Arat. 172 p. 67, 13 et ad 254 p. 73, 37 ed. Bek. ubi deversae veterum sententiae de hac re recensentur (Tz. Chil. 12, 171, fr. p. 220 Goettling). *Πελειάδας* idem Hes. dixit ap. Athen. 11, 491 c (fr. p. 207 Goettl.), et Pindarus (N. 2, 16) et Aeschylus (fr. 293), alii, quos laudat Athen. 11, 489 f. — 491 f. — Cf. schol. ad Hes. *ἔργ.* 381 p. 201—209 et p. 278. 294 Gaisf. Serv. ad Ge. 1, 138. *Sex* Hyadas enumerat Hyg. f. 182, vel *quinque* f. 192, vel *septem* P. A. 3, 22 p. 522. — 3 *Plione*) *Πληϊόνη* Apollod. 3, 10, 1, Tz. ad Lyc. 149 p. 408; sed *Πλειόνη* 219 p. 488. cf. Hyg. f. 192 *Pleione*, et schol. ad Ap. Rh. 3, 226. De numero non constat inter veteres. Ipse Hyginus altero loco 12 statuit, altero 15. — *Ethia*) Leg. *Aethra* e schol. ad Hom. Il. 5, 486 etc. — 5 *amplius sex*). Alios *quinque* tantum agnoscere idem Hyg. prodit p. 522. — *ponitur*) *proditur* Hyg., qui pergit *quod de septem* etc. — 8 *uxor fuisse dem.* Hyg. — 10 *Hyriea*) Majus *Nerea*; *Hyrea* Hyg. Nostrum et proposuit et defendit Muncker. — *Celaeno*) Majus *Celeno*. — 11 *procreasse*) Hyg. addit: *quam alii Oenomai dixerunt uxorem.* — *Meropeam*) *Meropem* Hyg. — 13 *patrem esse* Hyg. — 14 *quia*) *quod* Hyg. — 16 *parêre*) *apparere* Hyg. — *propter Tr. c.*). Haec copiosius enarrat Hyg. — 18 *per Boeotiam cum puellis iter faceret* Hyg. — 20 *annis* XII) *annis septem* Hyg. — *neque eam inv.* Hyg. — 22 *utrosque*) om. Hyg.

"Explicit fabula in pagina plena; adeoque utrum liber reapse expliciat, an vero aliquid desit, judicare nequeo". MAJUS.

NOTAE CRITICAE

IN MYTHOGRAPHUM SECUNDUM.

Prooemium. Isidor. Orig. 8, 11, 1—4 p. 270 sq. Lindem.

Prohoemium Majus. — 3 *ii*) om. Isid. — 5 Leg. cum Isid. *coli apud suos post m. c.* Seqq. extant quoque ap. Lactant. Inst. 1, 15, 8 et 9. — 6 *Jovis* Isid. — *apud Latinos* Isid. — 7 *Quirinus*) Isidor. addit: *eodem quoque modo apud Ath.* etc. — *apud Paphos* vel *Paphum* codd. Isid. — *Lemnos* Isid. — 9 *Naxos* Isid. — *Delos* Isid. — 10 *in quorum* Isid. — *et poëtae* Lindem. e codd. Gu. 1. 2. — 11 *in coelos*). Etsi Lucr. *coelos*, et Ennius coelus dixit, hoc tamen loco cum Isid. leg. *in coelum eos*, quod scribae contraxerunt in *coelos*. — *sustuler.*) Isidor. addit: *Nam quorundam ad inventiones artium cultum peperisse dicuntur, ut Aesculapio medicina, Vulcano fabrica.* — *Ab act.* etc.) Serv. ad Ae. 4, 638; infr. 42 et III, 9, 1 et 3 et p. 153, 6. — 13 *et quidam viri f.* Isid. — 14 *simulacra*) Lactant. 1, 15, 4. — 15 *contemplane* Majus. — 16 *Hic error* etc.) *sed paulatim hunc errorem persuadentibus daemonibus ita in posteros irrepsisse, ut* etc. Isid. — *honoraverunt, successores* Isid. — 18 Leg. *existimarent* cum Isid. Eadem confusio 1, 218 fin. observata est. — *Stoici dicunt* etc.) Serv. ad Ge. 1, 5. cf. ad Ae. 4, 638. — 19 *eandemque esse potestatem, quae p. r. off. nostrorum v. n. appellatur* C D, qui *et actuum* omittunt. — 25 *Deum*) *unde* C D. — 27 *deam eandem*) om. C D. — *eandem Cererem*) om. D; et C om. *eandem* ante *Cererem*. — 28 *Numina* etc.) Serv. ad Ae. 4, 638. —

1. Cf. Mythogr. I, 102. III, 1, 1 sqq.

v. 1 *quidam Saturnum a sat.* etc.) Fulg. 1, 2 p. 627. — 2 *annis satur.*) Cic. de N. D. 3, 24. Isid. 8, 11, 30. — 5 *frigid.*) Serv. ad Ge. 1, 336. — 6 *deus tempor.*) Serv. ad Ge. 2, 406. — *Tempus autem* etc.) Fulg. l. l. p. 628. — 22 *Tria autem* etc.) Serv. ad Ae. 1, 133. — 27 *Cerbero*) Leg. *Tricerbero* et cf. supr. I, 108 et infr. II, 11. III, 6, 22; *cerbero trifauci* C. —

2. Serv. ad Ae. 1, 47, mythogr. III, 3, 1.

Jovem, ut ignem) Fulg. 1, 2 p. 629: "unde et Ζεὺς Graece dicitur; Ζεὺς enim Graeca significatione sive *vita* sive *calor* dici potest; sive quod igne vitali animata omnia dicantur, ut Heraclitus vult, sive quod hoc elementum calcat"; ad quem l. cf. interpp.

3. Serv. ad Ae. 1, 394. 9, 564, mythogr. III, 3, 4.

v. 33 *armiger)* Ae. 9, 564, Serv. ad Ae. 1, 28, cf. supr. 1, 184, 12. — 34 *nimiae*) Leg. *nimii*. Erravit typotheta. — *quia per naturam nimii est cal.* C D H L M. — 35 *supersidet*). Ita Majus et Serv.; sed recte H L M N *supersedet*. — *possit coquere* C D H M; *posset excoquere* L; *admoveret* L; *ammoveat* C. — *gagaten)* C M; *gigantem* A; *agaten* D; *gigantem* H; *achatem* L; *gagathes* schol. B C L D ad Lucan. 6, 676, ubi Ld. *ertes* et Lb. *cotes* repraesentat; at recte Voss. *gagaten*. — Qui copiosissime de *gagate* lapide ejusque natura atque usu disseruerunt, ut Dioscorides (*περὶ ὕλης ἰατρ.*, 5, 145 p. 81ed. 2 Kühn), Galenus (*περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμ. κρασ.* 9, 9 p. 203 ed. Kühn, cf. Democrit. sympath. p. 337, Orph. de lap. 468 sqq. Geopon. 15, 1 p. 1052 et 13, 8 p. 947 Niclas.), Plinius (N. H. 36, 19, 34), Solinus (32, 19 p. 144 sq. Goez. cf. 52, 53 p. 276.), nihil de hac ejus potestate prodiderunt. Nomen traxisse fertur loci et *amnis Gagis* Lyciae, vel Ciliciae (ut scr. Isid. Orig. 16, 4, 3). Urbem *Gagae*, quam Alexander *de rebus Lyciacis* (ap. St. Byz. v.) *παλαιὸν τεῖχος καὶ χώραν* vocat, afferunt Diosc. Etym. M. Scylax, Nicandri schol., Plin. 5, 28 § 100 ed. Sillig (Salmas. ex. Plin. p. 552 a. F.), alii; at ejusdem nominis flumen in Lycia esse negat Galenus, qui se ipsum omnem Lyciam studiose peragrasse affirmat. Lapis niger est, planus, pumicosus, non multum a ligno differens, levis, fragilis, odore, si teratur, gravis; — quum uritur, odorem sulphureum reddit, accenditur aqua, oleo restinguitur. In Britannia eum plurimum optimumque esse Solinus auctor est, qui eum attritu calefactum applicata detinere scribit, atque succinum; eundemque *ebeno* comparat. Est itaque lapis quem hodie *Gagatkohle* seu *Glanzkohle* dicimus, eique cognatus est *lapis Thracicus*, de quo egit Beckm. ad Aristot. Mir. Aus. p. 258 sq. — Eum incensum virginitatem et sonticum morbum deprehendere, veteres physici fabulantur (ap. Plin. l. l. et Apulej. Apolog. p. 502 Ruhnk.); at in aquilarum nidis inveniri, nemo veterum tradit. Ergo enm cum *gangite* confusum esse arbitror, quem vulgo *aëtiten* vocant (Plin. 10, 4 § 12 Sillig, ubi omnes fere codd. *gangatem*, pauci *gagjtem* legunt; vid. Salmas. Ex. Pl. p. 177 sqq.), cui Str. 16. 747 c = 1083 d similem vim tribuit ac gagati, et qui fortasse latet in *ἐγγίτης πέτρη* ap. Nicand. Ther. 37, quam schol. *γαγγίτην λίθον* exponit, sed cum *gagate* deinde confundit, ut ostendit Rhodiginus 13, 20 p. 596. — Hunc lapidem ab aquilis nido inaedificari, atque inde direptum ad multa remedia utilem esse tradit Plinius (l. l. et Philostr. vit. Apoll. 2, 7.) Atque hunc haud dubie intelligit Lucan. 6, 676:

Quaeque sonant foeta tepefecta sub alite saxa;

etsi vulgo de gagate cogitant; sed quae scholia ibid. de eo produnt, ad *gangitem* seu *aetitem* pertinent, de cujus vi medica gemina extat dissertatio; *Guil. Laurembergii historica descriptio aëtitis seu lapidis aquilae*. Rostoch. 1627; et *Joh. Laurentii Bauschi schediasmata bina curiosa de lapide haematite et aëtite*. Lips. 1665. Diversissimus ille est a *gagate*, et ad aliud prorsus lapidum genus referendum, sc. quod vocant *ferri argillaceo siliceum, fusco vel subrufo colore* (Eisenstein), nihil igne deperdens, ut Plinius scribit, quum contra *gangitis* seu *aëtites* igne facillime et accendatur et consumatur. — Quatuor *aetitis* species enumerat Plin 36, 21, 39. Alterum lapidem intrinsecus continet, cujus tinnitu sonorus est, quum movetur (Solin. 37, 13 p. 227. Dioscorid. 5, 160 p. 818 ed. Kühn. Plin. l. l.). Itaque recte dicit Lucanus *sonant saxa*, quod docte illustrant scholia. Binos lapides in nidis aquilarum inveniri ajunt, marem et feminam, nec sine iis parere aquilas, et ideo binos tantum (Isidor. 16.

4, 22). Hi custodunt partus contra omnes abortuum insidias (Plin. 30, 12, 44.). In Perside plurimus invenitur (Solin. l. l.). *Ἡ τῶν τικτόντων* sc. *λίθος* ap. Theophr. *περὶ λιθ.* § 5 p. 687 ed. Schn. haud dubie est aëtites; vid. Schn. T. 4 p. 543. cf. Sext. Plat. 2, 1, 2. — 36 *foeta*) *poeta* C. — 37 *Gigantum*) *adversus Titanas* dicit Fulg. 1, 25 p. 653 sq. — *arma ministrasse*) Hor. C. 4, 4, 1. ibiq. schol. Stat. Th. 3, 532. 507. Aquilam fulmine non tangi scribit Plin. N. H. 2, 56 § 146. et 10, 4 § 15 Sillig. Cf. Eratosth. Cataster. 30. schol. ad Arat. Germ. 315 p. 74. — *ministrasse*) *ministrarit* C D. — 40 *augurium*) Hyg. P. A. 2, 16 p. 459, schol. ad Il. 8, 247 p. 229, 12 a ed. Bek. Fulg. 1, 25 p. 654 ibiq. interpp. —

4. Fulgent. 2, 3, mythogr. III, 4, 5.

v. 2 *quasi aërem*) sc. *ponunt*, vel Saturno adscribunt. Cohaerent enim haec cum f. 2. De re cf. Isid. 8, 11, 69. — 5 *quia*) *quod* E G. — *divitiis tantum st.* E G; qui deinde cum reliquis Fulg. codd. plura inserunt. — 6 *Deam etiam p.* Fulg., qui *et nuptiis praeesse* om. — *praegnaces s. et nonnumquam*). Sic restitui e codd. Majus autem *pugnaces s. et numquam.*

5. Fulgent. 2, 3, mythogr. III, 4, 5.

Hujus quoque in tutelam pavum E; *in* om. G. — *quia*) *quod* E G. — 10 *aspectum sui semper quaerat orn.* E G. — 11 *Aristoclis*). Ita infr. 89 et plures codd. ap. Serv. ad Ae. 7, 790, sed C D *Aristoris*; Lactant. narr. fabb. 1, 13 p. 793 *Arestoris*, ut Ovid. Met. 1, 624 (ibiq. Burm.), Asclep. ap. Apollod. 2, 1, 3, Tz. ad Lyc. 883 p. 856, Apoll. Rh. 1, 112; Sturz. Pherec. fr. p. 174; — alii Servii codd. *Aristodis*, *Aristidis*, *Aristondis*. De fab. cf. myth. I, 18.

6. Fulgent. 2, 3, mythogr. III, 4, 6 et 2.

v. 18 *arcum pacis* Fulg., respiciens procul dubio ad Genes. 9; nam profani scriptores Irim discordiae deam faciunt, ut ipse noster et myth. III. — *apponunt*) *adjungunt* Fulg. — *sicut etiam ille* Fulg. — 19 *ornatus accipit*) Fulg. *ornatus pingens*, *arcuato curvamine momentaliter refugit*, *ita etiam fort.* — 20 *Jun. ministra*) Il. 18, 166. Virg. Ae. 4, 693. 9, 1 etc. At Il. 2, 786 et Hes. Th. 784 est Jovis ministra, et Achillis precibus adest Il. 23, 198; quin etiam ad omnium dearum preces, excepta Junone, Ilithyiam accerset in Hym. in Ap. 102. — 21 *poëtas*) Serv. ad Ae. 9, 5 *poëticam*; sed D *poëtam*, sc. Virgilium Ae. 9, 5. — 21 *Th. filia*) Hes. Th. 266. 780, Plato Theaet. p. 155 d. Mater est Electra, quacum Thaumas *Harpyias* quoque procreavit; Hes. l. l. Serv. ad Ae. 3, 212. 241. 249. — 22 *ex admir.*) *διὰ τὸ θαυμάσαι ταύτην*, ut Plato dicit ap. Plut. de plac. phil. 3, 5 p. 894 b. — *quae*) Leg. fortasse *quia*. — 23 *Iris dicitur* etc.) Haec leguntur ap. Serv. ad Ae. 4, 700. — *ἶρις*) Hes. Th. 782: *ὅποτ' ἶρις καὶ νεῖκος ἐν ἀθανάτοισιν ὄρηται.* Etymologiam istam vid. ap. Serv. ad Ae. 5, 606 et 9, 2. — 27 *ut*) Virg. Ae. 9, 803; laudat Serv. ad. 5, 606, ubi in codd. *jam* est, sed *nam* ad 9, 2. — 28 *e regione*). Sic correxi. Majus *in regione*, quod contra rerum naturam dictum est. Nam Seneca N. Q. 1, 3, 12: *Iris*, inquit, *numquam non adversa soli fit.* — *Saepe talis nubes a latere solis est*, *nec arcum efficit*, *quia non ex recto imaginem trahit.* Lucr. 6, 522: *ubi sol radiis . . . adversa fulsit nimborum contra.* Aristot. Meteor. 3, 2 p. 371 b, 18. 3, 4 et 5 p. 373 - 377. — 3, 4 p. 373 b, 21 ed. Bekkeri: *ἐὰν ἐξ ἐναντίας ᾖ ὁ ἥλιος* etc. — 3, 4 p. 373 b, 33:

ἀνάκλασις ἡ ἶρις τῆς ὄψεως πρὸς τὸν ἥλιόν ἐστιν, διὸ καὶ ἐξ ἐναντίας ἀεὶ γίνεται. Idem Aristot. et Metrodorus ap. schol. ad Arat. 940 p. 137, 4—10 ed. Bekk. — Plut. pl. phil. 3, 5 p. 894 d: *ἀνάγκη πᾶσαν ἶριν ἀντικρυς ἡλίου φαίνεσθαι*, et schol. ad Il. 17, 547 p. 481, 42 ed. Bekk: *ἐξ ἐναντίας τῷ ἡλίῳ.* — 39 *creantur*) *illa dat res quia* (*quae* C) *est* (*est* om. D) *aqua tenuis, aër lucidus et nubes caligantes* (*calidantes* C) *irradiante* (*inradiant* C; *inradiata* D) *isto* (*et* C; om. D) *varios creant colores* Serv., qui ad Ae. 8, 623: *irin*, inquit, *physica ratione describit, quae fit, quum aquosam nubem solis ardor irradiat.* Metrodorus ap. Plut. pl. phil. 3, 5 p. 894 f: *ὅταν διὰ νεφῶν ἥλιος διαλάμψῃ, τὸ μὲν νέφος κυανίζειν, τὴν δ' αὐγὴν ἐρυθραίνεσθαι.* Vid. ibid. Anaximenis opinionem et Anaxagorae, qui et ap. schol. ad Il. 17, 547 p. 481 b, 48 Bekk. *ἶριν δὲ καλέομεν*, inquit, *τὸ ἐν νεφέλῃσιν ἀντιλάμπον τῷ ἡλίῳ.* Zeno ap. Diog. L. 7, 152: *ἶριν εἶναι αὐγὰς ἀφ' ὑγρῶν νεφῶν ἀνακεκλασμένας.* Quin etiam Pythagoras ap. Ael. V. H. 4, 17: *ἶρις αὐγὴ τοῦ ἡλίου ἐστίν*, pro quo in codd. est *ἡ γῆ τοῦ νείλου.* Epicurus ap. Diog. L. 10, 108: *ἶρις γίγνεται κατὰ πρόσλαμψιν ὑπὸ τοῦ ἡλίου πρὸς ἀέρα ὑδατοειδῆ.* Cf. Posidon. p. 21 Bake, Cleomed. cycl. theor. 1, 7.

7. Serv. ad Ae. 1, 47, mythogr. III, 4, 1.

v. 33 *et aër*) Serv. ad Ae. 4, 167. — 34 *paria*) Fulg. 1, 2 p. 629: *sibi sunt valde consocia.* — 37 *Dicitur autem*). Fulg. p. 630, qui eadem exhibet, laudat Theopompum in *Cypriaco carmine*, et Hellanicum in *Dios polytychia*; vid. Munck. Vid. Il. 15, 18 sqq. ibiq. schol. — 28 *catenis*) *aureis* addit Fulg. — *et degravatam* (*depravatam* E G), *illud nihilominus dicere volentes* Fulg. — 39 *conjunctus*) *conjunctior* Fulg. —

8. Schol. ad Stat. Th. 4, 589 p. 148 sq.

Phoroneus). Cf. schol. ad Stat. Th. 1, 252, Hyg. f. 225 p. 347, f. 274 p. 387. — *sollemnia*) Hyg. f. 143 p. 250 sq. ibiq. interpp. — *sibi copulavisse*) *compressisse* Schol. St.

9. Fulgent. 1, 3, mythogr. III, 5, 1.

v. 11 *Neptuno autem*) *Huic Neptuno* G. — *Amphitritem*) *amphitridem* G. *amphitritidem* H; de re vid. myth. II, 107. — *uxorem*) *conjugium* E G H L M N. — 12 *circa*) *circumcirca* E G; *circum* H L M. — *tribus*) om. E; *omnibus* addunt reliqui Fulg. codd. — 14 *potabili*) *potabilis* Fulg. —

10. Fulgent. 1, 4, mythogr. I, 108. III, 6, 1.

πλοῦτος). Discrimen inter Plutonem et Plutum a serioribus non observatur. Vid. Muncker. — *jurantem*) Virg. Ge. 1, 277, qui *Ὅρκον* et *Ὄρκον* confudit, quod Serv. non notavit.

11. Fulgent. 1, 5, mythogr. II, 6. 22.

v. 21 *vel quia*) *quod* Fulg. — 22 *mortalium jurgiorum* Fulg. et supr. I, 108 fin., ubi etiam leg: *invidiae . . . conflentur, id est.* — 23 *accidenti* B E G; *casuale* myth. III. — *ut canum* etc.). Haec manca sunt, et ita restituenda: *canum et leporum; luporum et pecorum; hominum et serpentium* Fulg. — 34 *zelus atque invidiae* Fulg. — *accidens* Fulg. — 25 *verbis casualiter* (*causaliter* E) *oboritur* Fulg. — *commessationes propter* E; *comestionis propter* G. Hoc lexica non agnoscunt. — *consumtrix*) Vid. supr. I, 57, 13. Isidor. Orig. 11, 3, 33.

12. Fulgent. 1, 6. Vid. ad mythogr. I, 109.

v. 30 *Noctis*). Ap. Hes. Th. 185 ex sanguinis guttis de abscissis Caeli genitalibus in Terram decidentibus procreantur; Noctis et Plutonis filiae sunt ap. Serv. ad Ae. 1, 82; Aetheris et Terrae ap. Hyg. p. 4. — 31 *Eumenides*) Serv. ad Ae. 6, 375. — 33 *Allecto*) B E G. Eadem habet schol. ad Stat. Th. 1, 477 p. 28. — *Thesisiphone* Majus; *Tisiphonie* E. — 34 *Megera* E G. — 35 *non pausantibus furere* Majus. — *furiam concipere* E G. — 36 *erumpere*) *prorumpere* schol. St. et schol. ined. ad Senec. Herc. F. 90 ap. Staveren. ad Fulg. p. 633.

13. Serv. ad Ae. 3, 209, Cf. mythogr. I, 111. III, 5, 5.

v. 2 *sec. Virgil.*) Ae. 6, 289 affert Munck. ad Fulg. 1, 8; sed nec illic nec ullo alio Virgilii loco Harpyiarum numerum repperire potui. Ae. 3, 211 est *dira Calaeno Harpyiaeque aliae.* Aëllo et Ocypete alienae sunt a Virgilii carminibus. Caeterum myth. I, 111 scripsit *in inferis vigiliis deputantur*, quod ortum esse suspicor e lectione *inferis Virgilius deputat.* — 4 *sec. Apollon.*) Hic (2, 188) nec numerum nec nomina affert; id quod facit Hes. Th. 267. — *duodecimo*) 843: *sunt geminae pestes.* — 5 *canes*) Apoll. Rh. 2, 289. *Stygiae canes* Lucan. 6, 733, cf. ad I, 27. — 6 *Aëllo autem*) Fulg. 1, 8. — *αἴρων*) *edon allon* E G. — 7 *celenum* E G. — 8 *aliena capere*) *alienum concupisci* G; *malignum concupisci* E. — 9 *quae invaduntur*) *quod invadit* E G. — *Ponti* etc.) Serv. ad Ae. 3, 241. — 12 *Thaumantis*) Hes. Th. 267. — 13 *Ut autem*). Hic Serv. incipit. — 15 *dicuntur abripere* Serv. — *ut*) Virg. Ae. 6, 606. — 16 *prohibent* Serv. — *Unde et av.*) Supr. I, 27 fin. — 17 *paratis*) *partis* A C D L M. — *in III*) 252. — 20 *Lucanus*) 6, 733. — *et Lucan.* C D. — 21 *in VI*) 257. — 24 *in XII*) 845. — *in medio vero* C D. — De triplice hacce divisione vid. Serv. ad Ae. 12, 846. —

14. Supr. ad I, 110, et infr. ad III, 6, 23.

Plutoni). Alii Apollinem praeficiunt Fatis. Schol. (Cruq.) ad Hor. c. saec. 25: (*Parcae vocantur κατ' ἀντίφρασιν quod minime parcant*). *Invocat autem Parcas post Apollinem, quia Apollo Fatis praeest, unde et sortilegus vocatur.* Munck. — *per antiphr.*) Serv. ad Ecl. 4, 47. Ae. 1, 22. 3, 63. — 33 *Clotho*) Fulg. 1, 7. *clotos* E. — 35 *quis*) om. Maj. Supplevi ex E G. —

15. Vid. ad mythogr. I, 112. Fulg. 1, 9.

v. 41 *centuplum*) *centuplicatum* E; *centuplatum* G. Primum istud lexica non agnoscunt. — v. 42 *Graeci dicunt*) *Graece sunt* E G. — 1 *domum multiplicem*). Haec interpretatio prorsus nova est et a Fulg. abest. Fortasse scripsit *Hecaten dic. deam multiplicem.* — 3 *gaudium*) *χαῦνον* Maj. explicat. — 5 *superabundet*) *gaudia super habundent necesse est* E; *gaudia semper abundent* G; libri editi *semper superabundent.* —

16. Vid. ad. mythogr. I, 104.

v. 7. *id est antist.*) Sic mythogr. I, 189, 40. — 9 *vel*) Leg. *seu.* — 13 *peperisset*) *pepererat* schol. ad Stat. Th. 4, 785 p. 185. — 21 *qui totum sciunt*). Quis Corybantes ita est umquam interpretatus? Hyg.

f. 139 fin. eos *Lares* appellari affirmat: vid. interpp. — 27 *Astraea*) Ovid. Met. 1, 149. — 29 *Pudicitia*) *Αἰδὼς* Hes. *ἔργ.* 198. —

17. Vid. ad myth. I. 37.

v. 31 *Titanis*). Coei sc. Vid. Hes. Th. 404. — 32 *Asterien*) Hes. Th. 409. — schol. Lucan. 3, 177. — 33 *ὄρτυγα*) *ortygiam* Majus. 40 *cataclysmum*) Lact. narr. fabb. 1, 9 p. 792, Varr. de R. R. 3, 1 *cataclysmon.* — 42 *venit in Lyciam*). Vid. ad mythogr. I, 187. — p. 80, 13 *Gyaro et Mycale* est ap. schol. ad Lucan. 3, 177, ubi eadem fabula narratur. — 16 *Lucanus*) 3, 460:

Quum tantum nutaret onus, telluris inanes
Concussisse sinus quaerentem erumpere ventum
Credidit. ———

18. Serv. ad Ecl. 5, 55, mythogr. III, 8, 16 fin.

Constat secundum Porphyrii librum, quem Solem appellavit, triplicem esse Apollinis potestatem C D H M N. — Sed L *Constat . . secundum Porphyrium, quod solem appellaverunt triplicem Ap. p.* — 30 *solem esse* L. — 31 *ap. inf. Apoll.* L. — 32 *armoniae ymaginem* C D L. — 33 *quadrigam*). Correxit Majus; cod. Vat. *scribe meum;* sed *griphen eum* C; *gripe meum* D; *gryphen* H L M N. Gryphes Apollini consecratas dicit Serv. ad Ecl. 8, 27; ap. Sidon. Carm. 22, 66 sq. Apollinis currum trahunt; cf. Claudian. 6 cons. Honor. 30. Itaque scribere malim *gryphem;* etsi bene scio, *quadrigam* quoque Apollini esse sacram (Fulg. 1, 11. myth. III, 8, 6. I, 113 et II, 20.); at qua ratione haec Apollinem terrenum numem ostendat non assequor. — *quae eum etiam* H N. — 34 *indicatur*) *judicatur* L. — 35 *Inde et* H M. — *Graece*) om. C D. — *late perdens dicitur*) Istud *late* corruptum arbitror ex *Latine*, quod habet schol. ad Germ. Arat. p. 109 Buhle. — *dictus est ἀπο τοῦ ἀπολεῖν* C D; *a Graeco apolin* H L. — Fulg. 1, 11.

19. Schol. ad Stat. Th. 1, 717 p. 40.

v. 38 *Achaemenios*). Sic schol. ad Lucan. 2, 49. 8, 224; *Achaemenides* Solin. 54, 5 p. 290 Goez; *Achaemenidae*, regia Persidis familia Herod. 1, 125, Str. 15. 727 d = 1058 a, Plin. 6, 26 § 98 ed. Sillig. — *gentis Achimeniae* est in cod. Taurinensi et al. Stat. l. l. — 40 *Mytra* schol., qui addit: *ut Hostanes refert.* Zoëga Bassiril. 2, 16. Visconti Mus. Pio-Clem. T. 2 tab. 19. — 41 *thyara* schol. — *cultu*) *habitu* schol. — *leonis vultu*). Recte om. schol. Nam non est Mithra qui ita fingitur, sed *Aeon.* — 42 *pertinet*) *dicitur* schol. — 43 *perdens*) Schol. ad Germ. Arat. p. 109 Buhle, Fulg. 1, 11. — p. 81, 2 *sucum*). Ita et E G, non *succum.* — *herbarum virentium decoquendo perd.* Fulg. — *et auspic . . . . reguntur*) om. Fulg. — 3 *etiam divinat.* E G. — *quod*) *sive quod* E G. — 4 *manifestat in lucem* E G. — *vel*) *seu* E G. — *ortu*) *processu* E G. et mythogr. III p. 202, 26. — *multimodis* G; *multitudos* E. — 5 *monstret ejus orbita* E G. — *Titan* etc.) Isid. Or. 8, 11, 53 sq. — *Titanibus*) *Titanis* Isid. Vid. ad myth. 1, 113. Serv. ad Ae. 4, 119. 6, 580, Albric. p. 919. — 9 *ephebus*) *ephoebus* Majus; *novus* interpretatur myth. III, 8, 4. — 10 *cottidie* Majus constanter; *cotidie* codd. Lindem. ad Isid. — *nascatur* codd. Lindem. — *Pythius*) Lact. narr. fabb. 1, 8 p. 792, schol. ad Aristoph. Pl. 39 p. 297 ed. Bekk. Hyg. f. 140 p. 248. Cf. myth. III, 8, 1. — 13 *Παθὼ*) Fulg. 1, 16. *Παθὼ* Majus; *phitos* E; *phithis* G. Jamdudum notata est hujus etymi futilitas. — 14 *omnis falsa* E G. —

20. Fulgent. 1, 16.

Apollinis triphum adiciunt E G. — *quod sol et praet. noverit, et praes. cernat, et fut. vis. sit* Fulg. cf. myth. III p. 202, 10. — *praeterita novit)* om. E. — *visurus sit* Majus. — 17 *Arc. vero sagittasque h. conscribunt* Fulg. — 18 *sive* Fulg. — 19 *seu* Fulg. — *omnem duetatis* E. — 20 *Hunc quadrijugo* etc.) Fulg. 1, 11. *qdrigiā* E; *quadrigam* G.

21. Vid. ad mythogr. I, 113 fin. schol. ad Germ. Arat. p. 109. ed. Buhle.

v. 23 *posuerunt* Fulg. et schol. — 24 *Aethon*) Ovid. Met. 2, 153, Hyg. f. 183 p. 302. Spanh. ad Callim. in Del. 169. *Actaeon.* Fulg. — 26 *tertia hora*) *tertiae horae momentis insistens* G; *vehemens insistens* E. — 27 *ad summum* etc.) *ad umbilicum diei centratum* (*contractum* G) *consc. circulum.* — 28 *nona hora*) *nonae horae proclivior v. o. pronus inc.* E G.

22. Sch. ad St. Th. 3, 506 p. 106. Cf. myth. I, 115.

v. 32 *Phleg. fil.*) Serv. ad Ae. 6, 618. *Coronei* filia est ap. Lact. narr. fabb. 2, 7 et 8. sed om. schol. — 34 *occulte temerator* schol. — 36 *comperto ej. adult.*) om. schol. — *cui*) *cujus* schol. — 37 *corvum autem* etc.) Lactant. narr. fabb. 2, 7 p. 798. — 40 *sive quod solus* etc) Mythogr. III p. 207, 45 sq. — *foetus*). Hoc uncis inclusi tamquam glossema. — *oviparos pullulet foetus* Fulg. *ovipares* G.

23. Lactant. narr. fabb. 1, 9. Cf. ad mythogr. I, 116.

v. 5 *quae in Thessalia essent, spec. haberetur, adeo quidem, ut deos pulchritudine sua caperet* Lact. — 6 *exarsit*) *expalluit.* — 10 *laurus de fluv.* etc.) Fulg. 1, 13. — 13 *scripserunt*). Addit Fulg: *ut Antiphon, Philochorus* (*filiocrus* E; *filocrus* G; et sic. edd.) *Artemon* (*astemon* G) *et Serapion Ascalonites promittant in libris suis.* — 14 *vera somnia* Fulg.

24. Fulg. 1, 14. Vid. ad myth. I, 114.

v. 17 *decem sunt modulamina*). Haec deinde per partes explicat Fulg. ex libris Anaximandri Lampsaceni, Zenophanis Heracleopolitis, Pisandri physici (*philic.* G.) et Euximenis (sic E; *eusimenes* G). — 18 *edicimus*). Sic et G; vulgo *dicimus.* — 19 *cogitatio*) *cognatio* E. — 20 *quae repperit historias*). Singularum Musarum inventiones non memorat Fulg., qui tamen Graeca etyma apponit — *Κλέος*). Sic G; sed E om. hanc interpretationem. Majus *κλέος.* Quae sequuntur copiosius explicata reperies apud Fulg. — 24 *suavia dicens vel*) om. E G. — *quasi μελέτην ποιούμενη, id est meditationem faciens permanere* Fulg. — 26 *tertium instare meditando ad id* Fulg. — 29 *plura recordans vel*) absunt a Fulg. — 32 *justum est ut aliquid simile et de suo inveniat* Fulg. — 34 *delectans instructione* Fulg. — 35 *oportet te* Fulg. — *dijudicare* Fulg. — 36 *sonoritas* et *bona vox* om. Fulg. — 37 *quod*). Sic et E; vulgo *quid.* — 38 *despuas* Fulg. — *despicere*) *despuere* E; *dispuere* G. — 40 *optima tribuens*) om. Fulg. — *hic ordo erit* Fulg. — *primum est* Fulg. — 42 *quod delectatus es* G; *quod desideratum est*

E. — 43 *vel desideratum est*) om. Fulg. — *de tuo s. ei ad quod m.* Fulg. — *de quo judicas* Fulg. — *bene proferre* Fulg.

Versus novem Musarum). Sunt Ausonii Idyll. 20. — 6 *boatu*). De hac voce vid. interpp. ad Apulej. Met. 10 p. 691 ed. Ruhnk. cf. T. 2 p. 379. — 7 *Signat* etc.) Hic versus ultimus est ap. Aus. ubi vulgo *loquitur Polyhymnia* legunt; sed copula abesse nequit. — 8 *Dulciloquos calamos* libri editi. — 9 *affectus* edd. Aus. — 10 *Uraniae* etc.) Hic versus penultimus est ap. Aus. — *Comica* etc.) Hic vers. ap. Aus. tertius est ab initio. — 12 *carmine ducto*) *carmine, vultu* vulgo ap. Aus.; sed quomodo aliquis vultu possit saltare, non assequor. —

25. Schol. ad Germ. Ar. p. 111. Isidor. Or. 8. 11, 56-59. Vid. ad myth. I, 112.

v. 15 *similiter lunam* Isid. — 16 *quod in via* pessime schol. — De re cf. August. de C. D. 7, 16. — 17 *Et ideo*) *idcirco igitur* schol. — *ambo . . . finguntur* Isid., *dicuntur* schol. — 18 *terram emittant* schol., qui deinde plura de sole inserit. — *Diana autem luna dicta est, quasi diana* schol. — 19 *luna app.* Isid. *eo quod d. ac. n. apparet ipsa* schol. — 20 *et*) supplevi ex Isid. *et luna* schol. — *asserunt* Lindem. Isidoro restituit pro vulgato *asseverant*; om. schol. — 21 *fungatur.*) Sic schol. Sed leg. *fingatur*; erravit typotheta. Majus *fungitur.* — *de qua Virg. (Verg.* schol.) Ae. 4, 511 cf. ib. Serv. et ad Ecl. 4, 10. — 23 *et eadem* nonnulli codd. Isid. — schol. addit: *id est caelestis, terrestris et infernalis.* — 24 *sublustri* etc.) Locus est Prudentii contra Sym. I, 365 sqq., qui olim apud Hyginum quoque extabat; vid. Munck. *diss. de Hyg. aetate* fol. † † † † † ed. Stav. Schol. sic: *De qua quidam* Denique quum luna est sublustri splendet amictu; quum succincta jacet calamis etc. — 26 *Quum subn.* etc.) Hic vers. abest a schol. — *Lunam vol.*) Haec extant ap. Fulg. 2, 19 et myth. III, 7, 2. — 27 *esse*) om. Fulg. et schol. — *etiam apud inf. Pros.* Fulg. et schol. — 28 *vicinior terris*) *humilior* Fulg. et schol., quod agnoscit myth. III p. 198, 10, ubi eadem leguntur. — 29 *Nam lunae*) *unde bigam boum habere dicitur, illo videlicet pacto, quod detri. et aug.* etc. schol; quocum consentit Fulg.; sed hic om. *unde big. boum habere dicitur.* — *decrementa*) Leg. *detrimenta.* Erravit typotheta. Istud tamen est ap. Apulej. Met. 11 init. p. 752 ed. Ruhnk. Hoc confirmant omnes nostri codd. — *augmentum et detrimentum* L. — *n. s. in terra lapides, sed etiam* (*et* H M) *animantium (animali ut* L) myth. III. — 30 *ac etiam*) *et quod magis incredibile sit etiam laetamina* etc. schol. et Fulg. — *et quod magis mirum est etiam laetamina* myth. III. — 31 *sentiant* Fulg. et myth. III. — *lunae) luminis sui* L. — *incrementis* E et schol. — *seminata.)* Reliqui codd. *ejecta.* — *degenerant et*) om. reliqui codd. — 32 *pariant hortis* L; *parturiant* schol; *ortis parturiunt* H; *parturiunt ortis* E H. — Hic schol. et Fulg. plura intexunt. — 33 *ligna*) *furfuraceis* add. schol. et Fulg. — *deficiunt*) *fistulescunt* Fulg; *fistulascunt* schol. — *Nem. etiam praeesse* H M N. — 34 *fenatio; noctu* (*nocte* L) *maxime pascatur, die vero dormiat* myth. III; *plus nocte quam die fiat* schol.

26. Schol. ad Stat. Th. 9, 632 p. 327.

Bryten) *Briton* schol. Vulgo *Britomartis*, ut ap. Callim. in Dian. 190. et ap. Str. 10. 479 a = 733 C. ubi interpp. copiose egerunt de etymo hujus vocis. De ipsa re docte desseruit Heyn. in exc. ad Virg. Cirin. — *Cretensis Dia.* schol. — *se jecit* schol. — *δίκτυα*). Sic et myth. III, 7, 4, et Calim. l. l. vituperatus a Strabone l. l. qui nomen

Dictynnae a *Dicte* monte Cretae derivat. Sane urbem Dictynnam memorat Mela 2, 7, laudatus a schol. ad Lucan. 3, 185. Dianam Tauricam *Dictynnam* vocat myth. I, 20, 5. II, 202, 42. — *Insula tamen Cr. p. laborare coepit, quam ev. penitus nequissent* schol.

27. Schol. ad Stat. Th. 4, 226 p. 130.

Caryae s. *Carya* (St. Byz.) oppidum Laconiae est; Thuc. 5, 55, Paus. 3, 10, 8. 4, 16, 5. — *Cariae* schol., sed haec Statii vox est, quam schol. explicaturus est. Mythogr. eam cepisse videtur pro dativo. — 6 *Carratium* schol. — *Καρυάτιον* nullibi repperi. — 7 *meditatus*) Maj. conjecit *minatus*. — *est*) om. schol. cum seq. *et* — 8 *fugit* schol. — 9 *caram* schol. — *et templo et de dea* pessime schol. — Originem hujus nominis similiter explicat Serv. ad Ecl. 8, 30 fin.

28. Vid. ad myth. I, 229.

29. Isidor. Or. 8, 11, 50-52.

v. 20 *quia per viros pugnatur, ut sit Mars mas* Isid. ubi Areval. correxit *Maris ars*, improbante Lindemanno. — 22 *a Marte mors* legendum est cum Isidoro. — 23 *Hunc et adult.* Isid. — *belligerantibus* Isid. — *eventus*) abest ab Isid. — 24 *in*) om. Isid. — 25 *caedis*) *cordis* Isid.

30. Cf. Fulg. 2, 4, mythogr. III, 1, 7.

v. 30 *ἄφρος*) Isid. Or. 8, 11, 76. mythogr. III p. 214, 29. — 34 *per damnum*) sc. secundum Stoicos. — 36 *fingunt*) *pingunt* Fulg. et myth. III, 11, 1 qui eadem habet. — *quia*) *quod* Fulg. — 37 *Porphyr.*) *in epigrammate* add. Fulg. et mythogr. III. — 38 *Horatius*) Serm. 1, 2, 43. — 39 *Rursusque*) Hor. S. 1, 2, 59.

31. Fulg. 2, 4, mythogr. III, 11, 1.

adiciunt E G constanter. — *et rubent et. p.* E G. — *ut etiam libido. Rubet* etc. Fulg.; sed. vid. interpp. — *itemque libido ruborem ingerit e pudoris opp.* myth. III.

32. Fulg. 2, 4 fin. mythogr. III, 11, 1.

Concha etiam marina portari pingitur edd. Fulg.; sed E G ut noster. Cum Fulg. facit myth. III. — *quia hoc animal* myth. III. — *sicut Juba in physiologis refert* addit Fulg. —

33. Vid. ad mythogr. I, 175.

Initium extat quoque apud Fulg. 2, 4. — *adiciunt* E; *ponunt* G. — *illa videlicet causa quod huj.* etc. Fulg. — 14 *sunt*) *sint* Fulg. — *maxime fervidae* myth. III, 11, 1.

34. Vid. ad mythogr. I, 200.

v. 33 *Quid vero . . . sentiat* E G. — *dicamus*) *edicamus* E G. — 34 *arboris*) *in India* addit L M N. — 36 *Adon Graece suavitas dicitur* E G. — 37 *cum amasse dicunt* E G. —

35. Serv. ad Ae. 1, 664, mythogr. III, 11, 18.

v. 2 *res*) *voluptas* C D. — 4 *ex Venere tant.*) Meleag. ep. 50, Simonides enim Veneris et Martis fil. dixit Cupidinem secundum schol.

ad Ap. Rh. 3, 26. — 5 *dicant* D. — 6 *Chai*). Veterum sententias recenset Paus. 9, 27, 2. Cf. Plat. Symp. p. 178 b. schol. ad Ap. Rh. 3, 26. Jovis et Veneris fil. est apud Eurip. Hipp. 534. 1270. — 15 *deficit*). Exemplum addit Servius et myth. III, sc. Didonem in Ae. 3, 76: *Incipit effari mediaque in voce resistit.* —

36. Serv. ad. Ae. 1, 720. Cf. ad mythogr. I, 132.

Aglaie). Nomina absunt a Servio. — 18 *una aversa* etc.) Fulg. 2, 4. — 21 *orchomento boecie civ.* D. — 22 *Acidalia*) *alia* C. — 23 *aut quia inicit* C. — 26 *s. fuco esse debent* D; *s. fuco sunt* C. — *et sine simulatione)* om. C D. — Fulg. 2, 4: *quia omnis gratia nescit subtilem ornatum.* — 27 *gratias*) *amicitias* myth. III, 11, 2, qui deinde cum Serv. Horatium laudat. — 28 *nos respicientes* reliqui codd. — Fulg. l. l. *quia omnis gratia simplex eat, duplex redeat.* —

37. Vid. ad mythogr. I, 176 et 128.

p. 87, 3 *Impetrato* etc.) Serv, ad Ge. 3, 113. — 4 *conjugio*) *conjugium* C. — 5 *dum illa . . . reluctaretur*) *illa reluctante* C D. — *natus est* etc.) Quomodo hic locus e Fulg. 2, 14 restituendus sit, supra demonstravi; cf. schol. ad Germ. Ar. 156 p. 53 Buhle, et infr. ad III, 10, 3. — 8 *in cistam abscondidit* Fulg. — *aclauro* E; *haclauro* G. — Alii scr. *Agraulos.* — 9 *Pandorae*) *Pandroson* intelligit auctor; vid. interpp. ad Hyg. f. 166. Paus. 1, 18, 2 et Heyn. Obss. ad Apoll. p. 329. — *Erythiae fil.*) Alii Cecropis ex Aglauro s. Agraulo filiam dicunt. Istud nomen a librariis corruptum est. — 16 *Virg. in III Georg.*) v. 113 sq. —

38. Vid. ad myth. I, 126. III, 6, 26.

v. 21 *lapsaco* L et vulgo ap. Isidor. Or. 8, 11, 25, qui eadem narrat. — *de qua* etc.) *qui ob v. m. m. a civibus ejectus est* H L M N. — 22 *postea tamen* H M; *p. autem* L. — 24 *pro eorum fecunditate* H M. — 25 *aliae terrae* H L M N. — 26 *semel in anno aliquid creent* H L M. — 27 *aliqui horti numquam sine fr. sunt* L. — 29 *sine Cerere* etc.) Est hemistichium Terentii in Eun. 4, 5, 6 Bentl; quo usus est Fulgentius 2, 4. Ipsius Veneris et Liberi filium Priapum dicit Burm. cod. Serv.

39. Fulgent. 2, 2. Cf. mythogr. III, 10, 2.

v. 32 *lanificii* etc.) Serv. ad Ae. 7, 805. Isid. Or. 19, 20. — 36 *sapientia*) om. Fulg. — *Gorgonam etiam* E G. — 37 *in pectore*) Fulg. addit: *quasi terroris imaginem.* Aliter explicat Isid. Or. 8, 11, 73. — 38 *capiti ejus*) om. Fulg. — *ponunt* Fulg. — *ut cerebrum sapientis* E G. — Fulg. deinde citat Plautum in Trinum. 4, 2, 9. — 39 *Triplici etiam veste subnixa est* G; sed E omisit — 40 *seu quod omnis sapientia sit multiplex, sive etiam quod celata. Longam etiam hastam fert, quod sapientia longe verbo percutiat* Fulg., qui deinde iterum: *Triplici etiam veste quod omnis sap. tecta extr.* etc. — 42 *dicunt*) *volunt* Fulg. — *enim*) *denique et.* — p. 88, 1 *quasi athanathe parthene* Fulg. et myth. II, 119 et III p. 221, 38 L N; ita ut Fulgentium errasse censeam. Ultimo tamen loco ἀθάνατος cum Majo in textu reliqui, quum id exhibeat cod. Vatic. — 3 *in hujus etiam tutelam n. volunt* E G. — 3 *etiam.)* Adde ex E G *in tenebris.* — *teneat*) *possideat* Fulg. — 5 *Nycteus* etc.) Schol. ad Stat. Th. 3, 507 p. 106 (cf. ad myth. I, 98). — *felicissimus*) *felix si numquam pater fuisset* sch. — 6 *Nyctaeam* schol. — Nyctimene vulgo est Epopei filia,

qui rex fuit Lesbi (Hyg. f. 204. 253. Burm. ad Ovid. Met. 2, 590.) — 8 *vero*) om. schol. — 10 *ille*) om. schol. — *sero illi* schol. — 11 *Quapropter agn.* schol. — 15 *conscia* schol. —

40. Serv. ad Ae. 8, 414. Isidor. Or. 8, 11, 39-41, mythogr. III, 10, 4.

Volicanus) *volans candor vel Volicanus* Isid. et myth. III; *volans canus* schol. ad Lucan. 1, 545; *voluntatis calor* Fulg. 2, 14 ibiq. interpp. — 20 *volet.*) Ita omnes mei codd. Lindem. autem *volat.* — 2 *a Junone . . . dej.*) Vid. ad myth. I, 128. — 23 *imo*) Vid. ad III, 10, 4. — 24 *et*) *etiam* C D et Fulg. — 25 *cadat*) *cadit* C D Fulg. et myth. III. — *quodque*) *quod quia* C D. — 27 *Claudus* etc.) Isidor. Or. 1, 39, 4. — 28 *Ideo vero* etc.) Hinc incipit Fulg. 2, 14. — 29 *sapientiae*) *sapientibus* Fulg. — *surripiat* G. — 30 *quia*) *hoc est* Fulg. — 32 *quidam*) Leg. *quidem* secundum Fulg. — *erictonius* E. — 33 *dicitur*) *tonos vero non solum terra, quantum etiam invidia dici potest, unde et Thales Milesius ait octonos dexescos miceps tarsia* (ὁ φθόνος δόξης κοσμικῆς φθάρσις), *id est invidia mundanae gloriae consumptio* addunt E G. — 33 *Et quidnam al.* E G. — *surrepens* E, quod divinaverat Muncker. Recte! — 34 *quod quidem* E G. — 36 *celat) omnis sapiens furorem suum in corde caelat* addunt E G. — *draconem custodem* E G. — 37 *commendat* E G. — *aclauro* E; *haclauro* G. — 38 *Aglauros* dicendum erat mythographo. — 39 *aconleron* E; *haconleron* G; *acconloren* Majus, qui *hanc corruptionem*, inquit, *aliis persanandam permitto. Dicerem ἀχίδων λήθην, nisi periret etymologia.* Quamnam corruptam etymologiam sibi finxerit auctor, non opus est investigare. Fulg. editt. *ἀχόληθον*, quod sane monstrum est. — 40 *commendat*) *quae omnium munus est* addit Fulg. —

41. Schol. ad Stat. Th. 4, 482 p. 142. Cf. mythogr. I, 119.

Corvilius) Leg. *Cornificius*, cujus *Etymorum libri* saepius a Macrobio et aliis laudantur. Quinque Mercurios recenset Cic. de N. D. 3, 22, (ubi cf. interpp.) tres Serv. ad Ae. 4, 577. — 3 *Juppiter cum Maja*) Serv. ad Ae. 8, 138. — 10 *canino capite*) Isid. Or. 8, 11, 49. Albric. 6 p. 907, ibiq. Staveren. —

42. Cf. ad mythogr. I, 119.

v. 13 *curius*) *curum* dicit Fulg. 1, 18, quod glossa interlinearis in E explicat *procuratorem; κύριον* est ap. mythogr. III, 9, 1. — 15 *medius inter deos*) Serv. ad Ae. 8, 138. — 17 *rapina* etc.) Fulg. 1, 23. — 20 *Pennatis autem* etc.) Serv. ad Ae. 4, 239. — 22 *Flavus* etc.) Serv. ad Ae. 4, 558. — *Canino* etc.) Serv. ad Ae. 8, 698.

43. Serv. ad Ge. 4, 464.

v. 30 *etiam testudo est* D. — 11 *putrefacta* C D. — 12 *perc. a Merc. sonitum dedit, ex cujus imitatione cithara est composita* Serv. — 41 *Mercurius* etc.) Vid. ad myth. I, 119 et ad III, 9, 3. —

44. Cf. mythogr. III, 8, 20.

v. 7 *lyram illi conc.*) Mythorum rationem turbat scriptor. Nam citharam prius inventam esse in vulgus notum est. Vid. Orph. nostr. p. 177 et 15. — *theologus*) *Orph.* p. 142. 149. 153. — 11 *Erat autem ipsi* etc.)

Vid. mythogr. I, 76 et Serv. ad Ge. 4, 317. — 15 *accepta*). Fortasse *arrepta* praestat.

45. Schol. ad Stat. Th. 12, 156 p. 407, cf. mythogr. I, 190.

v. 23 *et gravidam fecit*) om. schol. — 25 *et in ejus sinu* schol. — 26 *maturos* schol. *vel ut alii dicunt*). Haec sententia abest a schol. Plura de *Palicis diis*, auctore Aeschylo, Callia, rerum Sicularum scriptore, Polemone et Xenagora disseruit Macrob. 5, 19 p. 554 sqq. Zeune, Aristot. Mir. Ause. 58 p. 115 Beckm. Diodor. XI, 89. — 29 *que*) om. schol. — *Palyci* schol. —

46. Vid. ad mythogr. I, 39, 18. ad III, 2, 2.

47. Vid. ad mythogr. I, 39.

Postea Hippomenes etc.) "Reliqua omittimus, quia eadem prorsus sunt apud mythogr. I. 39." Majus.

48. Vid. ad mythogr. I, 127.

49. Vid. ad mythogr. I, 227.

Faunus infernus etc.) Serv. ad Ae 7, 91. — *incubae*). Leg. *incubones*, ut est apud Serv. ad Ae. 6, 776, vel *incubi* cum August. de C. D. 15, 23 et Isidor. Or. 8, 11, 103, qui *incubonem* a Romanis Faunum ficarium dictum esse refert, ad quem Horat. C. 3, 18 alluserit. — 38 *vocibus*) Serv. ad Ae. 7, 81: Faunus *ἀπὸ τῆς φωνῆς dictus quod voce, non signis futura ostendit.*

50. Serv. ad Ae. I, 500, cf. ad Ecl. 10, 62, mythogr. III, 5, 3.

p. 92, 1 *sanguis emanat*) Ovid. Met. 8, 763. — 2 *Napaeae*). Has easdem esse ac Dryades Serv. docet ad G. 4, 535. — 5 *Marica*) Serv. ad Ae. 7, 47. — 7 *secundum Varronem*) ap. Serv. ad Ecl. 7, 21. — 9 *commemorat* C D. — 10 *quam aëris icti efficit sonus* C D, cf. Isidor. Or. 8, 11, 96.

51. Serv. ad Ae. 1, 132, cf. mythogr. I, 183.

v. 15 *juxta Hesiodum*) Th. 378. — *ex aëre nubes*) Serv. ad Ae. 1, 587. — 16 *venti cr.*) Serv. ad Ae. 3, 571. 577. 7, 23. De *nube* disserit Seneca N. Q. 2, 30, 4 ibiq. Koeler p. 363; de *ventis* idem 3, 9. 5, 5 ibiq. Koeler p. 402. 530.

52. Serv. ad Ae. 1, 52, Isidor. Or. 14, 6, 36 sq. Cf. mythogr. III, 4, 10.

v. 19 *novem.*) *Septem* dicit Serv. ad A. 8, 454 (cf. St. Byz. v. *Λιπάρα*, Plin. N. H. 3, 8 § 92 Sillig.) Str. 6. 256 d = 394 b. et 275 c = 422 b. Solin. 6. Schol. ad Hom. Od. 10, 1 p. 330 sq. Butm. ad Ap. Rh. 3, 42.) — *Aeoliae*) Diodor. 4, 67. — 22 *praedixit f.*) *ex quarum nebulis et fumo Vulcaniae insulae praedicens futura fl. vent., ab imperitis vis. e.* etc. Serv. — 23 *Fingitur autem* etc.) Tz. ad Lyc. 738 p. 761, Eudoc. p. 17. — Mythographi nostri in hac fabula enarranda Varronem sequuti sunt. —

53. Cf. ad mythogr. I, 11.

32 *Gorg. cap.*) Hoc auxilio Jovem usum esse contra Gigantes fabulae vulgo non tradunt. — 34 *qui et Briareus*). Errat mythogr. — De Encelado Serv. ad Ae. 4, 179; — de Aegaeone ad Ae. 10, 565 ubi Hom. Il. 1, 403 affertur. — 37 *Revera* etc.) Haec leguntur ap. Serv. ad Ae. 3, 578 et myth. III, 1, 10. — 38 *fabulosa* (*fabulosum* C) *acceperimus* Serv. — 39 *flaegra* D; quod retinuit Majus; *flegrea* C. — *quomodo*) *quemadmodum est in S. encheladus* C D. — 40 *othus* C D. — *Sallustium* Majus, quod ne semel quidem a nostris codd. confirmatur, qui constanter scribunt *Salustius*, ut est in optimis Salustii codicibus et antiquissimis editionibus. Fr. inc. 203 p. 257 Gerl. — 41 *thyphoeus* C. — *Campania*) *ut* add. C D. Est vers. Virg. A. 9, 716. — *Inarime*) om. D. — p. 93, 4 *factum*) *fictum* C. — 6 *de imis*) *de humilibus* D H L M N; *de humillimis* C. — *habuisse serp.* C D H M. —

54. Vid. ad mythogr. I, 178.

v. 12 *numen.*) Sic et L N; *nomen* H M. — 13 *integro*) *uno* myth. III; qui habet etiam *ambrosiae nectare*, quod retinuit Majus, nec ego contra codd. fidem mutare ausus sum.

55. Schol. ad Stat. Th. 10, 845 p. 370. Cf. mythogr. I, 83.

Othus schol. — *Gigantes*). Recte abest a schol. — *erant*) *fuere* schol. — *Icti autem*) *et icti* sch. — *missi*) *mersi* sch. Fundus hujus fab. est ap. Hom. Od. 11, 304. Cf. Eratosth. ap. Schol. ad Ap. Rh. 1, 482, Heyn. ad Apollod. p. 42.

56. Serv. ad Ae. 6, 585. Cf. ad myth. I, 82.

v. 24 *filius fuit* C D. — 25 *qui fabric.* C D. — 26 *super eum agitabat currus* C D. — 27 *fuisset jaculatus* C D. — *eum jubebat occidi* C D. — *a Jove fulminatus* om. C D. —

57. Serv. ad Ae. 10, 189. Cf. mythogr. I, 118.

v. 30 *pheton climenis* C D. — *fil. fuit, qui quum* etc. Serv. — 31 *esset non de sole* C D. — 33 *esset ej. fil.* Serv. — 34 *stygiam* D. — 35 *petit ille ut ejus currus agitaret* C D. — 37 *feton* C D. — *excessisset* D. — 38 *coeperit mundus ard.* C D. — *heridanum cecidit, qui* etc. C D. — *Phaëthusa*) *fletusa* D et Majus; *fethusa* C. — *Lampetie*). Sic correxi ex Hom. Od. 12, 132. 375. Majus *Lampedusa*; sed *lampadusa* D; *hläpedus. adeor* C. — *ut alii dicunt.*) Utrumque dixit Virg. vid. ad mythogr. I, 118.

58. Schol. ad Stat. Th. 3, 685 p. 115. Cf. mythogr. I, 17.

De Gigantum sanguine.) Alii, ut Apollod. 3, 8, 1. Lycaonem Pelasgi fil. dicunt; alii Mercurii, ut schol. ad Theocr. 1, 124 p. 844 Kiessel; alii aliter, cf. Dionys. Hal. Ar. 1, 13. — 6 *et a*) *nactusque a*| *rel.* schol. — 7 *seductamque compr.* schol. — 8 *tumens*) *crescens* schol. — 9 *Illa autem*) *quae* schol. — 10 *Arctos*) *Arcas* schol., Hyg. P. A. 2, 4 p. 425, Apollod. 3, 8, 2 etc. — 12 *Calysto* schol. — 14 *ursamque credens misso telo* schol. — 15 *sustulit*). Sic Majus. Sed leg. *sustinuit*; schol. *sustinens.* — *parricidium* schol. — 16 *collocavit*). Sic Hyg. quoque l. l.; sed schol. *rettulit.* — 17 *μεῖζον* schol. — *Arctos*) Leg. ἄρκτος.

59. Schol. ad Stat. Th. 3, 685 p. 115.

v. 21 *filia Nerei)*. Recte abest a schol. Intelligit enim Thetim *majorem*, quam dixit mythogr. I, 204, 5 et 31, i. e. *Tethyn*, Hyg. P. A. 2, 1 p. 421. — 23 *nutricis*) *nutritae* schol; qui deinde affert Virg. Ge. 1, 246.

60. Serv. ad Ae. 1, 731.

Verborum structura admodum scabra ac rudis est in hac fabula — 29 *hospitalitatis jure*). Hoc nove dictum est pro *hospitii jure*. — 32 *hospitii jura non esse violanda* Serv.

61. Cf. ad mythogr. I, 19. Hyg. p. 112

v. 38 *Victimae enim* etc.) Haec leguntur apud Serv. ad Ge. 2, 380, cf. ad Ae. 3, 118 et myth. III, 6, 26. — 39 *per simile* L. — *per contrarium* H L M. — 40 *pecus*) om. L. — p. 95, 1 *frug. obest* H M N; *pecora quae obsunt fr.* L. — 2 *et caper* Serv. — *Item et Aesc. c.* Serv. — 3 *qui*) *quia* H M; *qui deus est* L. — *quum capra n.* etc. Serv. — *sine*) om. L. — 7 *Maera*) Hyg. f. 130, P. A. 2, 4 p. 428, Apollod. 3, 14, 7 § 4 ibiq. Heyn. Obss. p. 331. — 11 *Virgo*) Serv. ad Ge. 1, 33. — 13 *Bootes* Serv. ad Ge. 1, 67. —

Scholion) Serv. ad Ge. 2, 389. — 32 *per intercolumnia* C D, qui omiserunt *inter duas columnas*, ita ut clarum sit, has tres voces esse vel uncis includenda, vel potius ejicienda. — *ita*) om. C D. — 34 *ad risum populo commovendum* D; *emovendum* C. — *in Orphoeo* D. — 37 *enim*) *autem* C D. — 38 *Sic*) *sicut et* C D. — 40 *sub*) *sul* D. — 42 *quod maximum est* C; *quod est maximum* D. —

62. Vid. ad mythogr. I, 103.

v. 5 *Habitavit autem* etc.) Serv. ad Ge. 3, 94. — 7 *sagittarius*) Mythogr. III, 15, 9, cf. Hyg. P. A. 2, 38 et 27.

63. Acr. Porphyr. et schol. Cruq. ad Horat. C. 1, 16, 13, Fulgent. 2, 9, mythogr. III, 10, 9.

v. 10 *limo homines fing.* Acr. et Porph.; *ex limo hominem f.* schol. Cr. — *jussu deorum*) om. sch. Cr.; *jussum* Acr.; *fingere jussum et* Porph. — 11 *prout er. eor. nat.*) om. Porph. — *ei*) *homini* Acr. Por. et sch. Cr. — 12 *apposuit* Cr. — *Unde*) om. Por. et Cr. — 14 *a lepore*) *posuit* add. Acr., *depromsit* Cr., quod excidisse videtur ap. nostrum. — *a vulpe ast.*, *ceteraque a reliquis* Cr., qui reliqua omisit. Acr. autem pergit: *a lupo rapacitatem, ab equo velocitatem, a columba libidinem, et ex reliquis reliqua.* — 15 *Fecit autem* etc.) Hic incipit Fulg. — 16 *spondit* G; *spospondit* L. — *ut si*) om. myth. III; idem om. *inquireret.* — *quid*) *quicquid* myth. III. — 17 *de caelestibus donis ad s. o. adjuvandum* Fulg; *juvandum* myth. III. — *nihil se scire* Fulg; *se minime scire* myth. III. — *in caelestibus*) om. L. — 19 *ut se usque* M. — *superas* E. — *elevaret* Fulg. et M; *transferri* L. — *petiit* addit myth. III. — 20 *atque exinde*) *ut quid* myth. III. — *suo operi* M; *suae figulinae* Fulg. — *melius inire occultatus arb. praesumpsisset* E; *prosumps.* G. — *ut si quid suo op. congrueret, ipse cerneret et eligeret* myth. III. — 21 *caelo opificem detulit* E G. — *Illa ergo* (*vero* L) *eum* (*eum* om. L) *clypeo suo impositum in caelum delulit* myth. III. — 22 *Et dum*) *dumque* E G; *illic dum videt* M; *illic quum videret* L. — *omnia* (*corpora* L M) *caelestia flammatis animata* (*an. fl.* L) *vegetari* (*vegetare* G) *vaporibus* E G. — 23 *clam ferulam phebiacis ap. r.* E G;

clanculum fer. rotae ap. Phoebi myth. III. — *consequitur) furatus est* Fulg. et myth. III. — 24 *pectusculo* Fulg. — *reddidit*) *reddit* Fulg; qui cum myth. III recte add. *corpus.* — 25 *προμήθια*) *ΠΡΟΜΙΘΕΙΑΝΤΕΟΙ* E; *proni anteci* G. Itaque legendum est cum Munckero *προμήθειαν θεοῦ.* — *Dei providentiam* M; *Divinam provid.* L; *dei*) om. E. — *providentiam* E G, non *praevid.* ut edd. omnes. — 26 *Quasi*) *Ex* E G. — *caelestis* E. — *hominem factum* E G. —

64. Hygin. P. A. 2, 15 p. 454 sq. Stav.

v. 29 *inter sacra*) *in sacrorum* Hyg., qui copiosiore plerumque utitur oratione in hac fabula enarranda. — 30 *pr. excell. ingenii miram* Hyg. — 31 *impetrasse*) *recusatione* praemisit Hyg., pro quo *excusatione* proposuit Schefferus, *hac usus ratione* Muncker. — 34 *immolat* Hyg. — *jecora) jocinora* Hyg. — 35 *reliquam carnem ex utroque tauro* Hyg. — 36 *ossa autem quae circa fuerunt r.* Hyg. — 37 *et Jovi fecit p.* Hyg. — 38 *eorum sumeret p.* Hyg. — 40 *ne carnis usus utilis hominibus videretur, quum concoqui* etc. Hyg. — 42 *Minervae auxilio* etc.) Hic incipit mythogr. I, 1. — p. 97, 2 *Ipsum autem Pro.*) Hic iterum pergit Hyg. — 3 *per Mercurium*) om. Hyg. — 5 *cor*) *jocinora exesset* Hyg; sed Hemsterh. cod. *exederet.* — Deinde ap. Hyg. ea inseruntur, quae in seq. fab. ap. nostrum leguntur. — 5 *Euristheo* Hyg. — *propter*) *ad* Hyg — 10 *haec memoriae prodita est causa* Hyg. *haec memoriae causa pr. est* Majus.

65. Hyg. P. A. 2, 15 p. 456; cf. Hyg. f. 54.

v. 13 *feruntur* Hyg. — *ut . . . ex se* etc.) Haec barbara sunt. — 18 *sibi*). Omnino legendum est *ipsi; vincire* codd. nonnulli ap. Hyg., probante Staverenio. — 19 *adhuc*) om. Hyg. — *argento*) *ferro* Hyg. — De *ferreo* Promethei anulo vid. Plin. N. H. 37, prooem. Isidor. Or. 19, 32, 1. — 20 *Haec autem*). Hic incipit myth. I, 1, 10. — 37 *popilius* C. — 38 *eo*) om. B D. — *et tantum* C; *tamen* B. —

66. Vid. mythogr. I, 29.

67. Vid. mythogr. I, 101.

68. Schol. ad Stat. Th. 3, 453 p. 103. Cf. mythogr. I, 85

v. 21 *etenim) enim* schol. — 23 *edicit*) *edidit* legendum est. Erravit typotheta. — 25 *praetulisse deae* schol. — *His rebus off. J. in juv. v. puellas* schol. — *injecit sylvas p.* schol. — 26 *adeo ut . . . timerent*) om. schol. — 27 *habere*) *induxisse* schol. — 28 *donec Proetus regni p.* etc. schol. — 39 *proposuit habiturum et ex his conjugem* schol. — 30 *autem*) *ergo* schol. *Melampo* et Majus et schol. — 31 *eaedem*) om. schol. — *ab*) om. schol. — 32 *acceptamque Melampus unam ex virginibus duxit uxorem, et consors regni Praeti fuit et gener. hic Melampus herbariae artis peritissimus fuit* schol. —

69. Serv. ad Ae. 1, 27 fin. Cf. mythogr. I, 179.

70. Cf. ad mythogr. I, 91.

quae et Libya dicitur, quaedam puella) Leg. *quae Lydia quaedam dicitur puella.*

71. Lactant. narr. fabb. 6, 3 p. 828. Cf. mythogr. I, 156.

v. 6 *vel Pelopis fil.*) Rectius Lact. *Sipylo Lydiae orta.* — *uxor Amphionis*) om. Lact. — 7 *partus*) *par* cod. Neap.; om. Staver. — 8 *quum*) om. Lact. — 9 *dum com. gaud.* Lact. — 10 *ex*) om. Lact. — 11 *filiis*) *liberis* plures codd. Lact. — *Apollini et D.*) om. Lact. — *per preces thura redderent, sola extitit, quae sacr. i. noluerit* Lact. — 12 *potiorem se numine deae* Lact. — 13 *filiis*) *liberis* Lact; qui in seqq. uberior est. — 15 *filiabusque*). Harum mentionem etsi [in superioribus diserte non fecit mythographus, hoc tamen loco eam sibi negligendam non esse duxit. In reliquis vero toto coelo a vulgari fama aberravit. —

72. Vid. mythogr. I, 100.

73. Cf. mythogr. I, 189.

v. 30 *quae antistes terrae f. t.*) *quae oraculo praeerat* schol. ad St. Th. p. 109. — 32 *reverti*) *reparari* schol. —

74. Vid. mythogr. I, 97.

p. 100, 6 *quorum Zethus* etc.) Serv. ad Ecl. 2, 24, Acr. et schol. Cruq. ad Hor. Ep. 1, 18, 42.

75. Hyg. f. 149, schol. ad St. Th. 4, 737 p. 156, Isid. Or. 14, 5, 1.

v. 16 *Memphim* Isid. Lindem. et Hyg. Stav. — 17 *Cassiopa* Isid. Lindem. Vid. ad mythogr. I, 80 et interpp. ad Hyg. l. l. — *Libyam* Isid. Lindem. — 19 *quae etiam* etc.) om. reliqui. —

76. Vid. mythogr. I, 148.

v. 25. *Libyae*). Majus proponit *Tyri;* vid. not. ad I, 148. — 29 *et ex ea tres fil.*) Hyg. f. 178 p. 296.

77. Vid. mythogr. I, 149.

78. Schol. ad Stat. Th. 3, 274 p. 95. Cf. mythogr. I, 151.

v. 29 *Thraciae*) *ad Thraciam* usitatius foret. — 30 *Polymestori*). Sic codd. constanter. Vulgo *Polymnestori*. — *genero suo per Ilionam filiam* addit Serv. — 32 *eum.)* Melius abest. — 36 *id.*) Addidi de meo. — 38 *Quam Thraces* etc.) *fiendo in canem conversa est, quum se praecipitare vellet in maria; quod ideo fingitur, quia nimio dolore inaniter Graecis convitiabatur* Serv. et myth. III, 9, 8.

210. Vid. mythogr. I, 195.
211. Vid. mythogr. I, 15.
212. Fulg. 2, 12 fin. myth. III, 11, 8 fin.

v. 19 *χειρῶν ἔργον.*) Sic Majus. Cod. Vat. *cironore*; G hic et 2, 10 fin. *cironcre*; E altero loco *Cyroncri*, altero *cironcre*; editt. altero loco *χειρῶν κρίνη*, altero *χειρῶν κρινή*. *Manuum judicium* altero loco explicat Fulg., altero *manus dijudicatio vel operatio*. Unde patet Fulgentium sibi finxisse etymon a *χειρῶν* et *κρίνω*. — 20 *manuum*) *et operationem* addit Fulg., qui deinde laudat Terent. Andr. 1, 1, 52. — *Hanc etiam Ulixes* E G. — 22 *penelopam* E G. — 23 *jungatur* E. — *Circe autem* etc.) Haec absunt a Fulg., nec facile inde intelligitur, cur Solis filia dicta sit Circe.

213. Vid. mythogr. I, 182.
214. Vid. mythogr. I, 159.
215. Vid. mythogr. I, 158.
216. Vid. mythogr. I, 44.

v. 17 *ut spreta uxore sua eam amet.*) Haec absunt a cod. Vat. Supplevi e myth. I, monente Majo.

217. Vid. mythogr. I, 4.

218. Serv. ad Ge. 3, 258. Cf. mythogr. I, 28. III, 11, 19.

Leander etro abydenus et estias D. — *abidenus* C. *ero* C. — 3 *Heron) eroem* C; *ro rec* D. — 4 *ellesponticum* C D. — 5 et 6 *Extincta . . . . . periit.)* Hanc sententiam om. C D. — 6 *cujus corpus* etc.) *Quum igitur juvenis oppressi tempestate cadaver ad p.* etc. C D. — 7 *ipsa) illa* C D. — 8 *in mare) e turre* C D.

219. Cf. ad mythogr. I, 75.

v. 13 *quam retineri) nomen extincti* addit Serv. ad Ae. 1, 651, qui eadem habet. — 31 *Ob quam causam* etc.) Haec absunt a reliquis myth. sed extant ap. Serv. l. l. — *adhuc)* om. Serv. — 32 *nomen).* Sic et D. Sed rectius C *numen.* — *Unde et) Hinc etiam* C D. — 33 *Talassio* C D; Majus *Thalassio.* Vid. Liv. 1, 9. ὁ πολυθρύλλητος Ταλάσιος Plut. Q. R. 31 p. 271 e; cf. Dionys. H. 2, 30 et veterum sententiam ap. Fest. fr. p. 268 Lindem. Varro (ap. eund. Fest. p. 152 Lindem.) Talassionem signum esse lanificii asserit. — 36 *remansit) fuit* Serv.

220. Acron ad Hor. Epod. 6, 13.

v. 38 *Lycambus* Majus. — *Hanc quum* sch. — 39 *promissa nec a patre data est, huic iratus Arch.* schol. — 41 *quo Lycambes tanto est dolore c. ut cum fil. vitam laqueo finiret* schol. — Porphyrion brevior est.

221. Acron ad Hor. Epod. 6, 14.

v. *quendam)* om. schol., apud quem falso legitur *Bubalum.* — *pictorem.)* Hoc docte negat Welcker in fr. Hippon. p. 12 sqq. Eum sculptorem fuisse constat e Suid. 2, 147 et Eudoc. p. 248. — *Clazomenas.)* Sic Majus correxit. Cod. *laudomenas.* — 4 *per risum) pro risu* schol. αὐτοῦ εἰκόνας πρὸς ὕβριν εἰργάσατο Suid. et Eud. — *Hinc) quo* schol. — 5 *vitae exosus)* om. schol. — De Bupalo cf. Aristoph. Lys. 336. Plin. N. H. 36, 5 (4, 2.) et Welcker. fr. Hip. p. 82.

222. Acron ad Hor. A. P. 404.

v. 8. *cum) omni deformis p. m.* Acr. Leg. omnino *deformis* etc. — 9 *qui) is* Acr. — *tubam inv.)* Tyrrhenus quidam invenit tubam; vid. Paus. 2, 21, 3, Hyg. f. 174; cf. Polluc. 4, 11. Clem. Alex. Str. 1 p. 306 Sylb. Plin. N. H. 7, 56 § 201 Sillig. Athen. 4. 184 d. Serv. ad Ae. 8, 526. — 10 *Lacedaemones* Majus; quam nominis formam defendit Muncker ad Fulg. 1, 1 p. 622. — *vicerunt* Acr. — *Nam quum* Acr. — 12 *consuluerunt Lacedaemonii Apollinem, quibus responsum est* Acr. — 14 *postulantibus)* om. Acr. — 15 *quum hostes novus tubae sonitus terruisset* Acr.

223. Acr. Porph. et sch. Cruq. ad Hor. Ep. 1, 19, 15.

Hyarbita schol. omnes. — *natione) regione* Acr. — *quum) dum* Acr. Porph. et Cruq. — 19 *post convivium et inter pocula dcd.* Acr. et Cruq. — 20 *paene discr.* Porph.

224. Vid. mythogr. I, 194.
225. Apicius.

voracissimus). Hunc Plinius (9, 17 § 66 Sil.) *ad omne luxus ingenium mirum*, et (10, 48 § 133) *nepotum omnium altissimum gurgitem* vocat, qui imperante Tiberio gulae famam nactus est (Plin. 19, 8, 41, Athen. 1 p. 7 c). — *multa scripsit.*) "Auctor praecipiendarum coenarum, qui scripsit *de juscellis*, fuit exemplum gulae." Schol. ad Juv. 4, 23 p. 122 Cram. Qui liber hodie Apicii nomen prae se fert, is ad aliud pertinet tempus. Plures autem Apicios fuisse constat; Lips. ad Tacit. An. 4, 1; Casaubon. ad H. Aug. 1 p. 831. — *veneno periit.*) Senec. Consol. ad Helv. 10.

226. Opimius.

Opimii historiam narrat Horat. Serm. 2, 3, 142-157, ex qua mythogr. plura ad verbum retinuit. — 34 *privatis*) *profestis* Hor. — p. 150, 1 *ante se numer.*). Hoc pecuniae numerandae officium pluribus aliis tribuit Horat. — *Ni tua custodis* Hor. — 2 *fame an morbo per.*) Immo ap. Hor. ipse Opimius exclamat: *eheu! quid refert morbo, an furtis pereamve rapinis.*

226. Sch. Lucan. 6, 427. Cf. mythogr. I, 96.

habundans Majus. — *quibus primi* etc.) Serv. ad Ge. 1, 8, schol. ad Lucan. 3, 441. — *p. columbas aereas*). Immo per *ollas aereas*, ut dicit schol., qui explicat Lucani verba: *quid frugibus altrix aere Jovis Dodona sonet*. De columbis Dodonaeis vid. schol. ad Stat. T 3, 106 p. 87.

228. Serv. ad Ge. 2, 161.

v. 10 *sinu campaniae contra puteolanam civitatem* C D, quod verius est. Vocem *Bajas* Majus de suo addidisse videtur, nam litteris quas vocant Italicis exarata est. — 12 *vectigalia magna praest.* Serv. — *Romanis*) om. Serv. — 13 *maris impetus plerumque irrumpens* (*erumpens* D) *exinde p. e.* Serv. — 14 *gravia damna* Serv. — *senatum* C. — *Gajus Jul. Caes.* D. — 15 *quae antea infesta esse consueverat* Serv. — 16 *reliquitque* C D. — 17 *quo*) *quae et* C D, qui addunt *et fluctus non essent molesti.* —

229. Venus et Diomedes.

Res notissima ex Hom. Il. 5, 297 sqq., ad quam saepius alludunt scriptores posteriores, in primis Plut. Symp. 9, 4 p. 739. — 22 *percussit*) Serv. ad Ae. 4, 288. Juv. 15, 66. — 26 *aves*). Vid. ad myth. I, 143. — 25 *destructuram*). "*Structura* vocabulum probum est. Item *instructura* habetur apud Frontonem ed. Rom. p. 34. Quidni accipiatur *destructura*?" Majus.

230. Oedipus.

v. 30 *se occidendum*). Ita saepius hoc participio utitur myth. si codd. veri sunt. — 34 *improperatum*). Vox plebeja, ut ap. Plaut. R. 3, 4, 28, ubi tamen alii legunt *opprobras*. Petr. fr. trag. 38 ed. Burm. *non impropero illi* i. e. non ut probrum illi objicio. — 38 *Sphinx*). Vid. myth. I, 169. II, 143. — p. 151, 9 *domo subter.*) Haec ex vetere quadam Romanorum tragoedia hausta videntur. — 10 *Polynices*). Vid. myth. I, 80.

NOTAE CRITICAE
IN MYTHOGRAPHUM TERTIUM.

De diis gentium etc.) Haec inscriptio quanam auctoritate nitatur, incertum relinquit Maji silentium. Fulv. Ursinus suo codici inscripserat *Incertus de diis gentium.* Item recentiores manus cod. Parisiensi praefixerunt triplicem titulum *Anonymi Mythologicon*, et *De idolis et astris incognitus Author*, et *Valerius Soranus*, de quo vid. infr. v. 29. Cod. H et L titulis omnino carent.

Prooemium) Majus *Prohoemium*, quae vox abest a meis. — 4 *Fuit vir in Aeg. d.* L N. — Fulgentius, qui eadem tradit (1, 1.) Diophantum Lacedaemonium hujus narrationis auctorem laudat, quem (exp. serm. ant. p. 770) *de sacris deorum* scripsisse refert; cf. Voss. de hist. Gr. 3 p. 359. — 5 *Hic habuit) habens* L. — *Contigit autem* L; *mori filium* N. — 7 *tristitiae suae* L. — 8 *invenit potius dol. sem.* L N. — 9 *dictum est idolum* L N. — Addit Fulgent. *udosdulo* G, *VA OCAOAOY* E; vulgo *idodinin;* unde editores finxerunt εἴδος ὀδύνης. — 10 *possumus dicere* L N. — *domini*) om. N. — *in adulat. domini* L. — 11 *plectebat . . offerebat .. succendebat* L. — 13 *a domino veniam* M N. — 14 *timoris potius* M; *potius timoris* L N. — *dictum est*) sc. a Petron. fr. p. 872 Burm. ed. II. — 16 *cultu*) *cultura* M N; *culturam* L. — 18 *recipiendos esse* L N. — *consueverunt* H. — 19 *orationis* H. — *as. auctoritas ducit* N, sed in rasura, quia totus locus perverso ordine exaratus fuerat. — 20 *dicunt un. d. e.* L. — 21 *eisdem* M L N constanter — 22 *qua*) *quia* N. — 23 *item)* om. L N; *idem* H. — *nuncupatur* L N. — *enim*) om. M. — 24 *Vitimus quia v. praestat* N; — *Vitimnus* H. — 24 *Sentnius* L. — *quia* N. — De Vitumno et Sentino vid. Augustin. C. D. 7, 3. — 25 *jupiter* H N constanter. — *hetere* H. — 26 *alia*) om. L. — *tamquam plurimorum*) *quasi multorum* N. — 27 *et*) *etiam* N. — *unus idem non s.* N. — *idemque deus* L. — 28 *sed et diverso ac vario* M N. — *nominatur* L. — 29 *Solani* L N. Majus conjicit *Sorani.* Sed frustra; etsi *Valerius Soranus* in ipso fronte codicis N legatur, tamquam hujus operis auctor. — Valerius *Serranus*, cujus atavos a *serendo* nomen traxisse affirmat Heins. ad Virg. Ae. 6, 845 (Cf. myth. I, 223.), inter poetas pauperes est apud Juvenal. 7, 80 et Martial. 4, 37, 3; (cf. Frotscher. ad Quinctil. I. Or. 10 p. 228, et schol. ad Juv. l. l. p. 285 Cram.); apud illum codd. et *Sarrano*, et *Sarano* et *Sarnano* exhibent. — *repertor.*) Malim *creator.* — *Unde*). Versus seqq. extant etiam ap. Serv. ad Ae. 4, 638. — *mea*) om. D. — *caelicolae magni* C. — 31 *diversa) divisa* C D. — 32 *oratio Jovis* N L. — 33 *quos.*)

Leg. *quae*; C *quod* in rasura. — p. 153, 1 *Remigius*). "In commentario amplissimo ad Martianum Capellam, quod opus non spernenda eruditione refertum, typorum lucem non immerito expectare videtur". Majus. — *In magnis vero dispos., ut ait* etc. N. — 2 *vero*) *autem* L. — *genere effertur* L. — 3 *accepit* H N. — *Sive*) om. N. — *Servium*) ad Ae. 4, 638 — 4 *dogma*) *doctrinam* L; *docma* H. — 5 *competiendi causa p.* L; *patiendi causa* N; *pariendi habeant naturam* C. — *Unde est*) *inde est* L; sc. apud Virg. Ge. 2, 326. — 6 *laetae*) Majus *late*. — *autem*) *vero* N. — 7 *vocantur* C D. — *ut*) om. L; deinde *quasi juvans p.* — 8 *liber pater* C. — *data*) om. Serv. — *dicit*) om. N. — 9 *quod quum* L M N. — *a corpore tamen homo) quasi factus ab humo* L. — 11 *multis tamen*) *multisque* L. — *in multis tamen per dispensationem sive diversitatem c. v.* M. — 13 *Nunc autem* etc.) Caput (*tractatum* hic et in reliquis vocat M) *de Saturno* hic incipit Majus et L. — H autem omni capitum distributione caret. — *Nunc*) N; *ut* H L, qui deinde post *dimoveamus* non interpungunt, sed verba, a quibus nos novum caput orditi sumus, sc. *Primum deorum*, tamquam apodosin ponunt. — Apud Majum autem non tantum desiderantur verba *Nunc autem deinceps*, sed pro *inexplicitos* (*inexplicatos* L N) nobis offertur etiam *Explicitos*, quod quomodo explicari possit in hoc sententiarum connexu, non facile est intellectu. — 14 *error. revolv.* E. — *possimus* L. — 15 *auctoritatis* L N. —

1. Saturnus.

1. Cf. ad myth. II, 1. — *deorum saturn.* L. — 19 *habentem*) om. N. — *habentem am. coop.* L. — 20 *falcemque*) om. N. — *falcem* L, sine copula. — 21 *devoret* L N. — *in dextra tenentem*) om. Majus. — 22 *nonnulli* L N. — 23 *aliqui* L.

2. Serv. ad Ae. 8, 317. — v. 25 *regnum* L N. — 27 *receptus est. quem cum* L M N. — 28 *et)* Rasura vacua est in N. — *in parte* L. — *admissus est regni statimque opidum* L N. — 29 *Hoc ait itaque* H. — *magnum opus impendens* L M N. — 30 *perogationem* L. — *populos ad se trahens* L N. — 31 *nominari* L N. —

3. *ergo*) *autem* L N. — *poetae ut poetae bello v. utpote* etc. H. — 33 *a*) om. N; *regnoque* M. — *expulsum* L N. — *Matematici* H. — 35 *tristia* N; *denunciat* H. — 37 *cum movet* H. — *Unde est*) ap. Horat. C. 2, 17, 19. — 38 *undae*) om. M N. Eadem habet Serv. ad Ge. 1, 336. — 39 *in alio*) om. N. — 40 *nociva* L M. — *apportat*) *operatur* N. — 43 *sol, mercurius, venus* L N; *mercurius, sol, venus* M. — "Mercurii ac Veneris revolutionem multo breviorem esse solari, quis modo ignorat?" Majus. — *alius*) *solius* H. — *bienium* H. — p. 154, 1 *duodenium* H; *duodecenium* N. — *transseant* L N. De Saturno Serv. ad. G. 1, 336: "Solus est, *inquit*, qui et longius a sole discedat, et bis ad unumquodque signum recurrat."

4. *Senem quoque* L. — *senum est ut calore juv. destituti frig. laborent* L N; quae lectio praeferenda erat propter parenthesin seq. — *senes c. j. destituti frig. laborant* Majus. — 7 *exist.*) *appellatur* N; *vel etiam existimatur* addit L. — *remotissimus* Majus, apud quem seqq. usque ad verba *Quae a temporis* etc. desiderantur. — 8 *sit etiam aquis* L; *sit aquis etiam* N. — *caelestibus* L N. — 9 *et*) om. L N. — *quae a*) *quae etiam a* N. — 10 *effectu* L M. — *videlicet*) *scilicet* N. — 11 *sua habeat domicilia* L; *habent* M; *habeant* H. — *positus*). Leg. *posita* cum L. — 12 *tamen*) om. L M N; in H id a se-

cunda manu exaratum est. — *gravissimam nobis et frigidissimam uredinem brumae praestat* N; quam ultimam vocem L quoque offert. — 13 *eum*) om. N. — *umbra sua* Majus; *sua substantia* L H; quam genuinam judico lectionem. — 14 *quia sua contraria videlicet constellatione* L; *constellatio* N, omisso adjectivo *contraria*. — 15 *enecet hom.* L. — 15 *vero*) *enim* L N. — 16 *improprie quidem* L N; *impr tamen* M. — 17 *semper*) om. L N. — *vicinos*) *propinquos* L N. — *esse*) *fuisse* H. — 18 *tantum*) om. L N. — 19 *frigidus*) *quandoque* addit N; *quoque* L. — Majus autem: *dictus est, quia frigidus pro nocente ponitur, ut vult Serv.* — *ponitur* L quoque. — *vult Servius hoc exemplo, ubi ait Virgilius Frigidus in* $\overset{a}{p}$ (i. e. *prato*) *z ó senex* N, omissis reliquis Virgilii verbis. Similiter L: *in Virgilio exemplum habens ubi dicit Frigidus in pratis* etc. At H omisso Servii nomine: *quod autem frigidus d*^{r} (i. e. *dicitur*, sed a secunda manu) *o pueri fugite hinc latet anguis in herba*, qui locus est Virg. Ecl. 3, 93. L M N respiciunt Ecl. 8, 71: *Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis*, ubi Servius istud *frigidus* explicat *nocens*, cf. eund. ad Ae. 7, 715 et Ge. 1, 336. — 22 *denique*) om. M. — *quoque*) om. L. — 23 *quod*) *quia* L. — *phlecmatico naturaliter* L N. — 25 *mensibus suis* L. — 26 *sing. ann. sentimus* L M N. — 27 *depingunt* L N. — 28 *quia brumas et nives iisdem mensibus cr.* etc. L; *quod brumas et iemes isdem* (i. e. *idem*, $\frac{i}{z}$ d^{e} H) *cr.* etc. N. Istud *idem* verum est. — 29 *habet*) om. N. — *se muniat et idem suadere nobis putetur* N. — 30 *itidem*) *idem* L. — 31 *naturae est* M N; *n. sit* L.

5. *enodat. transe.* L. — 34 *appellant*) *accipiunt* N. — *Hinc etiam* L. — 35 *ob hoc*) *ad hoc* N. — *tectum ob hoc* L. — *quod*) *quia* L N. — 37 *ex*) *a* L N. — 38 *pulsat* L N. — *Sed etiam Toex* L; *thex* H; *sic etiam a gr.* τοξ *quod apud nos CCCV et LX significat, ut probant compotistae* (sic et H L) N; *quod apud eos CCC et LX*^{ta} legit L, omissis reliquis. — 41 *Tex*) *Thex* H; *toex etiam a Graecis* L; τοξ *etiã a Graecis commectens — consumens apud nos int.* N; *dicitur apud nos* L; *a nobis interpretatur* M. — 42 *devorasse*) *comedisse* L N. — 43 *quodcumque* L. — *genita*) om. L N. —

6. *ferit*) *non immerito* addit L N. — 46 *quod*) *quia* M; om. L N. — *ut praediximus* L M N. — p. 155, 1 *Saturnus*) om. L N. — *falces usum tribuit* L N. — *ad*) *in* N. — 2 *curraminis*) om. N. — *etiam*) om. L N. — 3 *Qua de causa* M; *hac etiam de causa* L N. — 4 *tenere in dextra* N. — 5 *quia d. annus* N L. — 6 *annuam*) *animam* H. — 7 *omn. frug. dev.* L; *frug. omn. prov. dev.* N. — 8 *id est*) *et* N. — *sicut et flamma omnia c.* L N. — 9 *dicant* L. — Est locus Servii ad Ge. 2, 406. — 9 *in progr.*) *recto incessu* C. — 10 *vero*) om. L M. — *quum retrogr. est, esse periculosum* C D L M; *sed retrogradum esse periculosum* N. — 11 *habere in tutela* C D. — *quod ipsa* (*protenta* C D) *impulsa* L; *quod ipsa in impulsu* M N. — 12 *quicquid ei occurrerit*) om. N; *occurrit* M; *quicq. autem offendit* L, omisso priori *vero*; *sed revocata secat* L. — 13 *esse dicit eum* L N. — *Fulgentius*) 1, 2. — 14 *producunt fol. tegantur umbracula* L; *obnuti tegantur umbraculo* E G, ita ut manifestum sit, *tegantur* verum esse; *tegant umbracula* N.

7. *Habet quoque fabula* M N. — *vel*) om. N M. — *celi* H L. — 16 *abcidisse* H; *abscisisse* M; *amputasse* N. — *abscisa in m. projecisse* L M N. — 18 *de ipsis videlicet* M; *ipsis* L. *in mare missis*) om. N. — 20 *testiculi enim* N; *naturalia enim . . . abscisa* M. — *utriusque abscisi* L N. — 21 *Fulg.*) 1, 2 et 2, 4. — 22 *et*) om.

L N. — *a seminaribus priorum* L. — *generati* N; *nati* L. — 23 *creand.*) *generandos* N. — *propagantur a. noscuntur* L N. — 25 *mersos* N. — 26 *Comicus*) sc. *Terent.* vid. ad myth. II, 38. — 27 *philosophi enim* M; *ph. autem* L N. — *dicunt hoc ideo fictum esse* L; *hoc ideo factum dictum esse, quia* etc. N, omisso verbo *dicunt*. Vid. Serv. ad Ge, 2, 406. — 28 *in terram descenderit, nihil creatur* Serv. *desc. ad terr.* L. — *phys. ven. terr. dicunt pulcrit.* N; *pulcrit. intelligunt* L. — 30 Alii, ut Serv. ad Ae. 5, 801. — 31 *hac aut. ratione* H L. — 33 *per dampnum nata* L N. — 34 *quia dicunt physici* C D. — *esse semper, quem* M. — 35 *semper*) om. L N. — *elicit*) *producit* L N. — *et*) *etiam* C. — *quia* N; *quae* C D. — 36 *eam ideo* M; *pot. eam* N. — 37 *quia* M N, ut saepius pro *quod*. De re cf. Fulg. 2, 4. — 38 *stimulos* L. — 39 *relinq.* N. —

8. *quum secund. fab.* L. — 41 *fing. posse* L N; *posse fie. p. fing.* M. — *Quod*) *Idem* L N. — 42 *ortum fuisse* N. — 43 *hieme (ieme* N) *senesc.* L N; *in hieme* M. — *reviv. autem in vere vid.* L; *reviv. vere* N; *et reviv. in v. v.* M. — 44 *modo*) om. N; *et* L. — *draconis habere* N. — 45 *nunc*) *et* L N. — 46 *nunc*) *et* N; *sed* L. — *cristas*) om. N. — p. 156, 1 *quae omnia* rectius L M N. — 2 *varietatem* N. — *evenire necesse est* L N. — *addit et quod* N; *addunt etiam* etc. L M. — 4 *habet*) om. N. — *ab iisdem* L. — 5 *deus*) om. L. — *de*) om. L. — 6 *in arto f.* N. — 6 *Servius*) ad Ge. 4, 153. — *tantum*) om. L. — *comedisse fil.* N. — 7 *deus est* L M. — 8 *Ideo autem* L. — *Tullius*) N. D. 3, 24. — 9 *vocatum* L. — *victus* L M. — 10 *ne immoderatos cursus h.* L M.

9. *Polluris* H N. — *Fulg. ref.* L N. — Cf. ad myth. I, 102 et II, 1. — 13 *quod*) *quam* melius M L N. — 15 *ut quidem paulo* (sic et M) *evagari* L N. — 16 *facta*) *sordida* N; *secunda* L. — *suum a*) om. N. — 17 *depulsum*) om. N. — *Jov. pacem quae* etc. L M. — 19 *ab*) om. L. *saec. aur. i. e. aureis moribus dicunt in* etc. N. — 19 *eatenus*) *aetas ejus* L. — *dictum est*) *fulgebat* L. — 20 *dicit convertisse* L. — 21 *jam*) om. L; *in terrenis jam* N. — *subditis*) *substantiis* L N. Recte! — 22 *atque*) *et* L. — 23 Lege *aggressi*. — 24 *bellicis instrumentis* L N. — *vicit* N. — *fulmin. dicitur* L N. —

10. *de his quae Var.* L N. *quae* vera est lectio. — *memorat* L. — *vel partim ad pr. negamus attin.* M; pro *attinere* est *contingere* in L N. — 27 *per tempus dil.* L N. — 29 *facile eos ex* etc. L N. — Cf. myth. II, 35 fin. — 34 *habere serp.* M; *serp. habuisse* L. — *eorum tempore* L N. — 36 *fictum est* L M N, sine *sic*. — 36 *aut in caveis vel speluncis* N. — 37 *manebant homines* L N. — 38 *aut quum suam* L. — *sunt dicti procreati* M L N. — 39 *refert*) *ait* L. — *Lactant.*) vel Placidus in fabb. narr. 1, 3 p. 789, ubi *antea*, inquit, *aut in antris habitabant aut incolebant frutecta sylvarum;* vel Firmianus in Inst. 6, 10, notante Majo. — *dum* om. L. — 40 *more pec.* L N. — 41 *montium*) *cautium* L N. — 42 *vel*) *seu* N. — *putabant* L N. —

11. *est*) om. N. — *archades dic.* L N. — 45 *quia*) om. L M N. — *namque et ipsi* M. — *densitate*) *diversitate* M. — 46 *exierint* N. — *quia nec* L M N. — p. 157, 1 *prius*) om. L N. — *eas*) om. L. — *se prius extitisse crediderunt*, omissa neg. *nec*, rectissime N. — *crediderunt* est etiam in H L M. Apud nos erravit typotheta. — 2 *archades* constanter L. — *frigiis* N. — *certantes* L N. — De Aegyptiis hanc refert historiam Herod. 2, 2. — 4 *ut*) *dum* M. — 5 *vox innata* L N. — 5 *frigum vel archad.* L. — 6 *vero*) *autem* L M N. —

puuere N, omissa voce *βεκός*, pro qua H M *vere* offert, et L *phrige.* — 8 *panis*) *prior esse intell.* L N. — *cognitum est*) *contigit* M. — *non*) om. N. — 9 *autem*) om. L. — *nobiles dicti s. arch.* L M N. — 10 *Referunt* H. — 11 *tuquirides* H. — *thuchirides* L N. — *lib. pr.*) cap. 2. — *fuisse Graecorum* L N; *graeciae f.* M. — 12 *cognoverunt* L N. — *devast.* N. — 13 *ex sterilitate* L N. — 14 *ideo soli inq.* L M N. —

2. Cybele.

1. *Uxor deor. m. Sat. deputatur* N. — 16 *ream* H L. — *cybelen* L. — 17 *opim* L M N. — *Opis vero* L M N. — *ut ait Servius* (ad Ae. 11, 532), *idem innuere videtur latine quod Gr.* etc. rectissime N. — 18 *rea graece* L M. — *autem*) om. N. — 19 *Fulg.*) 1, 2 *quod opem esurientibus ferret*; cf. Albric. 1 p. 897. — 20 *juxta eund.*) 3, 5; cf. myth. I, 230. — 21 *volunt* L. — 22 *pro superbia* recte E G M; *prae* et *per* editt. Fulg. — 23 *habitare ferunt* L. — *excelsi et superbi* M. — 24 *Daemon. autem* L; *vero illos d.* M. — 25 *studuerunt* M. — *populus*) om. N. — *εἷς*) *ys* H; *is* E G L. — 26 *inquit*) om. N. — *indigetes inquit* L. sc. Fulg. 3, 5. — *quasi*) *quidam* L. — *indigetes quodammodo indigentes* N; *indigetes quasi nihil indigentes* E G. — 28 *interp. daem.* L. — *enim*) om. L N. — 29 *a δημ.*) *ā demonti* H L; *quasi diamones* M; *quasi demonti* N. Ergo legendum est *δημοῦχοι.* — *δαήμονες* explicat Mart. Cap. 2 p. 39 ed. Hug. Gr., atque id haud dubie voluit M, qui priorem interpretationem omisit. — 30 *diamones*) Leg. *δαήμονες* et cf. Mart. Cap. l. l. — 31 *vocaverunt* L N. — 32 Leg. *Medioximus*; cf. infr. p. 250, 22. — 33 *et homines* L; *et hominem discernitur* M. — 34 *terrestria . . . caelestia* L M N. — 35 *medioximos Apulejus* L; sc. de dogm. Plat. 1 p. 204 (T. 2) ed. Ruhnk. citat. a Serv. ad Ae. 8, 275. Cf. Non. Marc. p. 141 et Mart. Cap. 2 p. 39. Apuleji codd. meliores *ἀρχαϊκῶς* scribunt, *medioxumos.* — 37 *hujusmodi* N. — *dix. Virg.* L N. — 38 *vocasse deum* M. Nostram lectionem confirmant codd. Virg. Ae. 8, 275. — *videt. Herc.* L N. —

2. *in*) om. N. — *Fulg.*) 3, 5. — *diutius docmate* N. — 41 *verni cinctos* L H; *v. cintos* E; *v. quintos* G. — *cinthos en.* E G; *cinctos en.* H. — 42 *Attica lingua* E G. — *unde etiam cintus* etc. G. — 43 *quasi hios cinthos* E G; *hians cintos* L N; *iascinthos* H. Itaque leg. *ἴος* pro *ὗς.* — *solus*) om. E; *flos solus* L N. — *videl.*) om. N. — 44 *perfec. dicitur* L. — p. 158, 1 *cibelle* H; *cybile* N; sed vid. ad myth. I, 230. — 2 *Homer.*) Il. 1, 279 *ὥτε Ζεὺς κῦδος ἔδωκεν*, quae verba misere corrupta sunt in E G. Majus post Munckerum laudat Il. *ϱ*, 566. Alii praeterea loci afferri poterant, ut Il. 11, 300. — *Ideo etiam* L; *Ideo et* M. — 5 *trahent. curr. suum* L N. — 9 *omni potentia ornata est et i. e. v. dominatur* N; *dominatur* est etiam in L H atque haud dubie verum est. — 7 *potentia* M N. — 8 *sive indigetes*) om. N. — *sive indig. s. daem.* L. — 9 *dicti*) *appellati* L N. — *divitum autem* L N. — *Haec autem pu. form. Atin* L N; *Atin*) om. M. — 10 *quem etiam* L M. — 11 *Ergo quia* L N. — *maximorum fam. suorum* L M N. — 12 *et*) om. L N; sed agnoscit Fulg. — 13 *diligit vel amputat quod odit* N; *amputat*) om. L; *amputet* M et editt. Fulg., sed *amputat* E G. — 14 *potentia nunc usque* L. — 15 *diuturn.*) *divinum* N. — *Ideo Latini dici vol. atyn quasi eton* L N. *athin* H M. — 16 *Ergoque* L.

3. *Ope etiam* L M; *vero*) om. M. — 19 *ponit* M N. — *dicit. grand.* L. — 20 *et*) om. L N. — *corp. mater*; *mater quod* etc. L N. — 23

metallisque L N M. — *Haec enim*) *quia haec* L N. — 24 *terrae vel in ar.* N. — *sed*) om. N. — 25 *Cybile* N; *cibele quasi cubile* H. — *cubele* L; *Cubela* M. — 26 *cube n. graeci* etc. L N. — *cubos numer* N. — 28 *cubile dicitur* L N. — 29 *ratio capitis* N. — *quia*) *quae* L. — 30 *exerc.*) *exsecuisse semet* M. — *commem.*) *dicunt* L N. — 31 *Idem, paene sed p. p. de ea Serv. sent.* L; sc. ad Ae. 10, 252. — *paulo*) om. N. — 32 *deor.* (*deûm* edd. Serv.) *par. terra dicitur* L; sed om. M. — *tellus*) om. N M. — 33 *tamen inquit* N. — *damus*) *datur* Serv. — 34 *autem*) om. N. — *esse*) om. L N. — 35 *ejus* L M N. — *verno temp. ap. hiemali claud.* L N. — 37 *ostendat* L N. — *omnia posse sup.* L N. — 39 *terra in aëre pendeat* L N. *pendet* M. — 40 *quod m. portatur et volub. e.* L N. Sed vid. myth. II, 46. — 41 *cum*) om. L N. — *glad. ping.* L.

4. *De hoc etiam* L N. — *Athin* H M; *atim* N. — *amavit* M; *berecinthia* addit L. — 46 *inquit*) om. L N. — p. 159, 1 *causa*) *creator* L N. — 4 *Scotus tamen* L. — 5 *impetum*) *rapetum* N. — *Ipsi etiam Opi d. t.* L M N. — 7 *in tut. ejus sunt* L N. — 8 *Vestam ei*) *Opi etiam Vestam* L N M. — 9 *dicit Mart.* N; sc. p. 2 ed. 1599. — 10 *exc.*) *creari* L; *elici* N.

5. Lege cum L N: *Quia v. de V. sermo casu* (*casu sermo* M) *ort. e., aliquantul. de ea proc.* — 12 *esse*) om. L N; *fuisse* M. — *suoque* L N; *suo gr. eum* M. — 13 *legitur* L N. — 14 *fictum esse* L N. — 16 *nutriri* post *caelestem* collocat N. — *esse*) om. L M N. — 17 *custod. inext. ignis* L; *ignis* om. M; *ignis inext.* N. — 18 Fast. 6, 268 de Vesta: *Significant sedem terra focusque suam;* et 301 *At focus a flammis et quod fovet omnia dictus.* Itaque N *ab antiq. quoque innuit veneratam Vestam foco fuisse.* — 19 *templi ejus olim ignem* L N. — 20 *de quo loco* L N. — *cunctos*) *junctos* H; *cinctos* L. — *quippe*) om. N. — *inire*) om. N. — 22 *putant* N. — *Addunt* N. — 24 *et*) om. L. — 25 *et*) om. L N, *deinde numen ignis esse meruit.* — *Juppiter*) Lege *jugiter* cum H L N. — 26 *habuit* L N. — *potissime* L. — 27 *igne*) om. L; *igne ut legi nullum* N; *ut legitur nullum* L; *legi* est etiam in M. — 28 *ulla*) om. L M N. — *religio*) om. N. — *et ipsi Ianus* L; *et ipse Vulcanus* M. — 29 *futim*) *futin* M; *suum* L; *futile* Serv. ad Ae. 11, 339, ubi C habet *futtis*, D *futilis.* — *futis*) *suus* L. Sane *futis* lexica non agnoscunt; *futile* iisdem verbis ac Serv. explicat schol. ad Stat. p. 287, et Donat. ad Terent. Andr. 3, 5, 3 et ad Phorm. 5, 1, 19. Vasa futilia a *fundendo* dicta affirmat Fest. p. 67 ed. Lindem., quae verba male intellixit Isidor. 10, 109. — 32 *hausta ad ej. sacra* L N. — 33 *piaculum*) *periculum erat et ideo* L. — 34 *vas excog.* L M N. — 35 *statim pos. effund.* etc. L. — *contineret* L; *in se* addit N. — *id ipsum* L M N. — 36 *aestimo* L. — *ut sicut* L. — 37 *nullo tempore*) *numquam* L N. — *esset* L. —

6. *Ovidius* L N post *terram* ponunt. — 39 *tholum*) *colum* N; *tolum* H. — 40 *rotundum* L; *rutundae* N. — 41 *prob. evid.* L N. — 42 *quasi sita sistit* N; *sita sit* L. — Apud Ovid. 299 est: *Stat vi terra sua; vi stando Vesta vocatur.* — 43 *omnia*) om. L. — *elementa de loco et in se moveri* N, sed in rasura. — 45 *Tullium*) N. D. 2, 27. — 46 *est illa quae* L N. — p. 160, 2 *denique*) *namque* L; *itaque* N. — *Vest. num.* L. — *ubi*). Leg. *urbi;* erravit typotheta. — *urbi Romae pr. scire lege facinorum prohibetur* L; *rome urii pr. sciri lege fatorum proh.* N. — 3 *Quod vero legitur* M; *quia, ut leg.* L. — *in cruce* L. — 5 *Virgil.* Ge. 1, 498. — *dicimus*) *videmus* M. — 8 Virgil. Ge. 3,

294. — *dicimus*) *legimus* L N; *videmus* M. — *cui XI Kl. maj. die festa quae palida d.* L N. — 9 *terrac*) *deorum* L N. — 10 *alii autem* L. — 12 *Nonnulli* etc.) Tractatum III *de Jove* hic incipit Majus. — 13 *omnium procreatorem sive factorem* L N. — *factorem omnium* M quoque. — 15 *Jov. prim.* L. — 16 *polluris* H N. — *i. e. pollifilium* H; *quasi poli vel* etc. N L. — 17 *videlicet*) om. L. — 18 *gign.*) *girantem* N, pro *generantem.* — *phys.*) *philosophi* L. — 20 *volunt intell.* L. N. —

3. Juppiter.

1. *id est*) om. L N. — 24 *esse*) om. L N. — *viderunt* L M N. — *germana* L N. — *Quia vero Juno . . a juvando dixerunt*). Utraque haec sententia abest a M. — 25 *aër Jovi i. e. igni* L N. — *subjectus* L. — 26 *jure*) *igni* L N. — *datum*) *traditum* L N. — *Hos vero* N. — 27 *ambos*) om. L. — *ab adjuvando alios dix.* L. — *Nihil enim sic* etc. N. — 28 *ullum*) *aliquod vivere an. potest vel spirare* L N. — 29 *Ζεύς*) *et eisdem* L; *idem* N. — *pater nuncupatur* L. — Cf. ad myth. I, 105. — 30 *vita*) *juxta* N H. — *quod hoc sc. el. et calet et igni vit., ut vult Her.* (ap. Serv. ad Ae. 6, 265) *cuncta sunt an.* N. — 32 *ergo*) *quoque* L N. — *juvans*) *vivens* M. — *interpretatur* N. — 33 *Ipseque est . . . . appellatur.*) Haec sententia bis exarata est in L. — *ipse et* (*etiam* N) *a luce, quam omnibus praestare videtur, lingua tuscorum lucentius* (*lucerius* N), *latina vero lingua* etc. N; *Latine vero* L. — *Lucetius* est ap. Serv. ad Ae. 9, 570, ibique *lingua osca;* sed *Tuscorum* praestat. —

2. *hominum atque*) *omnium* L N. — Respicit Ae. 10, 18: *O pater, o hominum rerumque aeterna potestas.* — 37 *philosophos* L. — 38 *Probus*) *prius* L; vid. Serv. ed Ae. 10, 18. — 41 *Jovis st. irr. hominibus hon. tr.* L N. — 43 *div. potest. Apoll.* N L, omissa copula. — p. 161, 2 *sent. sua* L N. — 3 *ergo*) *enim* L N. — *marcescentibus* L N. — 4 *poscat*) post *igne* ponit L. — *ex*) om. L M N. — 5 *aethere vel igne* L N. — *hoc fieri tamen* N. — 7 *ign. aeth.* N; *ignis i. e. aetheris* L. —

3. — Perversum verborum ordinem exhibet M. — 11 *fatum* L N. — 13 *qui non indig. infer.* N. — 14 *amminiculis* L N. — 17 *Nam* L. — *dicunt* N. — 18 *temper. et salut.* L N. — 19 *et Sat. pos.* L. — *mutuat* L N. — *videl.*) om. L N. — *vero*) om. L N. — 21 *trahens* L N. — *Hinc autem Virg.* L; sc. Ae. 2, 690. — *aspice terram* L. — *hoc tantum*) om. L N. — 22 *Quos*) *quod* L. — *rad. affl.* L N. — *afflaverunt . . vivant* L; *juvant* N. — 23 *alibi*) Ae. 10, 473. — 24 *fecundiorem* L N. — *sicut* L. — 25 *in contr.* N. — 26 *Diva*) *oblūta* L; *obvia* N. — *adversa* L; *aversa* N. — 27 *deos*) om. L N. — *adversos* H L N. — *et ibid.*) *idem* L N. — 29 *alibi*) Ae. 4, 362. — 30 *adversa* H L N. — 31 *adversam* H L N; *aversa . . irata* M. — 32 *quarto Aen.*) v. 362. — 23 *cartaginis* H; *karthaginis* M N; *kartaginis* L. — *ut impellat Ae.* L N. — 35 *sequitur*) sc. 4, 221. — 38 *fictum est* L N M. — *physica*) *philosophi* L. — 39 *autem quum a sin. p. veniunt* M L N. — 40 *nuntiant*) *erunt* L; *erant* N. — *cael. intuent. vid.* L N M. — 41 *bona sint* L N. — 42 *quae sinistra nobis sunt, dextra sunt caeli* L; *quod sin. nobis sĩ sĩ.* (utrumque est *sunt*) *dextra cae.* N M. — 43 *advers. de reb. terr.* L; *adv. terr.* N. — *nuntiare* L N.

4. *vero*) *autem* L. — *quae sicut refert fab.* L N; *quae sicut*) om. M. — 46 *administravit* L N. — p. 162, 1 *et*) om. M L N; ac profecto melius abest. — *philosophi dant rat.* L M. — 2 *caloris est* L. De hac re vid. ad myth. II, 3. — *adeo etiam ut ova* L. — *posset* L H. — 3 *excoquere* L. — *gagaten*). Sic H a secunda manu et N; *achatem* L. — *admoveret* L. — 5 *àcutum adeo* L N. — *intuit.*) *visum* N. — 6 *radiis solis* L. — *flectat visum* L N, quod verius judicio; *intuitum* M. — *Ajunt etiam matres* L. — 7 *ut*) om. L N. — *contra radios solis obvertere* L N. — 8 *ut si ipsos s. r. sustineant, vitae res.* L N. — 9 *in X* L N; sed est IX, 900. — 10 *dicit*) om. M N. — 11 *volucer* editt. Luc. — 12 *videl.*) om. L N. — *Elementa ig. calidissima et limpidissima sunt aetheri, i. e. Jovi, sicut animal, corporata, qui* etc. Majus; *aetheri i. e. Jovi merito hoc animal consecratur, quod calore et p. abund.* N; *aeth. i. e. Jovi merito consectatur animal, quod cal. et perspicuitate habundet* L. In hac lectionis diversitate *illud animal consecratur* verum est. — 13 *perspicuitate* M; pro quo Majus conjecit *perspicacitate*, ut est in H N. — 14 *fuerunt Ro.* L N. — 15 *quod* L N. — *aquila*) om. N. — 16 *sic et* L N. — *omn. pop. obtinebant principatum* L N, reliquis omissis. — 17 *aliud alii senserunt* L N. — 18 *auctor*) om. N; *quidem* L. Vid. ad myth. II, 198. — 19 *trojanos i. e. tytanis fil,* L; *tianos i. e. fil. titanis* N. — 20 *erat* L N. — 21 *et*) om. L; deinde *sacr. C. fecit.* — 22 *Cujus quum* etc.) *quum autem vic. ejus aug.* L N. — 23 *aur. sibi aq.* L N. — 24 *secuta* N. — *factum* M. — *quod*) *quae* N. — 25 *dim. aq.* L N. — 26 *natum est aquilas* (*aliquas* L) *militum signa comitari* L N. —

5. *tytanibus* L N; *titanis* H. — *de iis*) om. L M N. — 28 *feruntur* L. — *eos fabùlae*) om. L N. — 29 *ejus*) *sui* N. — *procreati* L. — *tytanes* L; *tytanides* N. — *a tyseos* L N; *a tiseos* H M. Vid. Serv. ad Ae. 6, 580; cf. ad myth. I, 11 et II, 53. — 30 *ab*) om. L N. — 30 *Ex his* L N. — 31 *narratur*) *dicitur* L N. — *unde et deificari meruit* L N. — 32 *tenet nom.* L. — 33 *reg. Troj.* L N. — 35 *comprehendendum . . mutasse* L N. — Vid. ad myth. II, 198. — 37 *dic. adh.* L. — 38 *Aquarium*). Vid. infr. III, 15, 11, Hyg. P. A. 2, 29. Philarg. et Burm. cod. ad Ge. 3, 304, schol. ad Germ. Ar. 283 p. 68 ed. Buhle, ad Lucan. 1, 653, ad Arat. p. 76, 40 Bek. — 39 *quoque*) *etiam* L. — 40 *ysidem* L; *ysidra* H. — 41 *i. hujusmodi pict. navi sim. et ipsam tulit* N; *hujusmodi similiter pict.* L; *habente picturam similiter* M. — 42 *credas*) *sit* L N. — *ysidis* L; *adhuc* addit N. — 44 *quidem*) om. L M N; *non aureo imbre, sed auro corr. e. ab eod. J.* L N; *auro, non aureo imb.* M. — 45 *dicit Hor.* N, sc. C. 3, 16, 8. — *verso* H L M N. — *in principium* N. —

6. *Habet etiam* L N. — *versum* N. — 2 *concubitu* L. — *ova duo* L N. — *protulisse* L. — 3 *sed tamen tres n.* L N. Nostram lectionem confirmant Fulg. codd. E G. — *et*) om. L N. — 4 *Fulg.*) 2, 16. — *inquit*) om. L N. — 5 *ponit pot.* L N. — λοιδῆ) *lide* E G H N; *lida* L. — *quod nos Latine aut injuriam aut convicium dicimus* Fulg; *injuria aut invid.* L. — *aut*) *sive* N. — *Omnis enim* L N; *ergo omnis* E G. — 7 *alicui*) om. L N. — *se declinans* L. — *et ei* M N. — 8 *veniens ad Led.* L N. — 9 *transformare* L. — *fingitur*) *dicitur* L N. — *ideoque in cy.* N. — *quia*) *quod* reliqui codd. — 10 *ferant* Fulg. — *esse plen.* L N M; *ita conviciis esse ple. ut* E G. — 11 *ipsa ave* E G; *ceterae* L N, omisso nom. *aves.* — *fuerint* E G L M; *sunt* N. — 12 *quoque*) om. L M N. — *alienis*) *alicui* L M N. — *faciendam* L N. — 13 *descendens*) om. N. — 14 *acipitur* L N. — 15

visc.) *viciosi* L. — 16 *affectu* N; *effectus injuria* E. *effecta injuria* G. — *tantum*) om. L. — 17 *Ex*) om. L N. — *tria* L M N. — *Castor, Pollux, Helena. Nihilominus sem.* etc. Fulg. — 18 *utpote est* L. — *disc. et scand.* N. — Uberior hic incipit esse Fulgentii oratio. — 19 *Troj. et Gr.* L N. — 21 *et*) om. L N. — 23 *quam quisp. alteri* N; recte haud dubie. — *timor*) *amor* N. —

7. *praemissa*) om. L N; *praedicta* M. — 30 *et*) *id est* L. — *ipsa*). Lege *ipso*. — 31 *quidam*) *quidem* H L; *qui* N. — *pululant* L. — 32 *timor*) *amor* N. — *perhennis* H L N sine *que*. — 33 *fab. alia* L; *aliqua* M. — 35 *Castorem Tindari fil.* M; *Cast. vero Tind. fil. fuisse et mort.* L N. — 36 *divin. ei* L N. — 38 *permisit* L N. — *fuerat* L M N. — 41 *oritur una, altera lateat* L N. — 42 *occ. pr.* L N. — 43 *Quod autem altera oriente altera occidat* L N. — *et alt . . occidat*) om. L; sed N pro iis habet *et exverso* vel *ecverso*. — 44 *dici solet*) *dicitur* L N. — 45 *nulla rat. ver. esse poterit* L; *verum esse n. r. poterit* N. — 9 *stellae eorum cont. s.* L N. — 46 *quos*) *quae* L; *quod* M. —

8. *consilium*) *seminarium* L M N. — *certe*) om. L; *saltem* M N. — *veri*) om. N. — *inquir. non relinq.* L N M. — 3 *frat. ejus* L M N. — Vid. myth. II, 132. — 4 *eorum fil.* L N. — 5 *Trojam* L. — *Si igitur Hel.* L N. — 6 *sine dubio*) om. L M N. — *posset* L N. — 7 *prius*) om. L. — *a Th. legimus nuptam* L; *prius nuptam* N. — 8 *Qua rat. quid. ind. apud Trojam dicunt bellum habitum non ob ej. rap. quibusdam* (*quibus* N) *al. c. quibus tamen non Servius* (ad Ae. 2, 592. 601. 11, 262) *consentit* L N. — 11 *Ilio*) *diu* L. — 12 *Hylan*) *ilīv* L; *ylium* N. — 13 *quod is*) *qui* L N. — 14 *muros ascenderat, dedit* L N. — 15 *profecti quae nam deinde cum* etc. M N; *profectique sunt c. Pr. deinde leg.* L. — 16 *virinis red.* L. — 17 *minime eam* L M; *eam quem.* N. — 18 *repetere* L M N; et hoc verum est. — *potuisset* L; *potuisse ab illis* M. — Vid. myth. II, 199. — 19 *cum ex. Par. in Gr. m.* L; *in Gr. Par.* M N. — 20 *qui*) *quod* L. — *videl. filiam vel ux. regis abd.* L N. — 21 *primum*) om. N. — *hosp. receptus* L N. — 22 *Hel. eum* L. — *sollicitata*) om. L N. — 23 *seq. voluisset* N. — *Spartam civ.* L N. — 24 *a mar. rec. mer.* L. — 25-27 *sicque foedus inter Gr. et Tr. ruptum est* L N, caeteris omissis. — 27 *denique*) *vero* L N. — 28 *que*) om. L; *nociva est et temp, tempr. pr. fratrum v. pr. sunt stellae* N. — 29 *frat. vero prop.*) om. L. — 30 *mali videtur fuisse* L. — *Inde est*) ap. Stat. Th. 7, 793. — 31 *qui cum jam* M. — 32 *therampnei* H; *Therapnam* M; *terapnei* L; *theraphei* N. — *Θεράπνη* sive *Θεράπναι* Laconicae oppidum satis notum est; *Θεραπναῖος* Ap. Rh. 2, 163. Itaque *Therapnaei* vera est lectio, Cod. Taurin. Stat. legit *Trenarei*. — *fugerent* M; *fulserunt* L N; *fugierunt* cod. Taurin. —

9. *quidam*) om. L N. — 34 *hujus*) om. M. — *in hujus mundi fig.* L N. — *unde*) *quomodo* L; *quoniam* N. — 35 *univers. vis ut aj. d. e.* L N. — *mundo hinc* L; *huic* N. — 36 *sese*) *esse* L M N. — 37 *verae aeternitatis* L N. — 38 *reintegr.* L M; *repetendo* N. — *aet. form. se* L. — 40 *qui*) *quoque* L N. — 41 *palmam* L N. — *unde et* N. — *Juven.* 10, 38. — 42 *illin. de rubr.* L; *rubica illi pingunt* N. — *adinstar aeth. col.* L N. — 43 *in Libya Ham. i. e. harenosus* L N. — 44 *appellatur* L; *a libycis vocatus est harenis* N. — 44 *ἄμμος*) *aminora* H; *hāmonia* L N. — *arena*) *harenosa* L N. — *dicitur*) om. L; *vocatur* N. — 45 *unde etiam sim. ej.* L N. — *cum*) om. M. — *dentur ibi* L N. — Vid. ad myth. II, 80. — p. 165, 1 *epyretyco* N. — *docu. fut.*

N. — 2 *thessalica* L. — *et vat.*) *et* om. L. — 4 *const. religionem coluisse* L N. — Vid. myth. 1, 96. Serv. ad Ae. 8, 352.

4. Juno.

1. v. 7 *statuerunt* N. — *utraq. philosophi mar. appellaverunt* L N. — 10 *data sunt* L M N. — 12 *alterum* L N. — *aërem jux. Tull. dixerunt.* Vid. Cic. N. D. 2, 26. — 13 *quia nih. eo moll. e.* L N. — 16 *videret* L; *videtur* N. — *igitur*) Lege *ideo* cum H L M N. — *Sed quia haec d. et.* L N. — 17 *sunt magis tenuia fecul. hab.* N. — 18 *hisdem* L. — 19 *illud vero sororem, ut videl. sex.* L N. — *in conjugium serv. adtrib.* N. — 20 *ideo*) om. N. — *fing. Nept.* L. — 21 *alumnum*). Lege *alumnam; alumpnam* L. — 22 *humore*) *rore* L N. — *eam*) om. N; sed restituit secunda manus. — 24 *et nymph. vel yridis* L N. — 25 *quidem*) om. L M N. — *nichil* H N, ut saepius. — *agat* L N. — *operemus* L. — 26 *utitur ope: commotione vent.* N; *ope* om. L. — *ut*) om. L N. —

2. *Hinc etiam ei yrim* L N. — 29 *yris* L. — *perforata vel penetrata* N L. — 30 *Virgil.*) Ae. 4, 701. — 32 *Unde semper in reg. soli opposita app.* L N. — Vid. ad myth. II, 6. — *Thaumantis* post *fingitur* ponit L N; *teumantis* L; *taumancis* H. — 35 *sortita est h. nom.* L; *sic dicta est* N. — *taumantos* H; *taumantios* L; *taumanthos* N. — 36 *ejus*) om. M; sed typotheta noster omisit *colorum.* — *haec est rat. jux. philosophos* L N. — 38 *creant col. sic enim est necesse* L. — 38 *Haec*) *Quae* M. — *et*) om. L M N, qui deinde recte pergunt v. 39 *aeri, id est Junoni;* et M: *Junoni dic. des. id est aeri.* — *deservisse fing.* N. — 40 *sit persec.* L N. — *pelices* H L M. — 41 *ideo tantum dicitur* N. — 42 *pliades* N H. — *qui*) Lege *quae.* — 43 *facit* L M N.

3. *Hanc* L N M. — *parientibus* L. — *dicunt* L M. — 2 *complura*) *quam plurima* L; *et plurima attr. ei nomina* N. — *Lucina vel Lucesia* H M; *Lucina et Lucesia* N; *et Luc. et. Luces.* L. — Itaque lectio cod. N revocanda est, etsi haud ignoro, a Martian. 2 p. 37 eam *Lucetiam* vocari, ut Juppiter dicitur *Lucetius;* vid. Fest. et Cn. Naev. ap. Gell. 5, 12, Macrob. Sat. 1, 15 p. 283. — 3 *quia* N. — *dic. dea port.* N. — 4 *lucis praebeat* L N, qui deinde haec inserunt: "Quum enim puer animatur, tunc aërem, qui per Junonem significatur, attrahere incipit. Haec enim duo se (*se* om. N) semper comitantia et inseperabilia (*seperab.* N) sunt. Impossibile enim est, aliquem esse animatum et spiritum non attrahere, vel e converso". — 5 *et Flu.* N M; *etiam Fl.* L. — *fluuonia* H N; *fluinoma* L. — *fluxionibus* L N; *fluuioribus* H. — Fluvonia est ap. Mart. 2 p. 37; Fluvionia quidam codd. Arnobii 3 p. 118 ed. Elmenh. Augustin. C. D. 7, 2, 3; *Fluonia* Fest. p. 69 ed. Lindem. — 6 *in februali partu* L; *a partu* N. — *Februalis*) om. L. — *eas*) *ea* L. — 7 *secundis*) om. N. — *egressibus* L; *egredientes* N. — *enim*) om. L N. — *purgo Lat.* L N. — At *februo* non est vox Graeca, sed *Sabina;* Varr. L. L. 6 p. 195 Sp. *februum Sabini purgamentum;* cf. eund. p. 214 Sp. et ap. Non. 2 p. 114 Merc. et Fest. p. 64 Lind. Ovid. F. 2, 19 sqq. — 8 *Februus*) Isid. Or. 5, 33, 4. — *quod purg. anim. praesit* L N. — 10 *celebr.*) *fiebant* L N. — 11 *iterduca* H L; *interduca* M. Illud verum est, et confirmat Augustin. C. D. 7, 3 et Martian. Cap. 2 p. 37 secund. cod. Gotting., etsi alii ibid. legunt *interduca.* — 12 *introd.*) Lege *per iter ducat* cum H L M N. — *dicitur etiam domiduca* L N, quae lectio praestat. — 13 *eas*) om. L N; *ducat* deinde N; Recte. —

etiam) om. L N. — 14 *nub. ungueb.* L N. — *et quod p. domus* L N. — 16 *dici volunt* L N. — *Cinthia* L; *cincia* M. — 17 *dicitur resolvere* L N. — *Cinctia* est ap. Mart. Cap. 2 p. 37. *Cinxia* ap. Fest. p. 48 Lind. cf. Varr. ap. Augustin. C. D. 4, 11. — 18 *societ* L N. — 20 *et*) om. N. — *apell.*) *dicitur* L. — 21 *Virg.*) Ae. 11, 736. — 23 *Idem alibi* M; *et item alibi* L N. — *de equo seniore*) om. L M N. sc. Ge. 3, 99. — 26 *populonem* H L M; *plutonem* N. — Nostram lectionem tuentur codd. Mart. Cap. 2 p. 38, Arnob. 3 p. 118, Macrob. Sat. 3, 11. — *quod plures populos* etc. L N. — 27 *Curitim*) *currum* L N. De *Curiti* vid. Fest. p. 38 et 48 Lindem. Mart. Cap. 2 p. 38. Eadem et *Curis* audit et *Quiritis* in inscr. ap. De vita AA. Benev. cl. 1 n. 8. et ap. Gruter. 308, 1. — *id est*) *ei regal. .i.* (a seriore manu) N. — 28 *Serv.*) ad Ae. 1, 8, ubi *Curetis* vulgo scribitur, cf. ad Ae. 4, 59; sed *Curitis* vel *Curritis* ad Ae. 8, 84 in C D. *Curis* autem est vox Sabina secundum eundem ad Ae. 1, 292.

4. *Varro eas* N; — *Varro ait eas id. li. non tang. sol.* M. — 31 *solitas*) om. N. — *inchoantes essent* N. — 33 *Unde est*) ap. Lucan. 2, 359, ubi hodie legitur: *Translata vetuit contingere limina planta.* — 35 *consecrata* L N. — *culina*) *culmina* L N; *pulvinar* M. — 36 *Herceo Jovi.*) Sic emendavimus. *Herculi jovi* H; *Herculi*, omisso *Jove*, L M N. Vid. ad myth. I, 213. — 37 *Dicit* (sc. Varro) *ante eas fac. pr.* H; *Deinde ante eas faces pr.* L; *Dicunt etiam fac. ante eas pr.* N. Lectio H erat recipienda. — *antea*) om. N. — 38 *Nuces quod* L; *nuces quae* N. — 39 *assignat* L; sc. Varro. — *quod cum Jove commune mat.* N; *ut Jovis commune* etc. L. — 40 *et celebrarent ut* etc. N. — 41 *Jovis sunt* N. — *ioglandes* N. — 42 *et illud* N. — 43 *capientibus* L N. — *eas*) om. L N. — *sonitus fieret* N. — *vox pu.* L. — 44 *depon.*) *amittentis* L N. — *posset* N. — 45 *vittis*) om. L. — *ad lim. mar. cum simul ven. postes ligabant, anteq. ingr.* N. — 46 *Virgil.*) Ae. 4, 459. — p. 167, 1 *Fingi* N; sc. Varro dicit. — *quod praecedat*) om. N. — *Juno praecedat Ven.* L. — 2 *post usus veneris in co.* L N. —

5. *Fulgent.*) Virg. cont. p. 748 ed. Stav. — *eneidis* N. — 5 *regem ventorum*) om. L N et Fulg. — *naufr. Troj.* L N et Fulg., qui pro *ut* legit *quo.* — 6 *diopeie* L N; *deiopee* H. Lege *Deiopeiae.* — 7 *ponitur in mod.* L N. — *et*) om. N — *dispendium*) om. M. — 8 *et*) *vel* E G. — *infantium* L; *infantem* M; *infanti* N. — 9 *nam ut evidentius hoc intellegas* E G; *inquit* addit L M. — *quidem*) *quidam* H; *quae dea partus est* rectissime L E G; *quodam partu* N. — 10 *sed ad n.*) *hoc naufragium gen.* E G H L N; verissime procul dubio. — 10 *Nam et oleum imm.* E; *etulum* G. — *immittit*) *invitat quasi secli interitum. Aeolus namque quasi colonus* (*eonolus* H M E G) *quasi seculi inter . interpr.* L N; *namque* saltem est revocandum. — 11 *In*) om. M. — 12 *enim*) *igitur* L N; om. E G, qui leg. *in qua necess.*, sed sententiis transpositis. — *universali* L N. — *hum. volvitur genus* E G. — 13 *diopeiam* L N. — *domos* E; *deinos enim Gr. pulcer interpretatur* N. — 14 *publ. gr.* L. — *iopa* E; *cipa* G; *yopea* L N H; *popeia* M. — *oculi* E G. — 15 *in modo* E. — *nascendi*) om. E G; — *peric. nasc.* E G. — *cui quidem perfectioni* E G. — 16 *a dea*) *adeo* L. — *partus*) om. L; *pariter* N. — 17 *quoque*) om. L M N. — *deam* L. — 18 *et*) om. L. — *cum sceptro pingitur* L N et Fulg. 2, 3, apud quem eadem leguntur. — 19 *sunt* L. — 19. 20 *habundant* . . *aspirant* L N. — cf. infr. p. 241, 29, et supr. myth. II, 4 et

5. — 20 *cap. vel. eam* L N. — *pingunt* M. — *omnes*) om. N; sed agnoscunt reliqui codd. — 21 *plerumque*) *semper sint absconsae* E G. — *absconsae sint* N. — M omisit verba *plerumque s. absc. deam etiam p. vol. eam quia div.* — 21 *deamque etiam ideo p. faciunt, quod de divitiis novae div. semp. gen.* L N, reliquis omissis. — 23 *Sed et* (*et* om. L) *ipsae nonnumquam abortivum patiuntur quum semel sors et lucra pereunt* L N; *nonnumquam abortiuntur* M. — 25 *in suam habet tutelam* M. — *semp. ornatus est app.* L N. — 27 *anterius* (*alterius* E) *faciem ornat* Fulg. — *posterioraque t.* Fulg. — *denudat* N. — 29 *ornaverint* N. — Hinc in editt. Fulg. explenda est lacuna, quam tamen et nostri codd. E G sic explent: *ita divitiarum gloriaeque appetitus momentaliter ornat, postremo* (*postrema* G) *tamen nudat.* — 29 *et quidam* L N. — sc. Theophrastus in Moralibus ap. Fulg. 2, 3: τὰ ἄλλα περίγνωθι, quae E omisit, G autem *Talipanoti* scripsit. — 30 *Salamon* E; *Salemon* L.

6. *et yrim* L N. — *autem*) om. M. — *quod sicut* Fulg., ubi editt. perperam addunt *etiam*, quod abest ab E G. — 33 *refulget* M; *fugit* G. — 34 *citius fugitiva* Fulg. — 35 *quasi* ἔριν) Vid. myth. II, 6. — 37 *certam. saepe oriantur* L N. — *et sedit.*) om. L N. — 39 *etiam*) *quoque* N. — *regnorum*) om. N. — 43 *regnor. dea* L N. — 46 *id est dignitatem habentem r. s.* L N. Cf. myth. II, 106. 107. — p. 168, 1 *q. perhenniter durat, non quod transit* L N. — *non istud* M. — 2 *et*) om. L; *etiam* N. — *Ixion* L N. — *primus* L. — 3 *regnum affectasse* L; *regni gl. in Gr. aff.* N. — .3. 4 *primus omnium)* om. L N. — 4 *et*) om. L N. — *dicti sunt*) om. L N. — 5 *celeriter*) om. N; *celebre* L; *celere* M. — 6 *adeptus est* L N. — *est*) om. L N. Cf. infr. p. 177, 15. — 7 *cito superiora deicit* L N. — 9 *viol.*) *vim.* L N. — *cito depr.* L N. —

7. *inventione* N. — 2 *sic sentit Serv.* L N; *s. Serv. sent.* M; sc. ad G. 3, 115, myth. I, 163. — 13 *Cum enim, inquit* N. — *bobus* L M; *suis* addit L N. — 14 *ire coëgisset* L; *misisset* M; *misit* N. — 15 *et ii ad tant. curs.* M; *tantum*) om. L N. — *non sufficientes* N. — 16 *et eor.) quorum* M. — *seculi e. stim.*) om. L N. — *revocabant* L N. — *Sed ii* M; *quum hi* N. — *aut*) om. L N M. — 17 *eorum equi*) om. N. — 19 *id est*) om. L M N. — 20 *Centauri . . . dicti sunt*) om. M. — *quasi a centaurois* L N. — 21 *Alii tamen* L M N. — 23 *velociss. esse const.* L; *esse voloc. c.* M; *esse* om. N. — 24 *achademici* H L; vid. Serv. ad Ae. 3, 90. — *et de ceteris* L N M. — 26 *iheronimus ponit ex.* L; *beatus Hier. apt. ponit ex. in libro* ;*de patr. vita, ubi* etc. N. — Vid. Hieron. vit. patr. fol. 27 vers. ed. Venet 1508. 4. — 27 *sancti Mac.* L N. — *agit*) *ait* L. — 28 *inquit*) om. L N. — 30 *equa*) om. L N. — *puella esse non videretur* L. — 31 *adduxissent, illi ante quam ullus percunctaretur* (sic et L et ed. Venet.) *dix.* M. — 33 *puella*) om. L N. — 34 *converterunt* N. — 35 *ergo te ut* L M N. — *ad*) om. L N M. — *commutes* N. *in id* L N. — 37 *pecudis in se* L; *in se nih. pec.* N. — 38 *in oc. vestris et intuent.* L. — 29 *daemonum*) om. L. — 40 *suam)* om. L N. — 41 *unxisset* L. — 42 *visus*) om. L N. — *virg. videri omnibus, ut et sibi* etc. L M et ed. Venet. Recte. — 43 *etiam*) om. L N. — *omnis*) om. N. — 44 *sicut Plin.* L N. Serv. ad Ae. 3, 90. 4, 493.

8. *a divert.*) om. L N. — 46 *dicimus aërem* L. — p. 169, 1 *de volup.*) om. L. — *Tiresiam*). Vid. myth. I, 16. — 2 *Quos quum*) *illisque percussis ab eo esse mutatum in fem.* N; *illisque ab eo percussis*

10. Myth. I, 104. — 10 *esset*) *erat* Majus. Verborum structura in hoc capite saepius vix Latina est. — 13 *submersit*). Quis praeter mythographum nostrum hoc tradiderit nescio. Idem de Plutone in fovea suffocato nova tradit. — 22 *Pan* dicitur ab Eratosth. 27, et Hyg. P. A. 2, 28 fin. Alii aliter.

11. Aquarium Hegesianax *Deucalionem* esse dicit; "Eubulus autem Cecropem demonstrat esse, antiquitatem generis commemorans et ostendens, antequam vinum traditum sit hominibus, aqua in sacrificiis deorum usos esse, et ante Cecropem regnasse quam vinum sit inventum." Hyg. P. A. 2, 29 fin.

12. Hyg. P. A. 2, 30. 3, 29. Ovid. F. 2, 458 sqq., Eratosth. 41. — 39 Venerem cum filio in Euphratem se projecisse, et ibi figuram piscium forma mutasse tradit Diogenetes ap. Hyg., qui hinc factum esse dicit, ut Syri, qui his locis sint proximi, a piscibus edendis abstineant.

OBSERVATIONES
IN MYTHOGRAPHUM PRIMUM.

1. Prometheus.

Promethei fabula, quae ingenii humani providentiam designat, sicuti reliqua Iapeti Titanica progenies naturae humanae tolerantiam (Atlas ab ἀ intensivo et τλῆμι), temeritatem (Epimetheus) et mortalitatem (Menoetius i. e. ὃν μένει οἶτος), quibus bonis atque malis summa hominis audacia in suam ipsius perniciem usa est, optime repraesentat, ad antiquissima Graeciae tempora haud dubie referenda est. Homerus Promethei quidem nomen non memorat; Iapetum tamen affert una cum Saturno in Tartaro latentem (Il. 8, 479) et callidum Atlantem caeli pondus humeris sustinentem (Od. 1, 52. 7, 244). At Hesiodus geminam de Prometheo traditionem exhibet, alteram simpliciorem et haud dubie vetustiorem (Ἔργ. 42-205), alteram magis excultam, quae serioris videtur aetatis esse (Th. 506-616). Illa de igne tantum e caelo subrepto atque de Pandora in hominum perniciem a diis terris immissam agit; haec omnem insuper Prometheī stirpem persequitur, et ipsius Promethei, qui nimio mortalium adjuvandorum studio flagrabat, fraudem contra Jovem inter sacrificia commissam memorat, poenas denique, quas ideo catenis alligatus luat, et aquilae, jecinora ejus lacerantis, caedem ab Hercule confectam exponit. Post Hesiodum hanc fabulam nobilissimam, quae inter splendidissima Graeci ingenii monumenta admiramur, tragici in primis poetae ad partes vocarunt, ut Aeschylus in celeberrima illa trilogia, de qua explicanda Welcker nuper optime meruit. Sophoclis quoque Prometheus olim extabat secundum schol. ad Pind. Pyth. 5, 35 (fr. Soph. p. 77 Schn.); nisi cum Boeckhio (Trag. Pr. p. 121) id potius ad Aeschylum referri malis (Prom. 85); in ejus *Κόλχοις* certe fabula narrata erat (argum. Aesch. Prom. cf. Athen. 13. 602 e) et fortasse etiam in ejus *Pandora* (Athen. 11. 476 c.). Deinde Epicharmi comoedia *Πύῤῥα ἢ Προμηθεύς* (Ath. 3. 86 a. 10. 424 d. Poll. on. 10, 82. Etym. M. v. *στατήρ*, schol. ad Pind. Ol. 9, 9. Fr. Aesch. p. 123 Schütz.) huc pertinet, ut alia praetermittam.

Hujus mythi antiquissima sedes Peloponnesus esse videtur secundum Hesiodum (Th. 536), qui Meconae i. e. Sicyone (Str. 8. 382 d = 587 a. Steph. B. v. *Σικυών*, schol. ad Pind. Nem. 9, 123, ad Aesch. Pr. 1022, ad Il. 15, 18.) deos et homines, quorum causam agit Prometheus, inter se de sacrificiis contendisse refert, vel ubi dii mundi officia inter se distribuisse dicuntur (schol. ad Il. 15, 21 p. 410 b, 12 Bekk.), cujus rei mentionem Pindarus facit Ol. 7, 101 (55), et Plato Crit. p. 109 b. Hinc Callimachus (fr. 195 p. 513 Ern.) Meconam deorum immortalium domicilium vocat; atque ibi Aegialus *αὐτόχθων* primus natus esse narratur (Paus. 2, 5, 5). Itaque non satis caute egisse videntur, qui hujus mythi

originem Caucaso vindicare studeant (Creuzer Symb. 2, 295.), qui mons ne supplicii quidem de Prometheo sumpti sedes ab antiquissimis scriptoribus designatur; nam Hesiodus Prometheum columnae alligatum dicit, non adjecta loci mentione (Th. 522), quem Aeschylus in Prometheo *soluto* Caucasum fuisse dixerat, in Prometheo *vincto* autem extremam Scythiae partem versus mare Scythicum sitam statuit, ejusque scholiasta in fabulae argumento Caucasum fuisse contendit, etsi idem ad v. 1 prudenter addat: *Ἰστέον δὲ ὅτι ἐν τῷ Καυκάσῳ οὐ φασὶ δέδεσθαι τὸν Προμηθέα, ἀλλὰ πρὸς τοῖς Εὐρωπαίοις τέρμασι τοῦ Ὠκεανοῦ, ὡς ὑπὸ τῶν πρὸς τὴν Ἰὼ λεγομένων ἐστὶ συμβαλεῖν.* Primus qui Caucasi nomen memorat, Pherecydes fuisse videtur (schol. Ap. Rh. 2, 1210 fr. p. 150 Sturz.). Postea in hac re nihil frequentibus est Caucasi mentione, ut apud Eratosthenem (schol. ad Ap. Rh. 2, 1247), Duridem (sch. Ap. Rh. 2, 1249), Apollodorum (1, 7, 1), Apollonium Rh. (2, 1247) Ciceronem (Tus. Q. 5, 3), Hyginum (fab. 54 et 144. P. A. 2, 15 p. 456 sq. Stav.), alios; quem Caucasum una cum Prometheo supplicio describit Cleanthes in *γ' Θεομαχίας* ap. Plut. de fluv. p. 1151 a. Caucasum Indiae montem plurimos statuisse refert Philostratus vit. Ap. 2, 3 ibiq. Olear.

De primis hominibus a Prometheo factis serioris aetatis fabula est, nec ab Hesiodo, ut perperam statuit Ovidii scholiasta ad Met. I, 34 apud Burmannum (cf. Muncker ad Lact. narr. fabb. 1, 1 p. 788 Stav.), nec ab Aeschylo tradita, qui ignis tantum beneficium, quo Prometheus vitae humanae cultum insigniter auxerit, memorant. Primus, qui a Prometheo et hominum et animalium originem repetit, Philemon est (ap. Stob. flor. 2, 27 p. 79 Gaisf. fr. p. 392 ed. Meineck.), antiquiorem fortasse famam sequutus; cujus fragmentum Euripidi olim tributum est (ut in ed. Lips. 2 p. 496 fr. 15), sed a Matthiaeo hodie merito rejectum. Afferuntur quoque versus illi ab Huschkio de fabb. Archil. p. 3. — Hinc Callimachus (fr. 87 p. 459 Ern.) hominem vocat *πηλὸν τὸν Προμηθῆος*, quod facete dictum facetius posthac exornavit Lucianus (*Προμ. ἢ Καύκασ.* § 13) et Juvenalis (14, 35); fortasse etiam Aristophanis *πλάσματα πήλου* huc referenda sunt (Av. 687 s. 653.) Hinc idem Lucianus (*Προμ. ἐν λόγοις* 2): *καὶ αὐτοὶ δὲ Ἀθηναῖοι τοὺς χυτρέας καὶ ἱπποποίους καὶ πάντας ὅσοι πηλουργοί, Προμηθέας ἀπεκαλοῦν.* Sane apud seriores scriptores frequentissima est Promethei tamquam humani generis auctoris mentio (cui *ἀνθρώπων πλάσις* tribuitur a Lucian. *περὶ ὀρχήσ.* 38, *Προμ. ἢ Καύκασ.* 3 et 11.), ut apud Apollod. 1, 7, 1. ~~2, 5, 11 § 12~~, Aristid. ap. Phot. p. 420 a, 35 Bekk., Steph. B. et Etym. M. v. *εἰκόνιον*. Ovid. Met. 1, 82, Hyg. P. A. 2, 15 p. 454, alios. Quin etiam apud Panopenses fama erat de lapidum reliquiis a Prometheo in formam humanam effictis (Paus. 10, 4, 3), atque ipsa Jovis stella unus de illis hominibus esse dicebatur, quos Prometheus formaverat, quem per Mercurium inter sidera translatum Juppiter fecit immortalem (schol. Lucan. 1, 661.) Prometheum homines fingentem plura artis opera repraesentant (Winckelm. Op. 5 p. 285, Boettig. Amalth. 1 p. 216.)

Secundum Platonem (Prot. p. 320 d) ipsi dii primos fingunt homines, vel ut Stobaeus ex antiquis philosophis refert (Ecl. phys. 1, 52, 40 p. 949), Vulcano hoc officium tribuit deus; Prometheo autem et Epimetheo homines recens facti excolendi traduntur. Cujus figmenti philosophicam rationem docta dissertatione persecutus est Arnoldus Ekker *de Prometheo et generis humani ad humanitatem progressione*. Antequam homines essent creati, Prometheus ipso Jove familiariter usus esse dicitur, ita ut Jovis *σύμβουλος* habitus sit (Plat. l. l. et Ael. V. H. 12, 25 fin.). Quin immo Aeschylus 219 Jovem Promethei consiliis in bello contra Titanas Saturnum vicisse dicit. Ac posthac quoque Prometheus Jovi auctor

est, ne Thetidem ducat (Aesch. Pr. 906 coll. 167 et 767). Deinde et Io et Hercules ejusdem consiliis utuntur. Deucalion denique, ejus filius, patre auctore arcam struit (Apollod. 1, 7, 2); atque ipse Juppiter caput suum a Prometheo aperiri patitur, ut Minerva prosiliat (Apollod. 1, 3, 6), cujus adeundae desiderio mox incenditur Prometheus (Duris Sam. ap. schol. ad Ap. Rh. 2, 1253. cf. Creuz. Symb. 2, 653.). De ejus vaticinio ad Herculem spectante plura olim legebantur in Aeschyli Prometheo soluto (vid. fr. p. 129-137 Sch.). Quae omnia probant, quod vel ipsum Promethei nomen probat, huic fabulae ethicam subesse notionem, quam *prudentiam* esse nemo non videt; ideoque Prometheus ipsius Jovis (Ammonis) pater vocatur a Laurentio Lydo (de mens. 4, 49 p. 228 Roet. cf. Toelken. Iter ad templ. Jovis Amm. p. 101. 374).

De Promethei origine nihil produnt mythographi nostri. Iapeti et Clymenes filium tradit Servii glossa; quae sane est et vulgatissima et antiquissima, sed non sola ejus genealogia, a Creuzero (2, 441) ad ignem et aquam relata. Etenim Arati scholiasta (254 p. 73, 18 Bekk.) Uranum patrem, et Euphorion (ap. schol. ad Il. 14, 295 p. 398 b, 15 Bekk. fr. p. 171 Mein.) Eurymedontem affert, quem Perseum esse idem testatur Euphorion (fr. 16 p. 68), a quo Argos Eurymedentis urbs dicta est; Aeschylus vero ejus matrem Themidem sive Tellurem (18. 209. 876 et sch. ad 347 p. 52 Schütz.) vocat, quae a serioribus, ut a Lycophrone (1283. 1412 ibiq. schol. p. 988 et 1027, Eustath. ad Dionys. 620. 270), Apollodoro (1, 2, 3 cf. schol. ad Ap. Rh. 1, 444), aliis, Asia fuisse perhibetur (ap. Procl. quoque ad Hes. Ἔργ. 48 p. 65 Gaisf. pro Ἀσσπης legendum est Ἀσίας). At antiquiores scriptores Asiam Promethei uxorem faciunt (Herod. 4, 45, cf. Creuz. Fr. hist. Gr. p. 153 sqq. Hermann. ad Hom. hym. in Ap. 250 p. 25), vel ipsam Junonem antequam Jovi nuberet (Euphor. l. l.).

Faculam soli applicasse fingitur Prometheus secundum myth. I et II; at myth. III et Servius modo faculam dicunt modo *ferulam*, quam νάρθηκα vocat Hesiodus et Apollodorus (1, 7, 1 cf. Fulgent. 2, 9 p. 679, Hygin. f. 144. P. A. 2, 15 p. 455.); hinc ignis apud Aeschylum (109) ναρθηκοπλήρωτος est. Schol. ad Hes. Ἔργ. 52 p. 67 Gaisf. ἔστι μὲν πυρὸς ὄντως φυλακτικὸς ἡ νάρθηξ, ἡπίαν ἔχων μαλακότητα εἴσω, καὶ τρέφειν τὸ πῦρ καὶ μὴ ἀποσβεννύναι δυναμένην. "Ignem asservare in ferula Prometheus docuit". Plin. N. H. 7, 56 § 198 Sillig.

De malis ob ignis usum hominibus immissis Hesiodus Ἔργ. 100:

> Ἄλλα δὲ μύρια λυγρὰ κατ' ἀνθρώπους ἀλάληται.
> πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν πλείη δὲ θάλασσα.
> νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιν etc. — φοιτῶσιν.

Sapphonis locus est f. 130 p. 99 ed. Neue.

Apud antiquos poëtas Prometheus in Tartaro quoque versatus esse debet (ut in exitu fabulae Aeschyleae); quod in primis patet ex Aristot. poët. 17 p. 244 Buhle; cf. Horat. C. 2, 13, 37 et 2, 18, 35 ibiq. interpp. Aquilam autem Promethei cor dilacerantem Pherecydes (ap. schol. Ap. Rh. 2, 1248 fr. p. 94 St.) a Typhone et Echidna Phorci filia procreatum esse tradit (cf. Apollod. 2, 5, 11 § 12.), quod repetit Hyginus (P. A. 2, 15 p. 456) addens: "Alii ex Terra et Tartaro; compluers Vulcani factam manibus demonstrant, animamque ei a Jove traditam dicunt." Alii jecinora non cor Promethei memorant (ut Hyg. P. A. 2, 15 p. 454 secundum Hesiod. 523, Aesch. Pr. 1024 ibiq. schol. p. 127 Sch. et ap. Cic. Q. Tusc. 2, 10, Apollod. 1, 7, 1. 2, 5, 11 § 12, Ap. Rh. 2, 1250, Lucian. Dial. D. 1, 1. Προμ. ἢ Καυκ. 4 et 21.), nec aquilam

sed vulturem (Fulg. 2, 9 p. 679 sq). Cujus rei argutam quandam proposuit interpretationem Petronius fr. p. 867 ed. Burm.

> Qui vultur jecor intimum pererrat
> Et pectus trahit intimasque fibras,
> Non est quem lepidi vocant poëtae,
> Sed cordis mala, livor atque luctus.

Similia Aristoxenus et Nicagoras protulisse dicuntur apud Fulg. l. l., qui etiam jecur conciliare studet cum corde, "quia in corde, inquit, aliquanti philosophorum dixerunt sapientiam, et jecur est quod nos cor dicimus."

v. 10 *non sine ratione fing.*) Hujus explicationis auctor Theophrastus fuisse videtur (apud schol. ad Ap. Rh. 2, 1248). Historice fabulam interpretatus est Agroetas in *rerum Scythicarum* volumine (schol. Ap. Rh. l. l.), qui Prometheum Caucasi regem fuisse contendit, et Aëtum (Aquilam) fluvium fertilissimos ejus agros (ἦπαρ) devastantem, cujus alveum Hercules in mare verterit; unde et aquilam interfecisse et Prometheum vinculis liberasse dicatur. Similia protulerat Herodorus, qui Prometheum Scytharum regem a Caucasi accolis vinctum esse dicit (schol. Ap. Rh. l. l.) propter Aëtum fluvium agros suos inundantem; ab Hercule vero liberatum postquam is regionem istam aquarum inundatione liberasset. Hanc Herodori narrationem in Aegyptum transtulit Diodorus (1, 19). Cf. Plotin. Ennead. 4 lib. 3, 14, Heraclid. Pont. Alleg. Hom. 26 p. 93 ed. Schow, et schol. ad Hes. Th. 527 p. 427 ed. Gaisf.

v. 11 *vir prudentiss.*) ἀπὸ τῆς προμηθείας explicant myth. II et III; cf. schol. ad Pind. P. 5, 35. ad Hes. Ἔργ. 47 p. 63 Gaisf. Heraclid. P. All. Hom. 26 p. 93, Phornut. 18. alii; Creuzer. Sym. 2, 799. Buttmann. Myth. 1, 55. 58. — Alludit ad hanc etymologiam Aristoph. A. 1511, alii. *Προμήθεια* sane haud rara vox est illo quidem sensu, ut ap. Aesch. P. 86. Suppl. 681, 175; cf. προμαθέος αἰδώς ap. Pind. O. 7, 81 (44), quod schol. explicat προβουλεύσεως (cf. Boeckh. ad h. l.), qua significatione occurrit etiam ap. Eur. Bacch. 588; cf. Soph. Ph. 557. El. 1036. 1350; Meineck. ad Euphor. p. 128; προμηθία ap. Soph. El. 990, Oed. C. 332. 1043. Eustathius vero (ad Hom. Il. p. 117, 19) nomen Prometheï derivat a μήθω i. e. μήδω, vel (p. 1436, 64) a μῶ, μήθω i. e. ζητῶ. Caeterum Promethei nomen Achilli quoque apud Lycomedem versanti tributum esse refert Ptolemaeus Hephaestio, auctore Aristonico Tarentino, ap. Phot. p. 147 a, 21 ed. Bekk. Cf. Meziriac. ad Ovid. Her. p. 232.

v. 12 *astrologiam*). Philosophiae auctorem Prometheum dicit Theophrastus l. l.; omnium artium inventorem Aeschylus 441-504. Dissentit Plato (Polit. p. 274 c), qui *artes* a Vulcano et Minerva inventas, τὴν ἐμπυρον τέχνην vero (Prot. p. 321 d.) Prometheum hisce diis clam abstulisse dicit. Procl. ad Hes. Ἔργ. 52 p. 67 Gaisf. Κλέψας ὁ Προμηθεὺς τὸ πῦρ εἰς πόλιν ἦλθεν Αἰτωλίαν, ἀφ' οὗ συνέβη τὴν πόλιν κληθῆναι Πυρηνίαν. Vid. Holsten. ad Steph. B. p. 268. Ex Argivorum traditionibus Phoroneus primus hominibus ignem attulisse traditur (Paus. 2, 19, 5); quod beneficium Mercurio tribuit hym. Hom. in Merc. 111. Caeterum Arnobius (5, 1) de Numa et Jove fabulam admodum similem narrat ei, quam de Prometheo et Jove sacrificia inter se sortientibus vulgo tradunt.

De mythogr. II, 64, cujus fundus est Hesiodus, pauca hic addere juvat. Duplex erat Promethei fraus. Prima Meconae inter sacrificia commissa est; unde Juppiter iratus ignem, *cujus usus hominibus antea notus fuerat*, abscondidit. Deinde Prometheus iterum ἐξαπάτησε Jovem ignis furto; Schol. ad Aesch. Pr. 1022, ad Pind. N. 9, 123. De sacrifi-

candi ritu illinc derivato vid. Heyn. Obss. ad Il. 15, 189. Voss. Ep. Myth. 2, 354-377. Non satis accurate Hyginus secundum antiquissimam famam rem tractat; Cf. tamen Hom. Od. 14, 427 et sch. ad Il. 1, 461 p. 36 b, 42 Bekk: *ἀπὸ τῶν ὠμῶν ἱερείων ἀπαρξάμενοι ἔκοψαν μικρὸν ἀπὸ παντὸς μέλους, καὶ ἐπέθηκαν ἐπὶ τὰ μηρία, ὡς δοκεῖν ὅλα τὰ μέλη τοῦ ἱερείου καρποῦσθαι. διὸ ἡ διπλῆ.* Hesiodus (Th. 556) ostium comburendorum morem illinc repetit. Hyginus autem (p. 456) originem ludorum solemnium in Promethei honorem Athenis celebratorum (*τὰ Προμήθεια*, Xenoph. de R. Ath. 3, 4, Isae. de Apollod. her. p. 184 Reisk. Plat. de rep. 1 p. 328 b, schol. ad Aristoph. R. 131) ab ignis furto derivat. Quam *λαμπαδηδρομίαν* pluribus describit Paus. 1, 30, 2, Polemon ap. Harpocr. v. *λαμπάς*, Phavorinus; Cic. ad Herenn. 4, 46 alii; vid. Boeckh. Staatshaush. 1 p. 496, Welcker. Trilog. 121. (*λαμπαδηδρομικὸς ἀγών* est ap. schol. ad Pind. Ol. 13, 56. *τὰ λαμπαδηδρόμια* in Anecd. Bekkeri p. 228). Hunc *lampadis* honorem solum homines Prometheo concesserant secundum Menandrum (ap. Lucian. Am. 43 fr. p. 193. 522 Meineck.), et ut ipse conqueritur apud Lucianum (*Προμ. ἢ Καυκ.* 14). Nam etsi Prometheus una cum Minerva et Vulcano in Academia colebatur (Apollod. ap. schol. ad Soph. O. C. 56, fr. p. 400 Heyn.) et *παλαῖον* ejus *ἵδρυμα* in Minervae templo fuisse constat, adeoque divino gaudebat honore (deus non ab Aeschylo solum in Pr. 29. 37. 92. 119, sed etiam a Sophocle in Oed. C. 56, et Catullo in ep. Pel. et Th. 295 vocatur; etsi confitendum est, eum ab Horatio *genti humanae* accensitum esse, unde patet, antiquos scriptores Titanicae ejus originis non semper memores fuisse); nullibi tamen proprius ejus memoratur templum. Lysimachides sane (ap. sch. ad Soph. l. l.) Promethei et Vulcani signa in vestibulo templi Minervae posita esse affirmat, ac Prometheum quidem sceptrum dextra gestasse; quod sceptrum haud dubie *lampas* fuisse videtur, cum qua Prometheus ab antiquis sculptoribus fictus esse dicitur, ut patet ex Eur. Ph. 1138, Philostr. vit. Sophist. 2, 20. Huc etiam pertinet Soph. O. C. 56: *ὁ πυρφόρος θεὸς Τιτὰν Προμηθεύς.*

p. 97, 4 *XXX millia an.*) Haec Aeschylus tradiderat secundum Hyginum; sc. in Prometheo *ignifero*; vid. schol. ad Aesch. Pr. 94, qui *μυριετῆ χρόνον* affert; Strab. 11 p. 505 d = 771 d *mille* annorum spatium. At idem Hyg. f. 54 p. 119 et f. 144 p. 252 *triginta* tantum annos scribit. *Διὰ τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἐρασθῆναι* hoc supplicio Prometheum affectum esse tradit Duris Samius ap. sch. ad Ap. Rh. 1249. —

v. 5 *Hercules* etc.). Ita jam Hesiodus 526, ubi cf. sch. p. 477 Gaisf.; sed eandem fabulam Aeschylus potissimum tractaverat in Prometheo *soluto*, cujus fragm. huc pertinentia vid. ap. Strab. 4 p. 183 a = 277 b, et Dionys. Hal. Arch. 1, 41. — Cf. Pherecyd. ap. sch. Ap. Rh. 4, 1396 fr. p. 142 St. schol. Aesch. Pr. 1022, Hyg. f. 54 et 144, Diod. 4, 15. Phot. bibl. p. 332 a, 20 Bekk., Lucian. *Προμ. ἢ Καυκασ.* 20, Serv. ad Ecl. 6, 42. Ae. 8, 300. Apud Lucianum (D. D. 1, 2) Vulcanus Promethei vincula solvere jubetur; quae liberatio in tabula Olympica depicta erat (Paus. 5, 11, 2), atque in alia ab Evanthe facta (Achill. Tat. 3, 8).

Myth. II, 65. Nihil de Promethei vaticinio ad Jovis et Thetidis connubium spectante Hesiodus prodit; sed vid. Aesch. 906. 167. 767, Apollod. 3, 13, 5, Lucian. *Prom. vel. Cauc.* 21. D. D. 1, 2, schol. ad Il. 1, 519 p. 40 b, 24 Bekk. Quint. Sm. 5, 338, Nonn. 33, 250. Alii hoc vaticinium Themidi tribuunt, non Prometheo, ut Pind. Isth. 8, 68 (7, 32 Boeckh.), Ap. Rh. 4, 810. Tz. ad Lyc. 178 p. 456, Lactant. Inst. 1, 11, 9. Ovidius autem id Proteo tribuit Met. 11,

221. Vid. Meziriac. ad Ovid. Her. 1 p. 219. Caeterum Arrianus (3, 28. 5, 13.) et Philostratus (vit. Ap. 2, 3) hunc Herculem, qui Prometheum vinculis liberasse fertur, a Thebano illo diversum fuisse censent et ad Caucasum Indiae transferunt (cf. Diod. 5, 13. at Str. 11. 505 d = 771 d et 15. 688 b = 1009 a, irridet hanc opinionem), cujus accolae ob Promethei memoriam aquilis infestissimi, neque Jovem tamquam illius supplicii auctorem coluisse, sed Herculi potius sacra tulisse dicuntur (Dur. Sam. ap. Ap. Rh. 2, 1249). Nec tamen Prometheus vinculis prius solutus esse fingitur, quam Chiron mortem pro eo subierit; Apollod. 2, 5, 4 § 6. 2, 5, 11, 12, Heyn. obss. p. 147.

v. 19 *anulos* etc.) "Cui post sacramentum, quod eum numquam se soluturum juraverat, anulum de ipsis vinculis de monte Caucaso lapide dedit ad poenae praeteritae indicium." Serv. ad Ecl. 6, 42; cf. Plin. N. H. 33, 4. 37 prooem. 1, Isid. 19, 32, 1. 16, 6, 1. Coronarum quoque gerendarum morem Aeschylus (ap. Ath. 15. 674 d) repetit a Promethei vinculis (cf. Aesch. fr. p. 151 Sch.); quae opinio satis divulgata erat secundum Ath. 15. 672 f. Alium insuper morem ab aquila ab Hercule interfecta Hyginus repetit p. 458: "Homines instituerunt, ut hostiis immolatis jocinora consumerent in deorum altaribus, ut exsaturare eos pro visceribus Promethei viderentur".

2. Neptunus et Minerva.

Hoc de Athenarum nomine certamen, quod pluribus exponit Aristides (Panath. 13 T. 1 p. 169 ibiq. schol. T. 3 p. 60 ed. Dind.), Himerius (or. 2, 7 p. 380 et ap. Phot. p. 373 b, 31 ed. Bekk. cf. Geopon. 9, 1 p. 566 Nicl.), alii, et quod ipso secundo Boëdromionis die accidisse credebatur (Plut. de frat. am. p. 489 b et Symp. 9, 6 p. 741 b.), non valde antiquum est. Antiquior sane est fama de Neptuno mare in acropoli procreante (Ovid. Met. 6, 77). Illic enim ex Erechthei fani rupe, cui tridentis signum insculptum erat, aqua salsa prorumpebat, *θάλασσα Ἐρεχθηΐς* dicta; atque ibidem in Pandroso Minervae Poliados sacello sacra illa Palladis oliva cernebatur (Herod. 8, 55. Callim. ap. sch. Hom. Il. 17, 54 p. 471 a, 47 Bekk., Apollod. 3, 14, 1 Diod. 5, 73, Varro ap. Aug. C. D. 18, 9, Paus. 1, 26, 6. 1, 27, 3). Haec *μορία* una cum arce a Xerxe combusta, sed postero die renata visa est (Herod. l. l.) Ab hac autem sacra oliva omnes illae *μορίαι*, quae in Academia circa Minervae *Μορίας* templum haud procul a Jovis *Μορίου καὶ Καταβάτου* fano cernebantur, derivatae sunt (Ar. Nub. 992 ibiq. sch. p. 131 Bekk., Ister fr. p. 60, Apollod. f. p. 401 Heyn. Paus. 1, 20, 2, Suid. et. Phavor. v. *μορίαι*). Quae quia *ἔπαρατοί* ac inviolabiles habebantur (Meurs. Att. Lectt. 4, 6), Lacedaemonii quum Atticam devastarent regionem, ab iis caedendis abstinuerunt (Philochor. fr. p. 57, Androt. fr. p. 119), quam rem pulchre tangit Sophocles O. C. 702 sqq. Ramis denique oleagenis ex illis *μορίαις* decerptis ludorum Panathenaicorum victores coronabantur, ut Aristoteles tradit ap. schol. ad Soph. O. C. 701.

Fabula de Neptuno equorum auctore ignota est Homero, quippe qui equos Neptuno sacros tantum dicat (Il. 23, 584). Potest sane Arion Adrasti equus, *ὃς ἐκ θεόφιν γένος ἦεν* (Il. 23, 347) ad Neptunum referri, ut factum est a sch. p. 613 b, 17 Bekk. secundum poëtas cyclicos, in primis secundum Thebaidis auctorem, qui Arionem vocabat *κυανοχαίτην*, (unde Arcades Neptunum *Ἵππειον* colebant hoc quidem sensu), quem Antimachus Telluris filium dixisse perhibetur (Paus. 8, 25, 5). At haec

fabula ad Thessaliam pertinet, ubi primus equus a Neptuno creatus est (Lucan. 6, 393, sch. ad Pind. P. 4, 246, Philostr. Im. 2, 14, Prob. ad Ge. 1, 12, sch. ad Stat. T. p. 120. 210). Neque tamen me fugit, Atticam quoque εὔιππον esse (Soph. O. C. 668. 711.) ex ejusdem Neptuni beneficio, qui equos ibi primus *frenis domuisse* fertur; quam rem Pamphos attigisse videtur in hymno apud Paus. 7, 21, 3: Ἵππων τε δωτῆρα νεῶν τ' ἰθυκρηδέμνων, qui versus cum Soph. O. C. 711 sqq. plane congruit; nec tamen probat, Neptunum in Attica primos equos procreasse, sed *domuisse* tantum, ut Diodorus quoque dicit (5, 69). Aelianus vero (V. H. 3, 38) Erichthonium primum in Attica equos junxisse, i. e. quadrigis vectum esse (cf. Hyg. P. A. 2, 13 p. 446; ludos enim Panathenaicos primus instituit) affirmat. Hinc Neptunus Ἵππιος seu Ἵππειος, de quo vid. *Boettig. Andeut. zur Kunstmyth. des Neptun.* p. 155, et Creuzer. Symb. 2 p. 278. 598. 782.

3. Scylla.

Apollonius Rhodius (4, 829) nomen Crataeidis pro *Hecates* epitheto cepisse videtur, quod significat *praevalida*, *praepotens;* ita scilicet Homerus (Od. 11, 597) et ingens istud Sisyphi saxum vocat. In Μεγάλαις Ἠοίαις Scylla Phorbantis et Hecates filia dicta est (fr. Hes. 66 p. 219 Goettl.). De patre nihil Homerus. Matrem Stesichorus affert *Lamiam* (Schol. Apoll. Rh. 4, 828 Eust. ad Od. p. 1714, 34. fr. p. 72 Kl. Virg. Ciris 66 ibiq. interpp. de quo monstro vid. Arist. Vesp. 1035 et 1177. P. 742 cum schol. p. 171 a et 215 b; Bekk. Acusilaus Scyllam Phorcynos (cf. Tz. Lyc. 45 p. 340) et Hecates filiam dixerat (Schol. Apoll. Rh. 4, 828 fr. 34 p. 237. St. cf. Schol. ad Od. 12, 85. 124.), quae sane vulgaris est fama, quam praeter nostrum mythographum Eustath. quoque sequitur p. 1714, 30. ubi eorum quoque opinio laudatur, qui Scyllam *Tritonis* filiam faciunt. Ibidem Anaxilae comici affertur τρίκρανος Σκύλλα ποντία κύων (cf. Athen. 13, 558 a.). Typhone et Echidna parentibus eam natam esse dicit Hygin. f. 151 p. 262 et 125 p. 222 St.

v. 3 *Glaucus*). Hunc Anthedonis filium vocat myth. II, 169. Theolytus, poeta Methymnaeus, Glaucum Anthedonium *Copei* filium vocat; Promathidas Heracleotes, et ipse poeta, eum *Polybi* (ita Schol. Ap. Rh. 1, 1310.) et *Euboeae* filium dicit; Euanthes, poeta epicus, Neptuni et Najadis (Ath. 7. 296. b. c.). Glossae ad Virg. Ge. 1, 437 scripturae menda offerunt *Antiodonis f.*, vel *Poliphei*, vel *Polimbae* et *Terrae* filio. Vel sic tamen Glaucum a veteribus falso *Anthedonis* filium habitum esse censeo; quod vel inde patet, quod Anthes s. Anthus, qui avus paternus fuit Anthedonis, ὁμονύμου civitatis parente, a Neptuno et Alcyone prognatus esse dicitur; quae genealogia deinde ad Glaucum translata est, a quo posthac Carystius Glaucus genus suum derivavit (Paus. 6, 10, 1), Paulo aliter ac myth. I, 99 fabulam de Glauco narrat Paus. 9, 22, 6. Philostr. Im. 2, 15, sch. ad Ap. Rh. 1, 1310, ad Lyc. 754 p. 769, Eustath. ad Il. 2 p. 369, 18, Palaeph. 28, et in primis Athen. 7 p. 296 sq. 15 p. 679 a, Str. 9, 405 b = 621 b. De hac varietate egit Voss. Ep. Myth. 2 p. 229 - 232 ed. 2.

v. 4 *Circe*]. Alii Scyllam ab Amphitrite mutatam esse dicunt, ut Virg. Ciris 66 sqq. Serv. ad Ecl. 6, 74. Tz. ad Lyc. 45 p. 340, et ad 650 p. 716. Consentit cum nostro Hyg. f. 199 p. 330 et Fulg. myth. 2, 12 p. 685. A Neptuno illam transformatam esse narrat Serv. ad Ae. 3, 420. — *fontem*]. Ita omnes quos modo laudavi scriptores. At Hyg. f. 199. Scyllam *in mari* lavari adsuetam fuisse tradit. v. 6 *commutata*

est]. Addit Serv: "Hanc postea Glaucus fecit deam marinam, quae classem Ulixis et socios evertisse narratur." Quae sententia recurrit ap. myth. II, 169. Hyg. autem f. 199 "ab inguinibus ejus, inquit, canes sunt nati, atque ferox facta, quae injurias suas exsequuta est: nam Ulyssem praenavigantem sociis spoliavit." Fulgentius autem 2, 12 "ab inguine, inquit, lupis canibusque marinis inserta est." Tz. ad Lyc. 650 p. 717: *ἐξ μὲν κεφαλὰς ἔχον, κύμπης, κυνὸς, λέοντος, Γοργόγος, φαλαίνης καὶ ἀνθρώπου, δώδεκα δὲ πόδας.* Hyg. f. 125 p. 222: "quae superiorem corporis partem muliebrem, inferiorem ab inguine *piscis* et sex canes ex se natos habebat, eaque sex socios Ulyssis nave abreptos, consumpsit." Idem f. 151 p. 262: "quae superiorem partem mulieris, inferiorem canis, et canes sex ex se natos habebat." De hujus fabulae varietate inde ab Homero vid. Voss. Ep. Myth. 1 p. 244 sqq. ed. 2. et ad Virg. Ecl. p. 332; cf. Burm. ad Val. Fl. 1, 590. Broukh. ad Tib. 3, 5, 89. Scyllam navem piraticam fuisse contendit Palaephatus cap. 21. — Interpretationem hujus fabulae etymologico — ethicam profert Fulg. 2, 12 p. 686 St. Caeterum Schol. ad Lyc. 45 p. 340 sqq. et ad 650 p. 717 Scyllam ab Hercule interemtam, deinde a Phorco patre in vitam revocatam esse tradit; cf. Eudoc. p. 377.

v. 7 *Nisi . . . filia*] Aesch. Ch. 605-12, Apollod. 3, 15, 8. Str. 8 573 b. Paus. 1, 19, 5. 2, 34. 7, schol. ad Eur. Hip. 1190 p. 505 Matth. Eust. ad Od. p. 1688, 57. Tz. ad Lyc. 650 p. 716. Hyg. fab. 198 p. 328. Ovid. Met. 8, 1 sqq. Voss. ad Virg. Ecl. p. 332 sqq. Ep. Myth. 1 p. 245 ed. 2.

4. Tereus et Procne.

Aliter rem narrat Hom. Od. 19, 519 (cf. 20, 66 sqq.) ad quem locum Eust. p. 1874, 59 sqq. vulgarem famam accurate exponit. Alludit ad hanc fabulam Hes *Ἔργ.* 566 dicens *Πανδιονὶς χελιδών* (cf. schol. p. 275 — 277. ed. Gaisf.). Aesch. Suppl. 58: *Τηρεὺς ἄλοχος ὀηδών.* Sophocles hanc Terei fabulam in scenam produxit (vid. fr. ap. Schn. p. 83 — 86.) et Philocles (schol. ad Arist. Av. 282 p. 236 b. Bekk.). Rem exponunt Thucydides 2, 29, Apollod. 3, 14, 8. Strab. 9, 423 c = 648 a. 7, 321 b = 494 c. Paus. 1, 5, 4. 1, 41, 8. 10, 4, 6. 9, 16, 4, Schol. ad Arist. Av. 212 p. 234 b Bekk., Ovid. Met. 6, 412 sqq. Tzetz. Chil. 7, 142. Hyg. f. 45. In alia discedit Boeus ap. Ant. Lib. cap. 11 p. 71 — 87 ed Verh. cf. Hellad. ap. Phot. p. 531 a 19 sqq. Conon. ap. Phot. p. 136 a 18, Bekk. Eust. ad. Od. p. 1875, 5.

v. 27 *upupam*]. Arist. Av. 15 *Τηρεὺς ὁ ἔποψ.* cf. ibid. 46 et 101. Sophoclem et Philoclem idem tradidisse patet e schol. ad Av. 281 p. 236 b. Bekk. deinde Conon ap. Phot. p. 136 a, 31. Apollod. 3, 15, 8 § 7. Ovid. Met. 6, 674, et omnes seriores scriptores, praeter Hyginum, qui f. 45 p. 110 Tereum in *accipitrem* mutatum esse refert; quod confirmare videtur Demetrius a Munckero ad illum locum citatus.

v. 7 *phasianum*] *φάσσαν* i. e. *palumbam*; Arist. Av. 303. Ach. 1069. 1071. Bekk. Ath. 9. 394 a. d, Alexander Myndius ap. schol. ad. Theocr. 5, 96 p. 891 Kiessl. Luc. judic. voc. § 8. Tz. ad Lyc. 358 p. 561 Eust. ad Od. p. 1712, 42. 44. At Lact. narr. fabb. 6, 7 p. 832 *phasianum* i. e. *Phasidis avem* memorant (vid. schol. ad Arist. Nub. 110). Diversam originem huic avi assignat Longus Past. 1 p. 22 Villois.

v. 28 *hirundinem*] Anacreon 12, 6 et Aesch. Suppl. 58. Soph. El. 107 et Eurip. Rh. 550. (cf. Gorg. ap. Plut. Symp. 8, 7, 2 p. 727 e, Eust. ad Od. p. 1875, 12) *Philomelam* in hirundinem mutatam esse

referunt. Ita Aristophanes quoque Av. 212 (ibiq. sch. p. 234 b. Bek.) censet; cf. Apollod. 3, 15, 8 § 7, et Conon. ap. Phot. p. 136 a, 29. Bek. Ovid. 6, 670: *Neque adhuc de pectore caedis effluxere notae, signataque sanguine pluma est*, quae verba ad Procnen in hirundinem versam referenda sunt; vid. Meurs. de Regn. Ath. 2, 5.

5. Cyclops et Acis.

Polyphemi et Galateae amores a Siculis in primis poëtis celebrati sunt, ut ab Alexide (Ath. 7, 314 d. 12, 544 e. f.), a Philoxeno (Ath. 1 p. 6 e et 7 a, cf. 13 p. 564 e. Eust. ad Od. p. 1558, 16, schol. ad Theocrit. 11, 1 p. 941 Kiessl., Plut. Symp. 1, 5 p. 622 c.), a Theocrito C. 11, aliis.

Alludit ad illos amores Callimachus (epigr. 49), Moschus (15, 3), Virgilius (Ecl. 9, 39), alii. Scripsit de hac fabula *Feder: Amor Polyphemi ex Theocrito, Ovidio et Metastasio* (Erl. 1765.)

Caeterum Acis antiquus Siciliae rex fuisse dicitur, ut ex inscriptionibus elicere studuerunt viri docti.

6. Silvanus et Cyparissus.

Silvanus ad antiquos Italorum deos agrestes pertinet, qui ex parte Graecorum Pana repraesentat. De ejus origine Probus ad Ge. 1, 20 haec habet: "Silvanum quidam sic ortum ferunt. Cratis pastor in *Italia* quum juxta flumen aliquod pasceret capellas et unam earum incurrere soleret, hoc est, libidine sua in eam saeviret, et obdormisset in ripa sedens, somnique pondere caput quasi dejectum subinde nutaret, caper, qui eam capellam soleret salire, impetu in eum facto, cerebroque cum cornibus discusso, abjecit eum in flumen, quod in facti memoriam *Cratis* est appellatum. Quum autem ex capella puer esset natus, cujus pars inferior erat caprina, cumque dominus educaret, augeretque ea re familiaritatem, ut animadvertit adultae esse aetatis, educator timens ne feritas ejus noceret suis, clam eum tollit in silvam et ibi destituit. Quem quia in silva primum agrestes conspexere, ut deum venerati Silvanum appellarunt." Serv. ad Ge. 1, 20: "Quidam Silvanum primum instituisse plantationes dicunt.".

Ipse Virgilius hujus dei cultum a Pelasgis repetit Ae. 8, 600:

> Silvano fama est veteres sacrasse Pelasgos,
> Arvorum pecorisque deo, lucumque diemque,
> Qui primi finis aliquando habuere Latinos.

Ad quem locum Servius: "publica ceremoniarum opinio hoc habet, pecorum et agrorum deum esse Silvanum. Prudentiores tamen dicunt, esse eum *ὑλικὸν θεὸν* h. e. deum *τῆς ὕλης*. *Ὕλη* autem est *faex* omnium elementorum, i. e. ignis sordidior et aër, item aqua et terra sordidiora, unde cuncta procreantur; quam *ὕλην* Latini *materiam* appellarunt; nec incongrue, quum materiae silvarum sint. Ergo quod Graeci *a tota*, hoc Latini *a parte* dixerunt". Intelligit Graecorum *Pana*, qui a senioribus pro *anima mundi* (*τὸ πᾶν*) habitus est. Silvanus senex exhibetur in antiquis monumentis. *Silvani*, ut *Panes*, occurrunt ap. Ovid. Met. 1, 193 et alibi.

Caeterum Cyparissum ab *Apolline*, non a Silvano dilectum fuisse refert Ovid. Met. 10, 107, atque inde Serv. ad Ae. 3, 64 et 680, qui ad-

dit: "vel ut alii, a Silvano". Atqui quum Ovidius tum alii cervum illum ab ipso Cyparisso interfectum esse dicunt. Quem Cyparissum Ceae gentis fuisse tradit Ovidius (Met. 10, 120), *Telephi* filium (Serv. ad Ae. 3, 680), vel *Amyclei* ex insula Cea (Lact. narr. ff. 10, 3 p. 857 St.). Servius addit: "Alii hunc Cyparissum Cretensem puerum pulcherrimum et castissimum fuisse, quem quidam ab Apolline, nonnulli a Zephyro amatum volunt. Qui quum castitatem suam incorruptam tenere cuperet, relicta Creta ad Orontem fluvium et montem Cassum (Casium) dicitur pervenisse atque in cupressum arborem commutatus; quae arbor ideo mortuis consecratur, quod caesa semel nescit renasci" (Accuratius hanc arborem describit idem Serv. ad Ae. 3, 64, et Geopon. 11, 5). Hinc quidam Silvanum deum funebrem putant (Serv. ad Ge. 1, 20), quippe qui cupressum manu tenere fingitur. Virg. Ge. 1, 20:

Et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum.

At idem Ecl. 10, 24: *Venit et agresti capitis Silvanus honore,*
Florentis ferulas et grandia lilia quassans.

7. Ceres et Proserpina.

Celeberrima haecce fabula etsi ab Homero disertis verbis non memorata, ab Hesiodo tamen (Th. 912) adumbratur, atque in Hymno Homerico et accuratissime et pulcherrime describitur. Ejus varietates enarratas reperies apud Welckerum (Zeitschr. für Geschichte der alten Kunst 1, 1 p. 1 — 95, cf. Creuzer. Symb. 4, 169 — 198, et interpretes hymni Homerici). Pamphos, qui antiquissimos Atheniensibus hymnos composuit, raptum Proserpinae carmine celebraverat (Paus. 1, 39, 1. 8, 37, 9. 9, 31, 8). Vulgarem Atticorum famam narrat Apollodorus (1, 5, 1 sqq.), quem imitatus est Zenobius (1, 7. Cf. Diod. 5, 4). Plures regiones illius raptus honorem sibi vindicare studebant, inter quas Sicilia principem obtinet locum; cujus rei diversissimas traditiones VV. DD. jam illustrare conati sunt, in primis Spanhemius ad Callimachi hymnum in Cererem; Cf. Heyn. ad Apollod. Obss. p. 24 sqq. —

v. 6 *grana*]. Hym. Hom. in Cer. 372 de Plutone: *αὐτὰρ ὅγ' αὐτὸς ῥοιῆς κόκκον ἔδωκε φαγεῖν μελιηδέα λάθρῃ.* —

v. 11 *Luna*]. Luna a serioribus philosophis Proserpina vocatur. Plut. de fac. in orb. Lun. 27 p. 942 d: *ἡ δ' (sc. Κόρη) ἐν σελήνῃ καὶ τῶν περὶ σελήνην. Κόρη τε καὶ Περσεφόνη κέκληται, τὸ μὲν, ὡς φωσφόρος οὖσα, Κόρη δὲ ὅτι* etc. Lact. ad St. Theb. 8, 63 p. 277 de versu Ovid. M. 5, 567: *Cum matre est totidem, totidem cum conjuge menses* agens, "per lunam fieri, *inquit*, manifestum est, quae a veteribus Proserpina nominatur." (Creuzer. 4, 220 sqq.). Antiquiores poetae Jovem dicunt rem ita composuisse, ut Proserpinam *tertiam* cujusque anni partem cum Plutone, duas reliquas in coelo esse diceret (Hym. in Cer. 447; cf. Apollod. 1, 5, 3). Quae sane res non potest ad Lunam referri. Ergo bene schol. ad Hes. Th. 913 p. 442 Gaisf: *τοῦτο περὶ τῆς σήψεως τῶν σπερμάτων λέγει, ὅτι ἐὰν οὐ κάτω ἀπεθάνῃ, ἄνω οὐ ζωογονεῖται.* Atque de raptu dicit: *τοῦτο δὲ λέγει, ἐπεὶ οὐχ ἑκοῦσα ἡ γῆ δέχεται τὰ σπέρματα*, quam rem piuribus etiam persequitur alius schol. p. 491 et Theo ad Arat. 150 p. 65, 14 Bek. cf. August. de C. D. 7, 10. Historicam huic fabulae adhibet interpretationem Perizon. ad Aelian. V. H. 4, 5, alii. Cum nostro myth. facit Hygin. f. 146 p. 256.

8. Celeus et Triptolemus.

De Celeo Triptolemi patre vid. Hym. Hom. in Cer. 96, ibiq. interpp. Apollod. 1, 5, 1 § 4. Paus. 1, 39, 1; cf. 1, 14, 2. 2, 14, 3. 1, 38, 3.

Haec et antiquissima et vulgatissima fama fuisse videtur. Sed jam Panyasis *Eleusinem* Triptolemi patrem vocat, et Pherecydes (fr. 36 p. 165) Triptolemum ab Oceano et Terra procreatum esse refert (vid. Apollod. 1, 5, 2.), quae genealogia reperta etiam est in Musaei carminibus apud Paus. 1, 14, 3. *Eleusinem* heroem, a quo urbs nomen traxerit, memorat Paus. 1, 38, 7, qui ejus originem a Mercurio et Daira Oceani filia derivat, atque alios eum pro Ogygi filio habuisse tradit. Romani scriptores *Eleusinum* Triptolemi patrem vocant, ut Hyg. f. 147 p. 257. et 275 p. 393. Serv. ad Ge. 1, 19 et Lact. ad Stat. Th. 12, 628 p. 422, ubi *Eleusini* corrigendum est pro *Eleusi.* (*Eleusinum* recte legitur p. 63); cf. Harpocr. et Etym. M. v. Ἐλευσίς. Caeterum et *Celei* et *Eleusinis* nomen saepe corruptum apparet, e. c. ap. Serv. ad Ge. 1, 19 *Cephalum* habemus et *Icarum*; ap. Lact. 63 *Cepheum* et p. 257 *Teleum.* Hymnus Homericus Celei filium a Cerere nutritum *Demophontem* vocat; Triptolemus vero secundum hunc hymnum est unus e principibus, qui una cum Diocla, Polyxeno, Eumolpo et Dolicho rebus Eleusiniis praeerat. Iisdem Ceres posthac mysteria tradit, quae Eleusine instituunt. In Orphicis carminibus Triptolemi pater Dysaules audit (Lobeck. Agl. p. 206 et 238); apud Choerilum est *Pharus* (Naeke p. 115). Caeterum nullam matris facit mentionem myth. noster. Metanira est in hym. Hom. 212: apud Pausaniam, Apollodorum, alios Polymnia quoque occurrit et Neaera et Hionia; vid. interpp. ad. Hygin p. 257. ed. Staveren. Triptolemi autem nomen cum initiis agriculturae apud Athenienses arctissime conjunctum est. Serpentes, in quas ejus corpus exire fingitur, ad nihil aliud nisi ad agrorum culturam alludunt, quam is primus antiquissimos Atticae incolas docuit. Hinc ipsa etiam Ceres alatis serpentibus vehi dicitur.

9. Ceyx et Alcyone.

Ceycis illustrissimum est antiquitatis nomen, quod Hesiodus non in Sc. Herc. tantum laudat (354. 472. 476, ubi cf. schol. p. 531 et 534 Gaisf.), sed in peculiari etiam carmine (Κήϋκος γάμος) celebraverat (Athen. 2 p. 49 b). Is secundum schol. Soph. Tr. 40 Amphitryonis erat filius; qui error ex quanam confusione ortus sit, non liquet. Matrem Philonidem affert Hyg. 65. Trachinis, ubi Thraces olim consederant (Burm. cod. Serv. ad Ge. 1, 399), fuisse dicitur rex, qui Herculem hospitio suscepit (Apollod. 2, 7, 6 § 4. 2, 7, 7 § 2. Paus. 1, 32, 6. Athen. 5 p. 178 b. Tz. ad Lyc. 50 p. 346, Chil. 2, 455. Eudoc. p. 209. Phavor. v. Ἡρακλῆς) et posthac Heraclidas (Apollod. 2, 8, 1). —

Deinde Alcyone apud Homerum (Il. 9, 562) cognomen est Cleopatrae, uxoris Meleagri, οὕνεκ' ἄρ' αὐτῆς μήτηρ, Ἀλκυόνος πολυπενθέος οἶτον ἔχουσα, κλαῖ' ὅτε μιν ἑκάεργος Φοῖβος Ἀπόλλων etc., ad quem locum schol. p. 267 b, 13 Bekk. et Eustath. p. 776, 19 Ceycis et Alcyones transformationem in aves narrant, sed aliter. Secundum Apollod. 1, 7, 3 § 4 Alcyones mater est *Enarate*, Deïmachi filia; vel *Canobe* secundum schol. Theocr. 7, 57 p. 912 Kiessl., vel *Aegiale* secundum Hyg. l. l. Ejus autem pater fuit Aeolus, Lucian. Ἀλκ. ἢ περὶ μετ. § 1. De Alcyones mutatione cf. Apollod. 1, 7, 4. schol. ad Arist. Av. 250 p. 235 b Bekk. Clem. Alex. protrept. p. 47 f. Sylb. Pausan. ap. Eustath. p. 776, 36, Hegesand. ap. Arsen. Viol. p. 40, Eudoc. p. 63. Mythographus noster Ovid. secutus esse videtur (Met. 11, 410).

Alcyonem seu alcedinem poëtae plerumque amoris perpetui et conjugii honestissimi exemplum proponunt; quam imaginem pulcherrime adumbrat Plut. de sol. anim. 35 p. 983. Est alcedo ispida Linaei, quam describit

Aristot. H. A. 9, 15 p. 432 Schn. et Plin. N. H. 10, 32 § 89 ibiq. Cuvier T. 7 p. 402. Plerique autem scriptores Alcyonem tantum in avem sui nominis versam esse tradunt, ut Eurip. Iph. T. 1098, Senec. Ag. 678, alii; Ceycem vero in larum quendam vel mergum, sc. κήϋκα, qui ab Homero κῆξ vocatur (Apollod. 1, 7, 4 et schol. ad Il. p. 267 b, 17 Bekk.) vel κηρύλος (schol. ad Aristoph. Av. 250 p. 235 b), quem Antigon. Caryst. 27 p. 49 Bekm. et Suid. v. alcedinis marem vocant; cf. Hesych. v. κηρυλος, schol. Theocr. p. 912 Kiessl. Pausan. in lex. ap. Eustath. p. 776, 39 et schol. ad Lyc. 750 p. 768. — Aelianus sane (N. A. 7, 17 p. 232 Schn. cf. 5, 48 p. 169) distinguit inter utramque avem, etsi dicat κήρυλος καὶ ἀλκυὼν ὁμονομα καὶ συμβιοῖ. Hinc Mosch. 3, 40: Ἀλκυόνος δ' οὐ τόσσον ἐπ' ἄλγεσιν ἴαχε Κήϋξ, οὐδὲ τόσον γλαυκοῖς ἐνὶ κύμασι κήρυλος ᾆδεν etc. Duas alcedinum species recenset Aristot. H. A. 8, 5, 7 p. 358; alcyones et ceyces junctim memorat Plin. N. H. 32, 8 (27).

Alcedinum faustissimus nautis erat volatus. Hinc imagines derivatae sunt poëtarum, ut Stesichori (ap. Aristot. H. A. 5, 8, 2 p. 191 fr. p. 118 ed. Kl.), Alcmanis (ap. sch. Arist. Av. 250 p. 235 b Bekk. f. 12 p. 29 Welck.), Pindari (fr. paean. 34 p. 573 Boeckh.), Apollonii Rhodii (1, 1086, cf. Philostr. Im. 2, 15 p. 833), aliorum.

De alcedinum autem nidis, quos media hieme in mari fieri tradunt, multae fabulae extant apud antiquos scriptores. Ridicule profecto sch. Arist. R. 1003 p. 400 b. Bekk. has aves ova sua in profundum mare demittere atque insuper natantes calefacere dicit; deinde autem addit, eas in arenam ova ponere; quod verius effertur παρὰ τοῖς αἰγιαλοῖς a schol. ad Ap. Rh. 1, 1086, ad Theocr. 7, 57, ad Hom. p. 267 b, 18 Bekk. Ipsum etiam nomen ἀλκυὼν derivarunt παρὰ τὸ ἐν ἁλὶ κύειν (Etym. M. p. 65, 33 et 612, 2, Orion Theb. p. 13, 5, alii). Schol. autem Soph. Tr. 104 Elmsl. τίτει ἐν ταῖς ὑφάλαις πέτραις, εἶτα, τῶν ᾠῶν ἀφανιζομένων δακρύει. Hinc Euripides Iph. T. 1096: ὄρνις ἃ παρὰ τὰς πετρίνας πόντου δειράδος (ἀκταία ὄρνις Ap. Rh. 1, 1087 ibiq. sch.), ἀλκυών, ἔλεγον οἶτον ἀείδεις etc. Ergo verba Soph. Tr. 105 οἷα τιν' ἄθλιον ὄρνιν etc. ad alcedinem referre malim, non ad lusciniam. *Pendentibus aequore nidis* de alcedinibus Ovid. Met. 11, 746. *Foetus suos nido pavidae titubante fovent* Senec. Ag. 683. *Ah miser alcyonum scopulis adfigar acutis* Prop. 3, 5, 15.

Quos dies *alcyonia* mythogr. vocat, eos *halcyonios* dicit Varro (L. L. 5, 13 p. 84 Sp.) et Columella (11, 2, 21 p. 510 Schn.); unde corrigendus Sarisb. Pol. 2, 2. Apud Aristot. H. A. 5, 8, 2 p. 191 codd. offerunt ἀλκυόνειοι, sed emendavit Schneiderus ἀλκυονίδες, ut legitur ap. Arist. Av. 1594 ibiq. schol. p. 267 b Bekk., Lucian. Ἀλκ. § 2, schol. ad Ap. Rh. l. l. Orion. Th. p. 13, 5, Etym. Gud. p. 36, 25, Etym. M. p. 65, 33, Hesych. 238. Hinc *dies halcionides* Plin. N. H. 10, 32 § 90 cf. 14, 7. Inter varias lectiones apud Tz. ad Lyc. 750 p. 768 est ἀλκυονίτιδες, et sic schol. ad Arist. Av. l. l. et ad R. 1305 p. 400 b Bekk., Arsen. p. 40 et Apostol. 2, 51. Numerum horum dierum Simonides (ap. Aristot. 5, 8, 2 fr. 18 p. 365 Gaisf.) bis septem statuit; quae est vulgaris antiquitatis opinio (Plin. N. H. 2, 47 § 125 et 10, 32 § 90, Etym. M. p. 65, 33. sch. Hom. Il. p. 267 b, 22, Arist. Av. 250 p. 235 Bekk. Hesych. p. 238.), sed male intellecta a Suida v. ἀλκυονίδες ἡμέραι, Apostol. pr. 2, 51 p. 350 Schott., Arsen. p. 40. Immo Pausanias in lexico ap. Eustath. p. 776, 34 et Eudoc. p. 35 ex Aristotele et Simonide *quinque* dies alcyonios afferunt; Philochorus (fr. p. 94), nescio unde, novem; alii septem, ut Demagoras Samius (ap. Arsen. p. 40), gloss. ad Virg. Ge. 1, 399, Ovid. Met. 11, 745, schol. ad Lyc. l. l., ad Arist.

Av. 1594 p. 267, Lact. ad Stat. Th. p. 318, Hyg. 65. Alios bis septem, alios quindecim statuere auctor est schol. Ap. Rh. 1, 1086.

11. Titanes et Gigantes.

Frequentissima apud veteres scriptores est confusio inter Titanes et Gigantes inde ab Onomacrito (ap. Paus. 8, 37, 5 cf. 8, 29, 1 sq. 32, 5, 36, 2. 47, 1. et 1, 25, 2.); de qua re vid. Agatharch. ap. Phot. p. 444, 38 Bekk., Dorion. ap. Athen. 3 p. 78 a, Plut. de esu carn. 1, 7 p. 996 c. Heyn. Obss. ad Apollod. p. 28, Lobeck. Agl. p. 584. 426. 763. 79[1]. Voss. Ep. myth. 2 p. 300 sqq. Titanes Homerus vocat ὑποταρταρίους (Il. 14, 279; cf. Hes. Th. 851, Paus. 7, 18, 4. 8, 37, 5.); Gigantum tamquam populi alicujus mentionem facit Od. 7, 59 et 206. 10, 120. Utramque stirpem accurate distinguit Hesiodus (Th. 185 coll. 207. 630) et Servius (Ae. 6, 580 cf. Apollod. 1, 1, 3. 1, 6, 1, sch. ad Arat. 16 p. 50, 40 Bekk. ad Ap. Rh. 2, 40, ad Lyc. 63 p. 359), qui eam a Terra procreatam dicit (γηγενῆ, terrigenam), *Titanumque* nomen derivat ἀπὸ τῆς τίσεως, i. e. ab *ultione* Terrae contra Saturnum (sic quoque Hes. Th. 209 et Etym. M. p. 760, 40). Gigantum autem fabula originem traxisse videtur a *montibus ignivomis*; quae res inde potissimum patet, quod gigantomachiae sedes vel Bathos est, vel Pallene, vel campi Phlegraei; quibus locis saxa et ignes e montibus ejiciuntur in caelum (Viscont. Mus. Pio. Clem. T. 4 p. 78 ed. Mediol.). Typhonem igneum subterraneum ex Aetna prorumpentem intelligendum esse jam suspicatus est Boeckh. ad Pind. Pyth. 1, 13 p. 228. Quod autem myth. noster de montium supra montes aggestu et congerie dicit, id proprie ad Otum et Ephialten (qui ab aliis quoque scriptoribus saepius accensentur Gigantibus, spectat (Hom. Od. 11, 304, Apollod. 1, 7, 4, Ap. Rh. 1, 481); quae autem deinceps de Typhone narrat et de deorum transformationibus in animalia, ea iterum non satis accurrate tradita sunt. Singulorum deorum transformationes in pugna contra Typhoeum describit Eratosth. Cat. 25, schol. ad Arat. 284 p. 77, 4 Bekk. Plut. Is. et Os. 72 p. 379 e, Nicand. ap. Anton. Lib. 28 p. 184 sqq. Verh., schol. ad Il. 2, 783 p. 92, a, 16 et Ovid. Met. 5, 326.

CORRIGENDA
IN NOTIS AD MYTHOGR. I.

Nro. 3 v. 2 pro 424 leg. 124
— 5 inscript. pro 93 leg. 39
— 11, 6 pro *refragantem* leg. *refragrantem*
— 15 inscript. pro 21 leg. 211
— 81 p. 30, 5 pro *Brachidarum* leg. *Branchidarum*

IN NOTIS AD MYTH. II.

Nro. 11 inscript. pro II leg. III.
— 129 inscript. pro 129 leg. 32.

Gottingae typis Dieterichianis.

rerum mythicarum
Romae nuper reperti.
23919

-examinat

Bode, G.H. - Scriptores rerum mythicarum latini.

PONTIFICAL INSTITUTE
OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK
TORONTO 5, CANADA

23919